

TVTA CONSCIENTIA.

TVTA CONSCIENTIA

Seu

Agendorum, vel non agendorum, in quibusdam selectissimis, ac frequentiùs accidentibus Conscientiæ Casibus

Tuta Methodus Moralis

Iuxta

Doctrinam, & Auctoritatem Doctorum Primæ Classis,

NECNON

Decreta hucusque emissa Summorum Pontificum, & Sac. Congreg. Eminentissimorum S. Rom. Ecclesiæ Cardinalium.

Auctore Reuerendo Adm Patre

CAROLO CASALICCHIO

Societatis IESV Theologo.

Editio Secunda.



VENETIIS. M. DC.LXXXII

Typis Benedicti Milochi.

Superiorum Permissu, & Priuilegio.





Immenso, Infinito, Inuisibili,

Omnipotenti, Sapienti, Optimo

יְהוָה

Deo Deorum, Enti Entium

Vnitrino

Sancto, Sancto, Sancto

Patri, & Filio in plenitudine Temporis

Incarnato Iesu Christo,

necnon

Spiritui Sancto,

Rerum Omnium conditarum

Auctori, Conseruatori, Reparatori


Æterno

Hoc Typi sui Opus

Dat, Donat, Dedicat

Seruorum Humillimus

Benedictus Milocus.



AD LECTOREM.



VTAM, Cautam, ac Sanctam tibi exhiberi, ac reddi, Candidissime Lector, à volumine isto conscientiam, eamque sartam tectam ab omni mali, & peccati periculo conseruari facilè affirmabis, si aduertas selectissimis Conscientiæ Casibus, qui in eo resoluuntur, non aliunde petitas validissimas rationes adiungi, nisi quas ab optimis, & primi subsellij (quos non citaui nisi priùs in fonte legerim) scriptoribus excerpsi, & præsertim à D. Thoma eorum Principe, Catholicarum Scholarum Lumine, ac Sole, ac eius asseclis, quibus ductoribus, ac interpretibus Angelici Doctoris oracula faciliùs sum assequutus; Quare Magnus ille Sacri Palatij Apostolici Magister, Syluester, Doctissimus Soto, Candidus, alijque ex Dominicana familia, ex nostra verò, Eminentissimus de Lugo, Coninch, Suarez, Vasquez, Sanchez, Layman, Lessius, Filliucius, Fagundez, Castropalao, Dicastillo, alijque Doctoris Angelici placitis adictissimi, operis huius omnem paginam implent; Tutamque Conscientiam, authoritate, qua pollent, maxima, reddunt; quis enim audeat non probare, quæ tot tantisque viris videat comprobari? At eo magis Tutam, ac Sacrosanctam, reddi Conscientiam a Codice hoc iudicabis, quo animaduertes, quòd cùm Summi Pontifices, qui non credendorum tantùm, sed agendorum etiam in Terris, Lex sunt, fideique, ac morum

norma

norma rectissima, multas ediderint Sanctiones, quibus Oues suas, vel ad benigna pascua compellerent, vel ab exitialibus absterrerent, eas, quæ ad manum esse possent, passim sparsas, non sine magna quietis, ac Tutæ Conscientiæ pretio liber hic ipse complectitur, ne quid ad firmitatem soliditatemque doctrinæ desideraretur. Quæ verò ad id operis me impulerunt, in primis sunt, vt quamplurimis animarum curatoribus, pro viribus satisfacerem, præsertim, qui in oppidis degunt, quibus plerumque, nec otij satis, vt magnos libros euoluere, nec vt intelligere possint, satis consilij est; Accessit ijs Dynastarum Votum, qui me à confessionibus vtuntur; Cùm enim, non magis imperio, quàm æquitate, suos velint subditos regere. Quid iure, quid contrà, iniuria factum, quaue ratione ius, fasque in Dominatu, vel seruari, vel infringi contingeret, à me qui eorum Conscientiæ moderator sum intelligere cupiunt.

Non leuem præterea stimulum addidit, Erronea, vt aiunt, Conscientia eorum, nimirum, qui iuxta illud Isaiæ, Bonum Malum; rursumque, Malum Bonum dicunt, æqua, atque iniqua turbantes, ac licita pro illicitis; Contràque illicita pro licitis existimantes; Operæ igitur pretium duxi, si eos à tam perniciosa, atque exitiali peste pro virili defenderem, qua præsertim oppidani solent laborare, quibus erit non tam difficilis hic liber.

Præcipuè tamen, huic labori succumbere, necessarium duxi; Vt Authores, seù vitio, seù inscitia aliquorum, malè multatos, Famæ suæ redderem; Animaduerti enim, multis, quæ nunquam docuerunt adscribi, falsæque doctrinæ, falsos authores fieri, Cogique, alieno mendacio, laruam induere, vultum mentiri; Cuius quidem rei de me, ipse sum Testis, sæpè ab ali-

quibus nomine detractus meo non mea mihi tribuentibus, quo accidit, vt ipse, & alius nescius, fallerem, Innoxius mentirer. Vale. Et si quid Boni in Libro deprehendas gratias age Deo, à quo omne donum optimum, & pro me peccatorum pessimo illum exora, vt valeam ipso præstante, & Tutam seruare Conscientiam, & ei omnibus diebus vitæ meæ in sanctitate, & iustitia deseruire.



Michael

Michael de Flore Præpositus Prouincialis Societatis Iesu in Regno Neapolitano.

CVM Librum, cui titulus est: *Tuta Conscientia*, Auctore Patre Carolo Casalicchio nostræ Societatis Sacerdote, tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultate nobis facta à Patre Nostro Ioanne Paulo Oliua Prępositо Generali, facultatem concedimus, vt Typis mandetur, si ijs videbitur ad quos spectat; In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo Societatis nostræ munitas dedimus. Neapoli 26. mensis Octobris 1680.

Michael de Flore.

IN

IN Congregat. habita coram Eminentiss. D. Cardinali Caracciolo Archiep. Neap. sub die 20. Nouembris 1680. fuit dictum, quod R.P.D. Carolus Caracciolus Casinensis reuideat, & in scriptis referat eidem Congregationi.

Stephanus Menattus Vic. Gen.

Ioseph Imperialis Soc. Iesu Theol. Emin.

EMINENTISSIME DOMINE.

TVta Conscientia inscriptum Opus ab A. R. P. Carolo Casalicchio Societatis Iesu elaboratum, à me ex commissione E. V. cum singulari oblectatione euolutum, ne dum à rectæ Fidei, ac morum probitatis læsione innoxium, verum etiam solida, ac clara doctrina præditum, plausibili suo titulo egregiè respondens, Tuta Conscientia, typis dignum obtestor. Ex Monasterio SS Seuerini, & Sossij die 28. mensis Decembris 1680.

D. Thomas Caracciolus Casinensis Deputatus, ac Sancti Officij Consultor.

In Congreg. habita coram Eminentiss. D. Card. Caracciolo Archiep. Neap. sub die 4. Ianuarij 1681. fuit dictum, quod stantè reuisione facta, Imprimatur.

Stephanus Menattus Vic. Gen.

Ioseph Imperialis Soc. Iesu Theol. Emin.

EC-

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

MArc'Antonio Ferro Stampatore di libri, supplicando espone à V. E. come desidera stampare vn Libro del P. Carlo Casalicchio della Compagnia di Giesù, intitolato: *Tuta Conscientia*; Supplica per tanto V. E. commettere la reuisione di detto Libro à chi all'Ec. S. parerà, e l'hauerà à gratia, Vt Deus.

Reu. P. Antonius de Augustino Soc. Iesu videat, & in scriptis referat.
Carrillo Reg. Calà Reg. Soria Reg.

Prouisum per S.E. Neap. die 15. Nouemb. 1680.
Mastellonus.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

DEmandatam mihi Prouinciam ab E.V. obij, & Conscientiæ Casuum Librum, cuius titulus est: *Tuta Conscientia*; & Author est P. Carolus Casalicchius Societatis Iesu, perlegi; nihilque in eo, quod Regiæ iurisdictioni deroget, deprehendi; quare si E. V. videbitur, publica luce gaudere poterit, quòd animarum incolumitati opus, verè aureum, prouideat, ac promoueat. E Collegio Neapolitano primario die 28. Nouembris 1680.

E. V.

Seruus obsequentissimus
Antonius de Augustino Soc. Iesu.

Visa relatione imprimatur, & in publicatione seruetur Reg. Prag.
Carrill. Reg. Calà Reg. Soria Reg.
Prouisum per S.E. Neap. die 5. Decemb. 1680.
Mastellonus.

INDEX

INDEX CAPITVM TOTIVS OPERIS.

Materia huius Operis per alphabetum digesta est, & diuisa in tres Libros, quorum primus continet viginti duo Capita, sub quibus continentur aliqui selectiores Conscientiæ Casus, pertinentes ad materias, quæ notantur infra, vz.

LIBER PRIMVS.

CA-

LIBER SECVNDVS.

Continet Capita 41. sub quibus complectuntur Selectiores Casus pertinentes ad subsequentes materias, v3.

CA-

LIBER TERTIVS.

Denique continet Capita 24. sub quibus inuenies Selectiores Casus pertinentes ad infrascriptas materias, v3.

CA-

NOI

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquisitore nel Libro intitolato, TVTA CONSCIENTIA, seu Theologia moralis A Patre Carolo Casalicchio Societatis Iesu concinnata, stampato in Napoli l'anno 1681. non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza à Benedetto Miloco di poterlo ristampare, osseruando gli ordini, &c.

Data li 26. Maggio 1682.

(Girolamo Basadona Riformator.
(Leonardo Pesaro Proc. Riform.

Gio: Battista Nicolosi Segretario.

TV-



TVTÆ CONSCIENTIAE LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

DE ABORTV.

Quid possit, vel quid non possit teneri TVTA CONSCIENTIA in quibusdam pertinentibus ad materiam de Abortu.

1 ON licere TVTA CONSCIENTIA procurare Abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehensa grauida occidatur, aut infametur; Affirmo cum communi DD. ob multas rationes, quas hic non refero, dum contraria opinio damnata fuit ab Innocentio XI. anno 1679

2 NVLLO modo esse probabile omnem humanum fœtum, quamdiù in vtero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere, eamdem habere, cum paritur, & consequenter nullo modo posse teneri opinionem illam,

quæ dicebat in nullo Abortu committi homicidium, aio cum DD. & Theologis omnibus, & contraria opinio damnata fuit ab eodem Innocentio XI. eodem anno.

3 PROCVRANTEM Abortum, in quo, dubium est, an fœtus animatus fuerit, debere se tenere tanquam homicidam excommunicatum, & irregularem. Affirmo cum communi DD. & præcipuè cum Fagundez *in Decal. tom. 1. lib. 2. cap. 10. num.* 5. qui pro se citat Suarez, Vasquez, & alios. Quia vt habetur ex Regula Iuris, In dubio tutior pars est eligenda.

4 MVLIEREM prægnantem infirmam, ante fœtus animationem, posse vti medicamentis, & remedijs directè tendentibus ad sui curationem, etiam si indirectè, & per accidens sequatur ex talibus remedijs Abortus, quando aliud remedium non esset ad expellendum periculosum morbum, quo ipsa laborat; Affirmo cum Lessio *lib. 2. cap. 9 dubitatione 10. num.* 62. Qui dicit hanc esse communem sententiam DD. Quia mater ante conceptionem prolis ius habet, vtendi remedijs ad sui conseruationem, quod ius superueniente prole, ei non aufertur. Et quia Abortus in tali casu, tunc censetur solùm permissus, non procuratus, quia superuenit, dum mater Iure suo, & illum nullo modo intendit.

5 SI verò proles animata sit, non esse licitum matri vti medicamentis directè tendentibus ad sui curationem cum notabili periculo prolis, si certum erat, aut valdè probabile prolem sine illo, viuam edendam; Teneo cum Lessio *loco citato num.* 63. qui pro se citat D. Antoninum, Nauarrum, & alios; Quia quilibet tenetur salutem æternam proximi præferre suæ vitæ corporali, & hanc pro illa

ex-

exponere; Ergo si sine medicamentis curatiuis matris, proles seruari posset ad baptismum, alioquin moritura ante baptismum vi supradictorum remediorum, tenetur mater ab illis abstinere, etiam cum certo vitæ suæ discrimine.

6 Id tamen aduertendum ex supradicti Doctoris, & aliorum Theologorum doctrina, quod si probabile esset, non adhibitis remedijs, tam matrem, quàm prolem periclitari, & eis adhibitis saltem matrem posse seruari, posse in tali casu TVTA CONSCIENTIA hæc remedia adhiberi.

CAPVT II.

DE ABSOLVTIONE.

Quid possit, vel quid non possit fieri TVTA CONSCIENTIA in quibusdam selectioribus casibus pertinentibus ad materiam de Absolutione.

1 INFIRMVM qui nimis fatigatur in dicendis peccatis, posse dimidiare confessionem dicendo, vt ait Coriolanus apud Leandrum: Pater ego sum valde fatigatus; relinquamus confessionem in posterum, quia adhuc restant alia peccata confitenda; sed accuso me de ijs, quæ tibi confessus sum, & de multis, quæ nunc non valeo dicere, Peto à Deo veniam; Et posse hunc absolui, imò debere, nè fortè morte præuentus, decedat sine absolutione; docent & Coriolanus ipse apud Leandrum *Tract. de Sacramento Pœnit. disputat. 5. quæstione 32.* & ipsemet Leander *loco citato*, qui citans alios Doctores, dicit

hanc opinionem esse communem.

2 SIC etiam posse pœnitentem in prædicto casu absolui audito solo vno peccato graui prius non confesso, licet non sit ex grauioribus; Si tempus verò supererit post datam absolutionem, debere talem pœnitentem suam confessionem prosequi, & alia peccata confiteri; Affirmo con Suarez *in 3. part. disput.* 23. *sect.* 1. Bonacina *disputat.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 4. *differ.* 4. *num.* 18. Cardinali de Lugo *disput.* 17. *de Sacram. Pœnit. num.* 1. & alijs; Quia, vt inquit ipse Lugo, integritas formalis confessionis, solùm exigit, quod dicantur, ea peccata, quæ dici possunt, quare sicut non est contra integritatem, quod omittantur aliqua, propter naturalem obliuionem, vel propter aliud damnum, quod ex confessione eorum timeretur, sic nec erit, quod, omittantur propter impotentiam illam moralem.

3 POSSE confessarium tempore Pestis, naufragij, vel subiti prælij, aut incendij, absoluere pœnitentem confessionem dimidiando, quem pœnitentem in tali casu, non solùm posse dimidiare confessionem, verum etiam ad id teneri ex charitate; docet Vasquez *in 3. partem, tom.* 4. *quæst.* 91. *dub.* 2. *art.* 2. *num.* 2. & 3. qui etiam asserit, Sacerdotem non solùm posse, sed ex misericordia teneri, vt alijs subuenire possit, confessionem non perficere, quod etiam tenet Diana 2. *par. tract.* 16. *resol.* 41. Suarez *in 3. part. tom.* 4. *disput.* 23. *sect.* 1. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 3. Coninch. & alij, quos sequitur Castropal. *par.* 4. *de Sacram. Pœnitentia tract.* 23. *disput. vnica, puncto* 11. *num.* 2. Quia in supradictis casibus si minus habetur integritas materialis, habetur formalis.

4 CONFESSARIVM probabiliter timentem

non

non posse absque periculo infectionis audire integram confessionem ægroti; posse illum absoluere TVTA CONSCIENTIA audito vno, aut paucis peccatis, docent Diana 5.*part.tract.* 3.*resol.*74. Layman *lib.*5.*tract.*6.*cap*13.*num.*4. Filliucius *tractatione* 7.*cap.*5.*num.*119.

5 SACERDOTEM posse absoluere pœnitentem, qui nullum peccatum in particulari confitetur, sed in genere dicit se multa peccata commisisse, etiam si pœnitens ipse, postea sensibus destituatur, aiunt multi, quos sequuntur Vasquez *in* 3.*part.quæst* 91.*art.*2.*dub.* 1.*num.*3. Suarez *in* 3.*part.disput.*23. *sect.*1.*nu.* 5. Lugo *de Sacramento Pœnitentiæ disput.* 17. *sect.*1. *num.*8. & alij multi; Quia valor huius Sacramenti optimè potest stare non explicatis omnibus mortalibus, maximè quando ob impotentiam pœnitentis non explicantur, ergo etiam erit validum Sacramentum, quando ob eamdem impotentiam non explicatur species peccati in particulari. Quam doctrinam approbauit Paulus V. in suo Rituali Romano, & toti Ecclesiæ ad praxim proposita est in ritibus de Sacramento Pœnitentiæ, his expressis verbis: Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægrum deficiat, nutibus, & signis conetur Sacerdos, quoad fieri poterit, peccata pœnitentis recognoscere, quibus vtcumque, vel in specie, vel in genere cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, siue per se, siue per alium ostenderit, absoluendus est.

6 CONSTITVTVM in articulo mortis, qui nullum peccatum confitetur, sed nutibus, aut signis, & verbis tantum, quærit à confessario absolutionem, dicendo videlicet, se velle confiteri, & se dolere de peccatis, posse absolui

solui TVTA CONSCIENTIA docent Cardinalis de Lugo *loco supra citato num. 26.* Baunius *tom. 4. de Pœnit. quæst. 9.* Quia illa verba, aut signa etiam sunt confessio peccati saltem in genere, quod sufficere pro materia confessionis in casu necessitatis clarè constat ex multis, & præcipuè ex Castro Palao *part. 4. tract. 23. punct. 11. num. 10.* & Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 4.*

7 SACERDOTEM qui videt infirmum sensibus destitutum, pectus suum tundere, oculos ad cœlum leuare, dicere: Miserere mei Deus, &c. posse illum absoluere, licet confessionem non petierit; saltem sub conditione, si est capax; docent Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 4.* Lugo *disputat. 17. num. 29.* Henriquez *lib. 6. de Pœnit. cap. 18. num. 7.* & multi alij, quia signa pœnitentiæ, quæ in mortis articulo ab Infirmo eduntur, semper debent censeri directè ad Absolutionem Sacramentalem.

8 SICVTI etiam posse Confessarium absoluere ægrotum, qui in eius absentia petijt confessionem, aut exhibuit signa pœnitentiæ, expressè tenent Paludanus *disp. 21. quæst. 2. art. 2. conclus. 2.* Vasquez *in 3. part. quæst. 91. art. 2. dub. 2. num. 33.* Suarez *disp. 25. sect. 1.* Lugo *de Sacramento Pœnit. disput. 17. num. 44.* Pontius *lib. 4. de Matrim. cap. 25. num. 8.* & multi alij.

9 POSSE etiam Sacerdotem absoluere moribundum, quando ij, qui testificantur de petitione confessionis non audierunt ab ipso infirmo, sed ab alijs, qui ab infirmo audierunt, docent Lugo *loco supra citato nu. 81. pag. 437.* & Leander *tract. 5. de Sacramento Pœnitentiæ disp. 5. quæst. 44.*

10 INSVPER posse Confessarium absoluere sub conditione moribundum solitum Christianè

ſtianè viuere, deſtitutum ſenſibus, qui nec confeſſionem petijt, nec ſigna pœnitentiæ dedit, docent Molfeſius *in Sum. tom. 1. tract. 7. cap. 5. num. 48.* Pelizarius *in Manual. Regular. tom. 1. tract. 5. cap. 3. ſect. 1. num. 60.* Alexander Ludouiſius Archiepiſcopus Bononienſis, & poſtea Summus Pontifex Gregorius XV. *in Memoriali Confeſſariorum*, & multi alij Doctores, quos refert, & ſequitur Leander *loco citato quæſt. 46.* dicens, quod ſic in praxi obſeruari debeat, quamquam ſententia contraria, ſpeculatiuè, longè ſit verior, & ſic in facti contingentia à Clem. VIII. obſeruatum fuiſſe Romæ, quando abſoluit quemdam cadentem ex fabrica Sancti Petri, dicens: Si tu es capax abſolutionis, abſoluo te à peccatis tuis. Quod probant multis rationibus, & præcipuè, quia in neceſſarijs ad ſalutem Tutior pars eſt amplectenda, ergo cum alias periculum irreuerentiæ Sacramenti, & ſacrilegij ceſſet, tum ex conditione appoſita in abſolutione, tum ex authoritate Doctorum hanc ſententiam defendentium, omninò ea eſt amplectenda.

11 ABSOLVI poſſe pœnitentem, etiam ſi ſtatim poſſit reſtituere totum, & non velit, niſi per partes, ob aliquod emolumentum ſibi inde proueniens aiunt Nauarr. *in Manuali cap. 17. num. 65.* Angel. *Verbo reſtitutio, vlt. §. 5.* Syluester *Verbo reſtitutio, 5. quæſt. 3.* qui citat alios Summiſtas, & alij. Quia dummodo dilatio non ſit valdè nocua creditori, & Confeſſarius probabiliter credat, quod negata abſolutione, & dilatione, nunquam vel non ita vtiliter reſtituet pœnitens, qui etiam bona fide moueatur, quod poſſit hoc licitè facere, & proponat ita reſtituere, in hoc caſu confeſſarius veriſimiliter poteſt credere,

dere, quod creditor non sit inuitus.

12 REGVLARES mendicantes non posse absoluere a casibus Episcopis reseruatis non obtenta ad id Episcoporum facultate, declarauit Summ. Pontifex fœlicis recordationis Alexander VII. in sua Bulla *cap.* 11.

13 Idem Alexander VII. declarauit falsam, & erroneam esse illam propositionem, quæ asserebat, quod sententia asserens Bullam Cęnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Trident. in qua de occultis criminibus est sermo, anno 1629. 18. Iulij in Concistorio S Congregationis Em. Cardinalium visa, & tolerata est, hæc vt dixi sententia talia asserens reprobata, & meritò fuit a supradicto Summo Pontifice.

14 NON posse absolui pœnitentem si nolit relinquere occasionem proximam peccandi, etiam si hæc dubia sit, quia hic talis voluntariè vult permanere in peccato cum se exponat periculo peccandi, docet Gaet. in *Sum. Verb. periculum*. Lop. 1. *Part. Instruct. Consf. cap.* 19. *& est communis*.

15 NON posse absolui Concubinarium, etiam si nihil amplius habeat cum sua concubina, sed solum scandalum præbet ex secum cohabitatione, vel frequenti visitatione; quia tenetur vitare scandalum etiam vnius personæ, & ideo eijcere e domo concubinam, aut eam non visitare; docent Nauarr. in *Manual. cap.* 16. *nu.* 21. Candi. *Disqu.* 34 *d.* 6. *p.* 76. Tho. Vrd. *Tract.* 1. *capit.* 6. *res.* 29. qui aduertit hoc esse intelligendum, quando sine graui damno vitari potest scandalum iuxta doctrinam Diui Thom. 2. 2. *qu.* 38. *art.* 4.

16 POSSE à Confessario differri absolutionem,

nem, quando occasio proxima tolli non potest propter scandalum, aut graue detrimentum, etiam si probabiliter credat poenitentem esse verè dispositum; Quia licet poenitens habeat ius ad sententiam, & absolutionem facta confessione, non tamen ius habet vt statim proferatur sententia; potest enim Iudex arbitrari, quomodo, & quando vtilius sententia proferri debeat, & tanto magis, quia in casu nostro Confessarius non minus Iudicis, quam Medici vicem gerit, & sic in proferenda absolutione potest eo modo vti, qui magis illi videtur profuturus ægroto, qui est ipse poenitens. Tenent de Lug. *de Sacrament. Pœnit. Disp.* 14. *sect.* 10. *nu.* 169. Suar. *Disp.* 31. *sect.* 2. *& tom.* 2. de Relc. *Lib.* 3. *cap.* 8. San. *in Sum. in lib.* 2. *cap.* 32. Tol. *Lib.* 3. *cap.* 18. *nu.* 6. & alij communiter.

17 NON posse tamen a Confessario differri absolutionem, sed teneri statim eam poenitenti præbere in casu quo poenitens ipse sit sufficienter dispositus, & ex dilatione timeatur potiùs damnum spirituale, quam speretur vtilitas poenitentis, quia nimirum tedio affectus non redibit, vel in disperationem prolabetur, aiunt Lug. *Loco cit. num.* 168. Sanchez *loco etiam cit. num.* 45. *in fine*; & alij, quia in tali casu dilatatio absolutionis non erit medicina poenitenti, sed potius causa ruinæ, ergo, &c.

18 TENERI à Confessario tam proprio, quam non proprio absolui poenitentem, qui contrariam opinionem Confessoris sequitur; docent Sanch. Sot. Nauar. Ledes. Henriq. Azor. Suar. Vasquez, & alij quam plures, quos sequitur, & citat Leander *loc. cit. quæst.* 58. quia poenitens non creditur indignus absolutione ex eo quod nolit sequi opinionem Confessoris, dum licitum est poenitenti opinionem proba-

bilem ſequi : ergo , &c.

19 NON poſſe TVTA CONSCIENTIA abſolui ſæpè aſpicientem mulierem, & ex eiuſdem aſpectù ſæpiſſimè in peccata malarum cogitationum, & turpis collocutionis prolabentem, ſi prius non proponat firmiter in futurum à tali occaſione ſe remoturum, etiam ſi cogitet de ineundo matrimonio cum ipſa muliere, cum ſit paris conditionis cum eadem &c. Affirmo cum Syluestro. *Verbo Confeſſio, quæſt.125. Verbo Confeſſor.3. quæſt.7.* Caietano in *Summa tit Periculum*, & alijs multis. Quia ſupradicta occaſio eſt inducens ad peccatum mortale, adeoque vitanda, alioquin pœnitens non videretur eſſe diſpoſitus.

20 POSSE verò abſolui TVTA CONSCIENTIA Iuuenes conuerſantes cum Mulieribus, ex eo quod ab illis emunt aliqua, vel illis vendunt, vel cum eis ſimul aliquam artem exercent, etiam ſi efficaciter non ſeparentur ab eorum conuerſatione, affirmo cum Antonio de Corduba *Tract. de Caſ. Conſ. quæſt. 4.pag.29.* Quia talis occaſio ex ſe non eſt talis, vt ſemper vel ferè ſemper, inducat ad peccatum mortale.

21 Expertum dum comedit aliquos cibos calidos ſe vri ab impuris tentationibus, & illis aliquando ſuccubuiſſe, poſſe TVTA CONSCIENTIA abſolui, etiam ſi non proponat cibos ſupradictos amplius non eſurum; affirmo cum eodem P. Antonio de Corduba, qui pro ſe multos citat, *loco cit.* Quia talis occaſio non eſt de ſe tam vehemens, vt ſemper, vel ferè ſemper inducat ad culpam grauem. Talem verò doctrinam intelligendam eſſe, aſſero de illis, qui tales cibos non comedunt eo fine, vt ex illorum comeſtione prouocentur ad

Venerem,

Venerem; & aliunde ita conferunt illos comedentibus, vt ſine ijs eorum temperamentum attenuaretur.

22 POSSE TVTA CONSCIENTIA abſolui promittentem reſtituere, etiam ſi in duabus alijs ſubſequentibus confeſſionibus poſt propoſitum, & promiſſionem factam in prima confeſſione, inueniatur non reſtituiſſe, ſicut promiſit; Non poſſe verò TVTA CONSCIENTIA abſolui talem pœnitentem, ſi in ſequentibus confeſſionibus inueniatur infidelis promiſſis; affirmo cum eodem P. Antonio de Cord. multos pro ſe citante. Quia in tali caſu, & ſi denuò promittat, prudenter non eſt illi credendum, & ideò non eſt abſoluendus, ſi prius, vel de facto non ſoluat, vel non faciat in manu tertij depoſitum, vel iure iurando non ſe aſtringat ad reſtituendum, vt habetur in *cap. Litteras de Præſumpt. & l ſi fideiuſſor §. fin. ff. qui, & à quibus*.

23 POSSE TVTA, CONSCIENTIA, abſolui Ruſticum qui in confeſſione deprehendatur neſcire prorſus myſteria Santiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis ob ſuam incapacitatem, & ruſticitatem; affirmo ex Azorio *Tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 6 *quæſt.* 7. Tannc. 2. 2. *d.* 1. *quæſt.* 7. *dub.* 2 *num.* 49. & alijs. Quia Ruſticus ſupradictus, vt ſupponimus, inculpabilem habuit ignorantiam illorum Myſteriorum, ſiuè quia nulla ei vnquam venerit dubitatio de obligatione, ſiuè quia ob hebetudinem ingenij, ea capere non potuerit. Eſt tamen de tam neceſſarius ad ſalutem Myſterijs inſtruendus priúſquam abſoluatur.

24 LABORANTEM verò ignorantia Myſteriorum fidei, & neſcientem ob ſuam culpabilem negligentiam Myſterium SS. Trinitatis,

 & In-

& Incarnationis Domini Nostri Iesu Christi, esse incapacem absolutionis; Affirmo ex communi consensu DD. nec refero rationes hoc probantes, dum Innocentius XI. annò 1679. contrariam opinionem reprobauit, & damnauit.

25 NEC sufficere dicta Mysteria semel credidisse; affirmo ex communi DD. opinione, & ex eodem Decreto supradicti Pontificis à quo contraria opinio, itidem reprobata fuit eodem anno.

CAPVT III.

DE ADVLTERIO.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad materiam de Adulterio.

1 COPVLAM cum Coniugata, etiam consentiente Marito, esse Adulterium, & vt tale debere necessariò aperiri in confessione; Affirmo cum communi Theologorum ob multas rationes, quas hic non oportet adducere, dum contraria opinio damnata fuit ab Innocentio XI. eodem anno 1679.

2 PECCARE mortaliter occidentem, propria authoritate, Vxorem deprehensam in adulterio; assero cum communi DD. & contraria opinio damnata fuit ab Alexandro VII.

3 SI vterque Coniux sit reus adulterij, neutrum posse TVTA CONSCIENTIA ab alio diuertere; etiam in casu, quo alter coniugum, prius v. g. crimen adulterij commiserit, vel sæpius, aut si quis publicè, & alter occultè; assero cum Diana *Part. 3. tract. 4. res. 257.*
qui

qui multos alios citat; Quia Diuortium solum conceditur Coniugi innocenti.

4 Facto diuortio, per sententiam Iudicis, posse, à coniuge innocente, quamdiù ipse statum non mutat, reuocari coniugem nocentem, & quodcumque eius votum irritari; affirmo cum Pontio *De Matrim. lib.9.cap.19 num.3.*& alijs: Nam in tali casu, adhuc remanet in coniuge innocente ius ad se reuocandum nocentem, vt ex comm. DD.

5 EX Adulterio oriri impedimentum dirimens Matrimonium, si nimirum Adulter promittat se illam ducturum mortuo proprio viro; affirmo ex C. significasti, de eo, qui duxit Vxorem, &c.

CAPVT IV.

DE ADVOCATO.

Quid possit, vel quid non possit teneri, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad bene agendum Aduocati munus.

1 NON posse Aduocatũ, TVTA CONSCIENTIA, causam suscipere, quam scit esse iniustã; Posse verò, loquendo de causis ciuilibus, suscipere etiam illam, quæ minus probabilis videtur, dummodò de minore probabilitate admoneatur cliens; Assero cum Eminentissimo de Lugo, Salas, & alijs citatis à P.Busenb.*Lib.4.cap.3.de Offic.Aduocati.dub.3.*Dana *Part.1.tract.13.resol.4.* Quia cum vtraque pars ius habeat ad proferendas suas rationes in iudicio, etiam Aduocatus habet ius patrocinandi, & aliquando experientia docuit non semper esse verius, quod videtur probabilius.

2 POSSE

2 POSSE Aduocatum, TVTA CONSCIENTIA, etiam in causis criminalibus minus probabilius suscipere partes Actoris; Assero cum Sanchez in *Summ. lib. 1. cap. 9. num. 53.* Nauarro *cap. 25. num. 29.* & alijs multis. Quia si Cliens in tali casu potest licitè litigare. Benè, iustè, & licitè poterit Aduocatus in illa eadem causa patrocinari; nam dum probabili ratione ducitur, minimè imprudenter agit, & sic dicendum cum Diana *loc. cit.* sine vlla trepidatione posse Aduocatum tueri opinionem, etsi minus probabilem actoris, etiam in causa sanguinis, aut honoris.

3 ITEM posse, & integrum esse Aduocato, non solum in causa probabili, sed etiam in causa dubia (si pars de hac dubietate admoneatur) TVTA CONSCIENTIA, patrocinari; affirmo cum Diana *loco citat. resol. 6.* qui pro se citat Diuum Antoninum, Syluestrum, Nauarram, Malderum, & alios. Quia Aduocatus in tali causa patrocinando, nec sententiam profert nec cogit Iudicem illam proferre, sed solùm proponit ea, quæ sui Clientis ius confirmare possunt, & ea proponere Iudici in causa dubia non solùm non est iniustum, sed iuuat, vt à Iudice melius causa expendatur.

4 SICVTI posse etiam Aduocatum, TVTA CONSCIENTIA, in causa criminali partes Rei, etiam nocentis suscipere, & illum defendere vt pœnam euadat: Teneo cum Bonac. in præc. *Disp. 10. quæst. 3. punct. 4 num. 7.* Quia cum Reus non teneatur ad pœnam, nisi conuictus, potest per se, vel per alium, eam auertere, donec conuincatur.

5 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, Aduocatum defendere etiam articulum iustum causæ

causæ iniustæ, & teneri ad restitutionem, si sic aduersarium vexando impediat causæ expeditionem. Teneo cum Trullench. *Li. 8. cap. 5. dub. 3. num. 5.* qui pro se citat Caietanum, & Syluestrum; Quia in hoc casu Aduocatus censetur defendere causam iniustam.

6 SICVTI non posse Aduocatum, TVTA CONSCIENTIA, cum Cliente conuenire de pretio post inchoatam litem, sed debere hoc facere, ante cæptam, vel post finitam litem, ne postquam cliens ostenderit sua instrumenta cogatur quolibet pretio stare ne prodatur. Sic nec illum posse pacisci de parte aliquota, scilicet de dimidia, tertia, vel quarta parte litis; Asserò cum comm. DD. quia id grauiter prohibetur *l. assumptus ff. de pactis. l. si quis Cod. de post.* Ne præbeatur occasio per fas, & ne fas procurandi victoriam.

7 ADVOCATVM peccare grauiter, & teneri ad restitutionem, si causas plures acceptet, quam expedire possit, & sic eas cum præiudicio clientum differat postponat &c. Affirmo cum Bonac. in *Prac. disp. 10. quæst. 3. puncto 4. num. 16.* qui alios pro se citat, Layman. *Lib. 1. tract. 1.* cap. 5. Quia in tali casu facit contra proprium officium cum detrimento aliorum, dummodò Aduocatus non acceptet plures causas scientibus, & consentientibus ipsis clientibus, nam tunc, vt benè notat idem Bonacina, excusari posset Aduocatus eas acceptando; quia scienti, & volenti nulla fit iniuria.

8 ADVOCATVM posse, TVTA CONSCIENTIA, esse Iudicem in causa, in qua fuit Patronus, & posse iudicare in Conscientia, etiam altera parte inscia, asserò cum Corduba, in *Sum. 9. 259.* dummodò passiones inordina-

dinatas exuat; Quia *l. Prator ff. de iurisdict. omnium iud.* quæ id prohibet, fundatur in præsumptione affectionis erga talem causam, & sic videtur procedere tantum pro foro exteriori.

9 ADVOCATVM, antequam suscipiat causæ patrocinium teneri examinare eius æquitatem, & probabilitatem, eamque indicare sincerè clienti, quod si facere neglexerit, & perdendæ causæ periculum ei non patefaciat, quo cognito cliens non esset litigaturus, & multò magis, si dicat clienti eum minimè posse cadere, si postea cadat, teneri Aduocatum ad restitutionem; affirmo cum P. Hermanno Busenb. de *Offic. Aduocat. lib. 4. cap. 3. num.* 4. & Bonacina *Tom. 2. de Præcept. decal. disp. 2. quæst. 4. punct.* 1. *num.* 16. Quia in hoc casu Aduocatus censetur iniusta causa damni illati clienti.

CAPVT V.

DE ALIMENTIS.

Quid possit, vel non possit fieri TVTA CONSCIENTIA in quibusdam pertinentibus ad materiam de præstandis Alimentis.

1 DEBERI Filio, Alimenta, & si ei negentur soluendas esse illi impensas litis, affirmo ex *l si longius §. fin. ff. de iudicijs*, & cum Molina de *Primoger. cap. 17. num.* 36. Menoch. *lib. 1. præsumpt.* 125. & multis alijs; quia aliter opibus destitutus, omninò succumberet liti.

2 NON deberi impensas litis filiæ renunciantí, si lis sit de ipsa renunciatione, affirmo cum de Benedictis in *cap. Rainutius V.* duas habens

bens *nu.* 249.*de testam.* Quia præsumitur contra renunciantem.

3 NON posse Filium renunciare Alimentis sine decreto Iudicis,& causa non cognita, affirmo ex *l.cum his de Transact. l. de Alimentis C.eodem,* Felin. in *cap.Si diligenti,num.* 150. *de Foro compet.* & cum Cordub. in *l.Si quis à liberis,§.si parens n.* 24.*de lib. agn.* Nam esset velle mori, vel mendicare contra decorem status.

4 POSSE TVTA CONSCIENTIA,alienari Fideicommissum pro alimentis, non solum quando Fideicommissarius non esset pia causa, sed etiam quando Fideicommissum esset ad pias causas;affirmo cum Tiraquell.de *Priuil. piæ causæ* 102.*in fin.*Peregrin.*de Fideicomm. ar.* 62.*nu.*86.*in fin.*Roman.*Cons.*267. Quia,etiam causa Alimentorum est pia.

5 LEGANTEM victum,intelligi legare etiam alimenta;affirmo ex *l.in fin. l.alimenta ff.de alimen.& cib.leg.*Surd.*de aliment.tit.* 2.*quæst.* 2. *num.*6.

6 VENIRE nomine Alimentorum omnia necessaria ad statum,victum,vestes,habitationem,seruos,&c.affirmo ex *l.legatis,ff. de alim. & cib.leg.gl.in l. cum hi §. qui transigit,ff. de transact.*Rebuf.*in l.verbo victus* 43.*col.*2.*in medio de verb.signif.* Rolan.*lib.*1.*cons.*22.*num.* 1. & alijs;Nam ex *cap.nobis de Iure Patron.* sine supradictis nequit quis sustentari in suo statu.

7 SI amittantur à Filio Alimenta ei assignata à Patre sine culpa eiusdem Filij, teneri Patrem iterum illi dare, & assignare alia Alimenta;affirmo ex *l.etiam,§.fin.ff.sol.matr.*Surd. *de Alim.tit.*6.*quæst.*2.

8 SPVRIO esse danda alimenta tantùm ad leuan-

leuanda indigentiam: affirmo cum Cafsan. *Conſ.num.* 11. Barbo.*in l,1.pag.4.nu.64.ff.ſol. matrim.*

9 NON præferri filium creditoribus anterioribus in bonis paternis in petendo alimenta, dummodò filius petens prædicta alimenta non ſit conſtitutus in extrema neceſſitate; affirmo cum Bart.in *l.Creditor qui prior 12.ff. qui pot.in pign.* & alijs. Imò nec pro alimentis ipſis,filium habere hypothecam in bonis Patris, affirmo cum Cordubenſ.in *l.ſi. quis à liberis.* §. *idem reſcripſit.num 81.de lib. agnoſc.* & alijs; Quia ſi pro legitima filius non præfertur creditoribus,nec hypothecam habet in bonis paternis, nec etiam pro alimentis creditoribus debere eum preferri,& hypothecam habere, docet Afflict.*Deciſ.162.nu.4.*

10 MATREM teneri in conſcientia vſque ad triennium alere filium, affirmo ex *l. nec filium C.de patria poteſt.* Deinde teneri eamdem Matrem alere filium ſi pater deficiat, *l.nec filium, ff.de patr.poteſt.l.ſi quis à liberis.5.§.vtrum ff. de lib.agnoſc.*

11 NON teneri Patrem alere filium qui habet vnde viuat,affirmo ex *l. ſi quis à liberis,§. 1.ff. de lib.agnoſc.l.ſed etſi certas ff. de ventr.in poſſ. mitti;* Quia tunc ceſsat finis legis in caſu particulari.

12 NON teneri Patrem alere filium ſi experitur illum ingratum, affirmo cũ communi DD. quia ſi poteſt ex cauſa ingratitudinis illum exhæredare, poteſt etiam ex eadem cauſa, ei alimenta negare.

CAPVT VI.

DE ANTEPHATO.

Quid tenendum TVTA CONSCIENTIA in quibusdam pertinentibus ad materiam de Antephato.

1 MEDIETATEM deberi Viduis illius Antephati, quod datur Virginibus, iuxta qualitatem Dotis: affirmo cum D. Francisco Verde, verè pio, ac docto Viro, in *Tyroc. tit. de Antephato lemm.* 76. *num.* 1151.

2 DEBERE Patrem dare Antephatum pro filio, affirmo cum Mastrillo *Decis.* 46. *fin.*

3 ANTEPHATVM non deberi ex Fideicommisso, de quo non debetur Dos; affirmo cum supradicto Domino Verde in *dicto titulo lemma* 78. *num.* 1159. & sic non deberi ex Fideicommisso facto ex transuersalibus, qui non tenentur dotare, docet Molina *de Primog. lib.* 4. *c* 16. *num.* 2. & 6. sicuti è contra deberi ex bonis Fideicommisso facto ab ascendentibus ex linea recta, habetur ex *Author. Res, quæ*, ibi: *Sed si liberis portio legitima non sufficit ad Dotis, siue propter nuptias donationis obligationem, permittitur res prædictas, in eam causam alienare, vel obligare pro modo honestati personarum congruo. C. comni. de leg.*

4 SI Matrimonium non sit consummatum, Mulierem lucrari medietatem Antephati; affirmo cum Franch. *Decis.* 503. Gam. *Decis. Lusit.* 124. Quia hoc illi debetur propter oscula. Nisi per mulierem steterit, ne vir eam cognosceret, nam tunc nihil ei est dandum, vt docet Napod. in *Consuet. Quartam autem numero* 37.

5 ANTEPHATO non soluto ex mora, deberi vxori interesse ad rationem quinque pro centenario, affirmo cum Gram. *Decis.* 65. Franc. *Decis.* 217.

CAPVT VII.

DE APPROBATIONE.

Quid asserendum TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam casibus pertinentibus ad supradictam materiam.

1 REGVLAREM approbatum ad audiendas Confessiones in vna Diæcesi, nec & subditorum Episcopi prioris, à quo fuit approbatus, affirmo ex Bulla Clementis X. qui sic stabiliuit declarando Concilium Tridentinum.

2 SICVTI etiam approbatum ab Episcopo ad audiendas confessiones sæcularium, non esse approbatum ad audiendas confessiones Monialium, sed indigere speciali licentia; affirmo ex eadem Bulla.

3 APPROBATIONEM ad audiendas confessiones semel concessam, & non ad tempus, durare semper, & quandiù non reuocetur, & non extingui morte concedentis; affirmo cum Filliucio *Tractatione* 7. *de Sacram. Pœn. cap.* 19. *num.* 262. & alijs; Quia talis approbatio non solùm est gratia, sed potiùs declaratio iuridica, quæ retinet viam suam, quamdiù non reuocetur.

4 IN dubio an reuocatio facultatis audiendi con-

confessiones facta sit ex iusta causa, præsumendum esse pro Prælato: affirmo cum Cardinali de Lugo *de Sacram. Pœnit. disp.* 21. *sect.* 3. *numer.* 67. Nam Prælatus multa nouit, quæ subditos latent, propter quæ necessè sit iterum Confessarios ad examen vocare, sicut autem, vt inquit idem Lugo, consulendum est Prælatis, ne propter insufficientiam aliquorum, imponant omnibus onus, sic Subditis, & maximè Religiosis, honestissimum, & consultissimum est, Prælatorum intentioni se promptos, & faciles exhibere.

CAPVT VIII.

DE ASTROLOGIA.

Quid asserendum TVTA CONSCIENTIA in quibusdam ad hanc materiam pertinentibus.

1 NON posse Astrologos, TVTA CONSCIENTIA prædicere aliquid euenturum ex rebus ab humana voluntate pendentibus, etiam si protestentur se non certò id affirmare; assero ex Bulla Sixti V. quæ damnat omnes exercentes Astrologiam iudiciariam.

2 LICITVM esse per Astrologiam prædicere, quæ ex naturalibus causis, absque libero arbitrio, proueniunt, vt Infirmitatem corporis, aeris serenitatem, &c. Sicut etiam licitum esse conijcere inclinationes, & propensiones hominis, quæ ex corporis temperamento, & humoribus, salua libertate arbitrij, procedunt.

Quare



Quare, & posse Astrologos dum efformant natiuitates, TVTA CONSCIENTIA, prædicere illum talem esse inclinatum ad iram, v.g. vel ad alia; quin etiam ad hæc vel illa studia, sanitatem, infirmitatem, & similia, dummodò nihil affirment necessariò euenturum, nec vllam imponant libero arbitrio necessitatem; affirmo cum D. Thoma *Opusc.* 2. ad Reginaldum, Caietano, Candido, Rodriq. & alijs multis. Quia hoc non prohibetur in supradicta Bulla Sixti V.

3 ILLICITVM tamen esse, adeòque non posse TVTA CONSCIENTIA prædici vllos effectus liberos, & affirmari tanquam certos illos effectus ad quos datur inclinatio; assero cum Suarez, Sanchez, Filliuc. & communi. Quia talibus potest liberè resisti.

4 Sicuti non licere Astrologos iudicare, à quo fuit furtum commissum? v. gr. aut in quo loco reperiatur res perdita? sic nec alijs dicere de talibus rebus illos interrogare; affirmo ex *cap. ex tuarum de sortilegijs*. Nam nequeunt hæc cognosci per hanc scientiam.

CAPVT IX.

DE BAPTISMO.

Quid tenendum TVTA CONSCIENTIA in quibusdam selectioribus Conscientiæ Casibus pertinentibus ad materiam de Baptismo.

1 PECCARE mortaliter tum Parentes, tum Tutores, si absque necessitate, differant Baptismum Infantium vltra duodecim dies; assero cum Leandro *Tract.* 2. *de Sacr. Bap. disp.* 1. *quæst.* 14. Soto in 4. *Dist.* 5. *quæst. vnica art.* 3. P. Henriquez *Lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 3. & alijs, quia

quia intra tempus supradictum regulariter loquendo, Infantes commodè possunt portari in Ecclesia, & mergi in aquam, sed sic est, quod Parentes, & Tutores sub pœna peccati mortalis tenentur illos baptizare, quàm primum commodè possunt, ne alias exponant eos, sine necessitate, periculo damnationis, ergo, &c.

2 SVFFICERE ad Baptismum duas guttas aquæ, aut vnam si ministretur tempore mortis; affirmo cum Diana *Part.5. tract.3. res.5.* nostro P. Hurtado de *Sacr. Bapt. disp.1. difficul.6.* & alijs; Quia ex opinione probabili in tali administratione Sacramenti; nulla ei fit iniuria, & moribundo datur remedium, eo modo, quo dari potest, si v. gr. alia quantitas aquæ non adesset.

3 AQVAM ex sale resolutam, esse materiam sufficientem ad Baptismum, aiunt Bonacina *Disput. de Sacram. disp.2. punct.3. nu.4.* P. Henriquez *Lib.2. cap.6. num.* 1. & communiter alij; Quia sal efficitur ex aqua maris, vel putei salsi congelata sole æstiuo, ergo liquefacta, & resoluta, erit apta materia ad abluendum, & sic ad baptizandum.

4 AQVAM resolutam ex gelu, niue, aut rore Cœli, esse materiam sufficientem ad Baptismum, tenent supradictus Henriquez *citato lib.* 2. *cap.6. num.1.* Bonac. *loco cit.* & plusquam viginti DD. quos citat, & sequitur Leander *loc. cit. quæst.6.* quia aqua ex prædictis resoluta, verè est aqua.

5 NON tamen esse materiam aptam Baptismi aquam, quæ distillat ex vite, vel aliqua arbore; Docent Henriquez *Lib.2. cap. 6. num.2.* Filliuc. *Tract.2. de Sacram. Bapt. c.3. n.26.* Diana 3. *p. tr.4. res.5.* & alij multi, quia ille humor non est aqua naturalis, sed substantialiter succus.

6 ESSE validum Baptiſmum, ſi manu, aut arte Obſtetricis, mittatur aqua ſuper ipſum Infantem, adhuc in vtero matris exiſtentem, docent Diana *Part.5. Tract.3. Reſ.12.* P. Ioannes Præpoſitus in 3. *Part. quæſt. 66. artic. 8. dub.3. num.91*, Leander *Tract.2. de Sacr. Bapt. diſp.2. quæſt.21.* & alij multi, & eſt communis, quia in caſu prædicto nihil deeſt ad valorem Sacramenti, ſi forma adhibeatur, vt patet.

7 SVFFICERE ad validum faciendum Baptiſmum, ſi ſolum capilli abluantur aqua; Tenent Filliucius *Tract. 2. de Sacram. Baptiſmi, cap.3. num.32.* Pater Henriquez *lib.2.cap.7.num.7.* & quamplures alij, inter quos Caſtro Palaus *Tract.19. quæſt. vnica, puncto 4. num.8.* Quia homo ablutis capillis, moraliter dicitur ablutus capite, quod ſufficit ad Baptiſmum, & eò magis, quia capilli verè ſunt pars hominis, & ſecundum Ariſt. vegetant, & viuunt.

8 VALERE Baptiſmum ſi ſolus pes, aut digitus Infantis fuerit ablutus, docent Vaſq. in 3. *part.diſp.145. cap.4.* Nauarrus in *Manuali c.22. num.7. in fine.* Leander *Tract.2. de Sacram. Baptiſmi diſp.2. quæſt.251.* & alij apud ipſum, quia per ablutionem cuiuſcumque partis, etiam minimæ, vt digiti v.g. denominatur homo ſimpliciter ablutus, ſicut dicitur vulneratus, in quacunque parte vulneretur.

9 BAPTIZATVM, cuius tantum, vel capilli, vel manus, vel pes, aut digitus eſſent aqua aſperſi, poſſe cum conditione rebaptizari, imò & debere, affirmant Suar. in 3. *part. quæſt.66. Diſput. 20. ſect.2.* Diana, Sotus, Nauarrus, & quamplures alij, teſte Leand. *loc. cit. qu. 27.* & habetur in Ritualibus Eccleſiaſticis, & ſic præcepit Clemens VIII. obſeruari; quia per probabilitatem ſententiæ contrariæ, licebit rectè

ſic

ſic rebaptizari, ſub conditione, dictus infans.

10 QVAMVIS neceſsaria ſit ſimultas in prolatione formæ, & ablutione, non tamen eſse neceſsarium, quòd ſit talis iſta ſimultas, quod antequam ablutio aquæ finiatur, incipiant verba, vel è contra, antequam finiatur forma, incipiat ablutio, ſed ſufficit, quod finita ablutione proferantur verba, aut finitis verbis, fiat ſtatim ablutio; affirmant Pater Henriquez *Lib. 1. cap. 9. num.* 10. *& lib. 2. cap. 9. num.* 1. Layman. *Lib. 5. tract. 2. cap. 7. num.* 8. & alij multi, quia ſic cenſentur ſimul moraliter eſse forma, & ablutio.

11 PECCARE mortaliter non Sacerdotem, qui extra neceſſitatem, etiam ſi abſque ſolemnitate baptizet, affirmant Bonacina *Diſput. 2. quæſt. 2. punct. 5. num. 9.* Filliucius *Tract. 2. de Sacrament. Baptiſ. cap. 4. num.* 82. Suarez in 3. *part. Diſp. 31. ſect. 4.* Vaſquez *Diſp. 147. cap. 5.* & ante omnes iſtos S. Thom. *Quæſt. 67. art. 3.* & quamplures alij; Quia in re graui hic faceret contra prohibitionem Eccleſiæ.

12 CONIVGEM baptizantem filium in neceſsitate, & etiam ſi ſint alij, qui eum baptizare poterant, non manere priuatum iure petendi debitum, docent Suarez in 3. *part. quæſt. 67. art. 8. pag. 257. lit. A.* Diana 3. *part. tract. 4. reſ. 3.* Coninch. *Diſp. 34. dub. 8. num. 69.* & alij, etſi in caſu, quo eſsent alij, qui baptizare poterant, eum peccare mortaliter, aiunt ſupradicti Auctores, & ratio, quòd non priuetur iure petendi debitum eſt, quia ex nullo tex. aut Iure probari poteſt manere priuatum Patrem tali iure petendi debitum, ſi in ſupradicto caſu neceſſitatis baptizet proprium filium.

13 ESSE reiterandum Baptiſmum ſub conditione, vbi ſunt rationes probabiles ex vtraque

parte, neque quidquam certi constat. Docent DD. quamplurimi ex *Can. Presbiteri*, §. *quod ergo 68. dist. can. paruulos*, & *can. Placuit de Consecrat. dist.* 4. Vbi hæc habentur verba: Nisi ipsi aut certissimò testes eos esse baptizatos, sine dubitatione testentur, ne ea trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione priuari, & in *Can. si nulla de Consecr. dist.* 4. affertur hæc ratio: Quia nimirum non interuenit temeritas præsumptionis, vbi est diligentia pietatis.

14 SI non adhibeatur diligentia, an ritè baptismus collatus sit, etiam si iteretur sub conditione (si non es baptizatus ego te baptizo) incurri irregularitatem à tali modo conferente illum; affirmo cum Suarez in 3. *Part. quæst.* 61. *disp.* 31. *sect.* 6 *dub.* 1. & 2. loquendo de irregularitate, quoad ordines non susceptos, & est comm. teste ipso Suarez, & habetur in Catechism: Rom. *de Baptismo cap. de Effectibus Baptismi. Numero* 57. & *lib.* 3. *decret. de Baptismo.* Quia eatenus licet rebaptizare sub conditione; quatenus adsit dubium vel facti, vel iuris de Baptismo iam collato *cap.* 2. *de Baptismo*; ergo si cessat eius modi dubium, quod vtique cessare necesse est, cum nulla in tali casu adhibita sit diligentia, an ritè Baptismus collatus sit, locum habet pœna irregularitatis contra rebaptizantes *Can. eos qui de Consecr. dist.* 4.

15 SOLEMNITATES Baptismi, Catechismi, & Exorcismi, propter vrgentem necessitatem omissas, ea cessante necessariò supplendas esse; affirmo cum S. Thoma 3. *part. quæst.* 71. *Art.* 3. *ad* 3. Layman. *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 10. Bonac. *Disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 7. *num.* 18. & alijs quamplurimis. Quia ex doctrina Innocentij III. Pontif. in *cap.* 1. *de Sacram. non iterand.* habentur

bentur hæc formalia verba: In talibus nihil est iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerit prætermissum. Eadem ratione, igitur, si non ex negligentia, sed ex angustia, temporis vrgente necessitate, aliquid prætermissum fuerit, supplendum erit.

16 NON Sacerdotem conferentem Baptismum in necessitate, dum adest Sacerdos qui possit illum conferre, peccare mortaliter, affirmo cum Filliucio. *Tractatione 2. de Sacram. Bapt. cap. 4. num. 82.* Coninch. *Quæst. 97. dubio 2. num. 18. mihi pag. 85.* & alijs quamplurimis. Quia Ministri huius Sacramenti sunt tam Parochus, quã Sacerdos ex officio, & institutione.

17 NON esse necessarium adhibere Patrinum in collatione non solemni Baptismi conditionati, assero cum Layman *lib. 5. tract. 2. cap. 9. num. 5.* P. Henriquez *Lib. 2. cap. 18. in fine.* Sanchez *de Matrim lib. 7. disput. 62. num. 14.* Suarez *Quæst. 67. art. 8.* Qui cum asserant non esse obligationem adhibendi patrini in Baptismo absolutè non solemni; à fortiori nec esse necessarium illum adhibere in Baptismo conditionato etiam non solemni eorum doctrina, probare debet. Cuius dicti hæc ratio potissima esse potest, quia nimirum, cum hic ritus institutus sit pro vero, absoluto, & certo Baptismo; Cõditionatus autem non est absolutus, & ignoratur an sit verus, & certus; ergo, &c.

18 PATRINOS assignatos à Parentibus in conditionali Baptismo; si non constat de validitate prioris Baptismi, esse verè susceptores, & contrahere affinitatem spiritualem; affirmo cum Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 62. num. 6.* qui alios pro se citat. Quia in tali casu Ecclesia præsumit cognationem, dum non constat de veritate prioris Baptismi.

19 NON posse munus susceptoris gerere in Baptismo puerum carentem vsu rationis; affirmo ex Concilio Trid. *Sess. 24. de refor. cap. 2.* Vbi habetur, quod illi qui eliguntur in patrinos tenentur cognoscere quam cognationem contraxerint, nè ignorantia vlla excusentur. Quomodo ergo puer rationis impos cognoscet has obligationes, & adimplebit?

20 CONIVGEM qui extra casum necessitatis, idest cùm datur copia alterius personæ idoneæ, quæ possit & sciat, & velit Baptizare infantem in articulo Mortis, Baptizantem filium suum legitimum, & naturalem, siuè ex culpabili ignorantia, & negligentia, siue dolosè; contrahere ex sua parte cognationem spiritualem, ita vt, etsi teneatur alteri coniugi debitum reddere, minimè possit petere; affirmo cum Sancto Thoma in 4. *distinct. 42. quæst. 1. artic. 1.* Vbi hæc Sanctus Doctor habet: Quantum ad actum Matrimonij est distinguendum. Quia aut spiritualis Cognatio inducitur causa necessitatis, sicut cùm Pater baptizat puerum in articulo mortis, & tunc non impedit actum Matrimonij ex neutra parte; aut inducitur extra casum necessitatis, ex ignorantia, & tunc si ille ex cuius actu inducitur extra casum necessitatis, diligentiam adhibuit, est eadem ratio, sicut de primo; aut ex industria extra casum necessitatis, & tunc si ille ex cuius actu inducitur diligentiam non adhibuit, amittit ius petendi debitum, sed tamen debet reddere; Quia ex culpa ipsius non debet aliquod incommodum alter reportare; Quam doctrinam Doctoris Angelici sequũtur plusquam 25. Doctores.

21 TAM Patrinum suscipientem puerum in Baptismo, si habet intentionem faciendi, quod facit Patrinus, quam illum Baptizantem si ve-

rè

rè habeant intentionem puerum baptizandi, etiam si nollent ipsi Patrinus & Baptizans contrahere affinitatem spiritualem, verè illam contrahere; affirmo cum Suarez in 3. *part. D. Thom. quæst.* 67. *art.* 8. *dub. vlt*, Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 68. *num.* 4. & quampluribus alijs; Quia cognatio spiritualis est effectus intrinsecus, & formalis Sacramentorum Baptismi, & Confirmationis de iure positiuo constitutus, quemadmodum character de Iure diuino; ergo non potest efficax voluntas conferendi hæc Sacramenta vel cooperandi ad illa pro susceptore, separari ab effectu Cognationis spiritualis.

22 VITIARI formam Baptismi, & hunc esse inualidum si dicatur: Ego te Baptizo cum nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; affirmo cum Posseuino *Tract. de Officio curati cap. de Baptis. num.* 18. & alijs; Quia, cum ex Diuo Thoma, 3. *part. quæst.* 66. *art.* 5. *ad primum*, & Palud. in 4. *Dist.* 3. *quæst. vnica*; & alijs, Omnia, & singula verba consuetæ formæ à Christo Domino prolatæ illis verbis, à D. Matthæo relatis *cap. vltimo ad finem*; idest Baptizantes eos, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, sint de essentia formæ Baptismi, præter, ego, & Amen, & sic cum in prædicta forma, loco particulæ, In, ponatur particula Cum, destruitur illius essentia, quia deest, In, quod est vnum de verbis essentialibus eiusdem formæ, vt dictum est; Ad quod confirmandum accedit doctrina Gualdensis, qui ait in prædicta forma, Baptizo te cum nomine Patris, &c. non fieri sensum verum formæ, nam per omissionem præpositionis, In, videtur significari instrumentum ablutionis esse nomen Sanctissimæ Trinitatis, Patris,

 & Fi-

& Filij, & Spiritus Sancti, non autem aquam.

23 ESSE validam Formam Baptismi, in qua diceretur: Ego te Baptizo in nomine Patris, Filij, Spiritus Sancti, relinquendo illas particulas coniunctionis (&) affirmo cum Layman. *Lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 5. qui dicit esse communem sententiam. Filliucio *Tract.* 2. *de Sacram. Bapt. cap.* 4. *num.* 63. & alijs; Quia ex supradicto Decreto Eugenij IV. in Concilio Florentino, ad formam essentialem Baptismi non aliud requiritur, nisi declaratio actionis Ministri, & personarum Sanctissimæ Trinitatis, quarum nomine fit Baptismus, sed vtrumque reperitur in supradicta; ergo &c. Fauet quam maximè huic opinioni epistola Sancti Ioannis *cap.* 5. vbi hæc habentur verba: Tres sunt qui testimonium dant in Coelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.

24 SI Baptismus fuerit collatus cum magna verborum interruptione aut interpolatione inualidum esse Baptismum, secus vero si cum parua, puta tussis, aut interpositione sermonis, vt si dicatur à baptizante; post illa verba: Ego te baptizo, fuge hinc, vel Dominus tecum, & similia; affirmo cum D. Thom. *Quæst.* 60. *art.* 8. *ad* 3. Henriquez. *Lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 8. & alijs communiter; Quia per hanc paruam interpolationem, neque interrumpitur oratio, neque sensus formæ, neque intentio proferentis.

25 BAPTIZANTEM in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ac intemeratæ Virginis, bona fide, ac ex quadam animi simplicitate, & deuotione erga Deiparam, validè baptizare, affirmo cum D. Thoma 3. *part. quæst.* 60. *art.* 8. Henriquez, Suarez, Coninch. & quamplurimis alijs, quos citat, & sequitur P. Dicastill.

Tract.

Tract. 1. de Sacrament. in genere disp. 1. num. 159. qui omnes docent: Sacramentum sub talibus verbis administratum, valere, si solum intendatur intercessio B. Virginis, vt supponitur in casu nostro. Secus verò esset, si significaretur in simili modo baptizandi, æqualiter concurrere Deiparam cum Sanctissima Trinitate, quia in hoc casu, forma mutaretur substantialiter, in priore verò, tantùm accidentaliter.

26 PIAM fœminam Baptizantem quemdam puerum ex necessitate, si dum illum Baptizat abluendo eum aqua, dicit, ex quadam pietate, & bona fide: Ego te Baptizo in nomine Patris, Ego te Baptizo in nomine Filij, Ego te Baptizo in nomine Spiritus Sancti, validè Baptizare, affirmo cum eodem Disticall. *tom. 1. de Sacram. tractat.* 2. num. 69. & alijs. Quia quod continet forma implicitè, potest proferri verbis explicitè, sed forma Baptismi continet tacitam professionem beneficij, quod deriuatur per Sacramentum in baptizatum à Patre Filio, & Spiritu Sancto; ergo hoc exprimere in forma non reddet irritum Sacramentum.

CAPVT X.

DE BARONIBVS.

Quid possit, vel non possit fieri, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus Conscientiæ Casibus pertinentibus ad Barones.

1 CVM, vt supponimus ex D. Thoma 1. 2. *quæst.* 90. *artic.* 4. à Legislatoribus, etiam ciuilibus, &

æcularibus magiſtratibus, poſſint condi leges obligantes ſubditos, etiam ſub culpa mortali, ſi ita velint, & materiæ grauitas permittat, nam hoc tributum fuit illis, tanquam Dei miniſtris, à quo poteſtatem acceperunt, iuxta illud *Sap.6. Audite Reges, &c. Quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis*, ideò ſpecialiter, in hoc capite, ſæpe vtimur pro confirmandis ſententijs, Legibus, & Pragmaticis, in quibus Reges videntur; & Voluiſse ſubditos obligare ad culpam grauem, quia in eis vtuntur illis verbis, Præcipimus, Mandamus, Prohibemus, Teneantur, Nemo poſſit, &c. in quibus non conſilium, ſed præceptum contineri clarè videtur, & materia, quæ præcipitur grauis eſt, & in ſe nudè ſpectata, & ratione circumſtantiarum; & finis. Igitur Non poſse Barones, TVTA CONSCIENTIA, ſub prætextu Conſuetudinis, vel Præſcriptionis, etiamſi eſsent longiſſimæ, dummodò, non pertingant ad centum annos prætendere famulatus, & ſeruitia; affirmo cum Capiblanco *Pragm.16.num.15.& ſeq.* Quia vt inquit ipſe, ſeruitia non debita à Iure, ſemper præſumuntur per vim à Dominis extorta, cum ſeruitia, ſiuè perſonalia, ſiuè regalia, & ſubiectiones non poſsunt præſumi liberè, conceſsæ Dominis, contra Ius naturale libertatis, adeoque præſumuntur extorta ipſo Iure, & murmuratio Populi tacita impedit poſseſſionem, ac præſcriptionem.

2 TENERI Baronem relaxare partem de prouentibus ciuilibus ſuis ſubditis; affirmo cum eodem Capiblanco *loco cit.* ſic enim ſancitum eſt, & ſeruat Magna Curia huius Regni quotidie.

3 TENERI Barones ſuccurrere Vaſsallis in

corum

eorum damnis, & periculis, quod si non fecerint, teneri in eorum animæ iudicio, ad restitutionem, tam diuino, quam naturali, & positiuo iure; affirmo cum eodem Capiblanco *Prag.3. de Baron. núm.7.* Quia vt inquit ipse citans pro se multos, ad hoc Barones tenentur iure Diuino, adducendo illa verba D. Pauli: Qui suorum, & maximè domesticorum curam, & defensionem non præstat, est infideli deterior; Ex eo, quia sub hac lege, & conuentione magistratus primitùs datus, & acceptatus fuit, vt talem curam gererent, & tale Ministerium Populis præstarent. Et vt clariùs inquit ipse Capiblancus ex Tiraquell. & alijs, Potestas supra Vassallos, ideò Baronibus tributa fuit, vt diligentiùs ipsi protegerentur ab eorum Baronibus in pace, &c. non autem ad opprimendos subditos, & sanguinem emungendum.

4 TENERI Baronem curare, vt Officiales sui sindicentur finito officio; affirmo cum comm. DD. nam ad Baronem spectat ex officio cura, vti patrem, & protectorem suorum ciuium, vt damna illata suis ciuibus ab Officialibus suis resarciantur oppressis.

5 BARONES etiam priuilegiatos non posse, TVTA CONSCIENTIA, facere compositiones cum suis Vassallis in aliquibus criminibus, nisi ex conuentione libera, & non extorta metu carceris, & tormentorum; affirmo cum multis DD. vt habetur *l.3. ff. ad legem Iul. repetund. l.1. C. si per vim.*

6 QVAMVIS Baronibus per literas arbitrales in Regno communicata sit potestas, & facultas componendi, transigendi, & remittendi; Tamen hoc fieri ab ipsis non posse, TVTA CONSCIENTIA, sine causa; affirmo

cum Capiblanco multas leges, & DD. pro se adducente. Quia cum hæc facultas, & concessio communicata sit a Principe, Baro utens illa, non debet excedere fines ipsius Concessionis quæ causas requirit, &c.

7 NON posse, TVTA CONSCIENTIA; Barones, etiam supradicto modo priuilegiatos, in delictis atrocioribus, dolosis, mali exempli, & scandali, vt sunt illa quæ numerantur a Claro *quæst.* 1. *num.* 9. Nimirum raptus virginum, sacrilegia, latrocinia, incestus, falsitates, & similia delicta, quæ loco citato à Claro adducuntur, pœnam temperare, & illam pecunijs compensare; assero cum eodem Francisco Capiblanco *Prag.* 6. *num.* 25. Ne detur ansa talia atrocia delicta faciliter committendi.

8 CAVSAS licitè faciendi Compositiones à Baronibus, qui habent litteras arbitrales esse: Primò cum quis veluti per imprudentiam delinquit, & non dolosè. Secundò, si non appensatè, sed in rixa. Tertiò, si non sit homo solitus delicta perpetrare, nisi delictum sit atrocissimum. Quartò, si delictum sit de leuioribus. Quintò, si delinquens habeat multos filios, & sit pauper. Sextò, si incerti sint delinquentes. Septimò, si delinquens sit in minori ætate. Octauò, si delinquentes sint mulieres. Nonò, si delinquentes sint insignes in arte. Decimò denique, Probationes meritorum, Prouocationem aduersarij, Dormientis delictum, Furorem, Ignorantiam, Ebrietatem, Iram, Probitatem ante actæ vitæ, Casum, Officium, & alias multas esse causas licitè, & iustè miserendi, & componendi; Assero cum multis DD. & ex multis constitutionibus pragmaticis, & legibus quas fusè citat idem Capibl. in *Pragm.* 6.

9 CVM

9 CVM solitò delinquere, & quietem publicam perturbante, non posse fieri Compositionem, TVTA CONSCIENTIA; assero cum D. Thoma, & multis alijs DD. apud eumdem Capiblancum *loc. citat.* Quia vt ait ipsemet Capibl. si talibus tribueretur misericordia, & delicta venderentur à Baronibus, Barones ipsi assimilarentur bestijs Apocalypsis; Nam quis negabit, quod peccata, quæ illi reiterant, supra dorsum Superioris fabricantur? Nam non vindicans dat audaciam iterandi flagitia, & maiora committendi.

10 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, regulariter Barones post sententiam componere, & relaxare pœnam; assero ex *l. Iudic. postquam ff de re iudic.* Quia post datam sententiam Baro, & Iudex functi sunt Officio suo, & solius est Principis commeatum, remeatumque dare, vt ait *textus l. relegati ff. de pœnis in fine.*

11 BARONES teneri de omissione, si non aduertant, & non curant aduertere quomodò regnant, & gubernent sui officiales, affirmo cum Andr. *cap. Imperiali, § præterea nu.* 40.

12 Posse Baronem, TVTA CONSCIENTIA, stante remissione Partis, guidare (vt dicunt) vassallum qui nollet comparere in Iudicio; vel si se præsentauerit, posse Baronem supersessorium rescriptum concedere cum cautione de se præsentando ad omnem ordinem; affirmo cum Francisco Capiblanc. & comm. Quia dum habent potestatem indulgendi; poterunt ea vti Barones in casu supradicto, nimirum stante remissione Partis.

13 POSSE Barones, TVTA CONSCIENTIA, aggratiare Vassallos; etiam non existente partis remissione in quibusdam casibus, vt sunt in casu prouocationis, simplicis insultus, seu

diffidæ cum euaginatione, vel delatione armorum prohibitorum, si tamen sequutæ non sint vulnerationes aut percussiones; Affirmo ex Claro *quæst*.59. & alijs. Quia in supradictis casibus cum nullus possit considerari interesse Partis, nec iniuria rei, non requiritur Partis remissio.

14 BARONES teneri in conscientia, seruare Pragmaticas, & leges latas respicientes commune bonum subditorum; affirmo cum communi DD. quos citat, & sequitur Capiblancus in *Rubr. num*.108. Quia leges, & sanctiones supradictæ, sunt fundatæ in iure naturali, & præceptis diuinis, & respiciunt commune subditorum bonum, & publicam vtilitatem, & Vassallorum releuamen, adeoque, vt inquit idem Capiblanc. obligant Barones ad eorum obseruantiam semper, & ad semper.

15 BARONEM habere vsum alicuius partis, aquæ etiam si hæ sint demaniales Vniuersitatis, vel ex priuilegio, vel ex præscriptione, si fluant, & sint in suo Feudo; affirmo cum Cepoll. *tit. de Seruit. aquædu. &c.* Quia cum Baro sit ciuis, & primus ciuis, debet frui, & ipse vsu illarum rerum, quæ sunt propriæ Vniuersitatis, & demaniales.

16 NON tamen posse Barones habere vsum, nec potestatem super aquas priuatas, & earum decursus, cuiusmodi sunt illæ quæ nascuntur in Fundis Priuatorum; affirmo cum Vrsill. *Decis*. 338. *Alleg*. 29. & alijs. Quia tales aquæ cum non decurrant à fluminibus, & fontibus publicis, non potuit à Principe inuestiri Baro de illarum dominio.

17 NON posse Vassallos construere Tapetum, Ferreriam, Battenderium, Molendinum, &c. in fluminibus publicis absque permissu

Baro-

Baronis. Quia fluminum, & fontium publicorum ex antiquissima præscriptione supponuntur esse ius quæsitum à Rege, à quo postea fuerunt inuestiti de illorum dominio, in generali concessione feudi, ipsi Barones.

18 NON posse Barones, TVTA CONSCIENTIA, imponere gabellas, Vectigalia, & similia Vasallis; affirmo ex communi DD. nam hoc solius est Principis.

19 BARONES non posse in suo Feudo Nundinas inducere, sed solum posse concedere mercatum; assero cum pluribus DD. apud Capiblancum *Prag*. 8. *part*. 2. *numer*. 51. Quia cum mercatum nihil aliud sit, nisi illud in quo, certa die, in hebdomada conueniunt negotiatores ad emendum, & vendendum, benè potest concedi vel à Barone, vel ab ipsa Vniuersitate, quia hoc est iure gentium licitum, vt ait Bal. *leg*. 1. *C. de nundinis*, dummodò non sit in præiudicium aliorum habentium mercatum, vel Nundinas in Conuicinio. Ratio verò, quod non possit Baro concedere Nundinas, est, quia talis concessio est de regalibus, cum ratione Nundinarum, multa debeant concedi, vt sunt præcipuè Iurisdictio separatim, & immunitas à gabellis, & vectigalibus, quorum concessio solum pertinet ad Principem.

20 NON posse Barones, TVTA CONSCIENTIA, sibi vsurpare, nec imponere Vassallis Ius scandaggij, collectandi, & similium; affirmo ex *Pragm*. 6. *part*. 2. *num*. 54. *& pragm*. 16. Quia Barones nullum onus personale, nec reale, vel mixtum inducere possunt vasallis, nisi sit illis concessum per speciale priuilegium à Rege, qui nec talia priuilegia concedere potest, sine causa, contra libertatem vasallorum.

21 NON

21 NON posse Barones, TVTA CONSCIENTIA, quidquam accipere ex Thesauris, qui inueniuntur, siuè in loco priuato, siue publico sui Feudi; affirmo cum Capiblanco *Pragm.* 8. *nu.*57. dummodò in inuestitura facta a Principe Baroni, non dicatur expresè: cum Thesauris, & inuentionibus: Quia talis inuentio est de regalibus. Et vt habetur ex *cap. Regni* 66. de talibus Thesauris cognoscit solùm Regia Camera, vt habetur per Reuert. Gannuer. Moles, & communi vsu recipitur.

22 NON posse sibi Barones vsurpare venas pretiosas lapidum marmorum, & cætera huiusmodi; affirmo cum Capiblanco *loc. citat. num.* 61. Quia vel tales venæ reperiuntur in Feudis priuatis, & tunc dicerentur fructus naturales Fundi, adeoque pertinerent ad ipsum Dominum Fundi; vel reperiuntur in locis publicis, & tunc si specialiter non fuerint concessæ ipsis Baronibus, pertinent ad ipsum Fiscum, cum illæ sint de regalibus.

23 NON posse Barones alterare pretium fidæ solitum solui pro pascendis animalibus Vassallorum, si per annos decem tale pretium vniformiter soluere consueuerunt ipsi vassalli; affirmo cum Afflicto in *Constit. Regni*, *Cum per partes Apuliæ*. Rouitus in *Pragm.* 1. *de Offic.* Baiuli *numer.* 23. Reudel. in *Tract. de Pascuis forestis, & aquis, tit. de Baronum pascuis, pag.* 112. *vers. Vtrum*. Quia solutio fidę, siue ab exteris, siue a Ciuibus facienda sit; secundùm locorum consuetudinem faciendam esse, habetur ex *leg domui prædiorum C. de Agricol. & censit. lib* 11.

24 NON posse Barones, TVTA CONSCIENTIA, exigere a violantibus eorum Banna, quæ prohibebant, ne Vassalli immittant animalia

in

in eorum pascua, maiorem pœnam illam, quam importat fida, & diffida (vt vocant) hoc est illud pretium quod importat medietas fidæ; affirmo cum Afflict. *in Constit. Regni cum per partes Apuleæ*. Capic. in sua *Investitur. feudal. in verb. Feudorum clausulæ in §. fidis*, & alijs permultis.

25 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, Barones cogere Vassallos ad accedendum ad molendina ipsorum Baronum, si in ipsis molendinis, intra viginti quatuor horas molituram frumenti habere non possunt, etiam si alioqui, competeret eisdem Baronibus ius cogendi vassa llos ad molendum; Affirmo cum Nouar. *de Grauaminibus Vassall. quæst.* 61. qui alios citat pro hac sententia. Quia in priuilegijs, etiam præiudicium Tertij considerari debet, & de illo habenda est ratio, itaut semper intelligenda sit ipsorum priuilegiorum concessio, absque præiudicio iuris alterius, vt benè probat Ludouis. *Decis. Rotæ Rom.* 29. *num.* 2. Et multum præiudicium inferretur proximo, vt notat supradictus Nouarius *loc. cit.* si vltra viginti quatuor horas ille cogeretur expectare.

26 BARONES non posse, TVTA CONSCIENTIA, alijs cedere ius prælationis, quod habent in emendo fructus recollectos à vassallis ex eorum feudis; affirmo cum Garzia *Tolet. decis.* 50. *in fin.* Mastrill. *de Magistrat. capit.* 10. *num.* 333. *lib.* 3. Regente de Ponte *Consil.* 72. *num.* 5. *vol.* 2. & alijs. Quia hoc Ius prælationis in emendo est inductum ex æquitate, & cedi non potest, vt habetur ex Gratiano *Discept. Forens. tom.* 1. *cap.* 149. *num.* 11. vbi firmat, prælationem quæ competit Domino non competere conductori. Præterquam quod, vt colligitur ex doctrina multorum Doctorum, in omni

casu,

casu, vbi datur prælatio in emptione rei, intelligitur quatenus pro se velit.

27 BARONES teneri in conscientia, eligere ad regimen Feudorum suorum homines doctos, & prudentes, & qui sciant discernere iustum ab iniusto; assero ex Arg *tex. l. 1. de Iust. & Iu. per cap. Regni 273.* qui incipit; *vt status Reipublicæ*. Quia ad Rempublicam rectè gerendam, & gubernandam nihil aptius inueniri vnquã potuit, nec in futurũ poterit, quàm Magistratus optimi, qui verè sunt propugnacula Ciuitatum, &c.

28 NON posse à Baronibus, TVTA CONSCIENTIA, deputari Officiales in eorum Terris, ad beneplacitum; affirmo cum Præs. de Franch. *Decis. 409. num. 2.* Quia Officiales, de iure communi, debent esse annales, vt habetur ex *l. neminem C. de susceptor. lib. 10.* Et de Iure Regni, ita pariter habetur statutum in constit. quæ incipit: Occupatis nobis, & in *Prag. 5. de Official. Iudic.* & in *Prag. 5. de Baronibus*. Vbi in specie mandatur Baronibus quod eorum Officiales, & Capitaneos eligant per annum.

29 NON posse à Baronibus, TVTA CONSCIENTIA, exigi pœnam à contrauenientibus Bannis, seu præceptis oretenus datis, siue ab ipsis, siue ab eorum Officialibus; affirmo cum Afflicto *in Constit. Regni; si Vassallus nu. 24.* Thor. in sua *Compilat. decis. Regni in verbo. Pœna spreti mandati*. Sic enim decisum fuit in facti contingentia à Tribunalibus huius Regni ad occurendum varijs absurdis.

30 SICVTI posse à Baronibus habentibus ciuilem tantùm Iurisdictionem imponi pœnam contrauenientibus eorum Bannis quindecim tantùm carolenorum, Ita à Baronibus, qui habent iurisdictionem meri, & mixti imperij posse, TVTA CONSCIENTIA, exigi aliquid

quid aliud a contrauenientibus eorum Bannis; Verùm illud aliud non debet esse immoderatum, & excessiuum; Assero cum Mastrillo *de Magistrat. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 16. Reg. de Pont. *de Potest. Proreg. tit. de elect. Officialium num.* 43. Quia aliàs esset abuti facultate illis concessa.

31 NON posse à Baronibus, seu eorum Officialibus exigi pœnam impositam contrauenientibus Bannis à prædecessore Officiali, vel Gubernatore, si non fuit renouata à nouo Officiali, vel Gubernatore; affirmo cum Mathesil. *Sing.* 190. Tiraquell. in suo *tract. cessante causa, num.* 41. Afflict. *decis.* 388. & alijs. Quia decantati Iuris est, Banna ab Officiali emissa, finito Officio, expirare.

32 NON posse Barones, TVTA CONSCIENTIA, exigere totam pensionem debitam à suorum agrorum conductoribus, etiam si ab his fuerit facta renunciatio, & in illa fuerit dictum: pro quacumque causa incogitata, vel quæ dici, & excogitari potest; si ob inopinatam, & insolitam causam conductores ipsi, minus ex fructibus, quam sperari potuisset, perceperint; Affirmo cum Alex. *cons.* 107. *lib.* 1. Alciat. *cons.* 49. *lib.* 8. & alijs permultis. Quia generalis clausula supradicta refertur ad casus aliquos similes, aut minores illis, qui solent nominari in contractibus, non verò maiores.

33 NON posse à Baronibus, TVTA CONSCIENTIA, seu ab eorum Officialibus fieri exequutionem Vassallis in aratris, & alijs, quæ deseruiunt ad culturam; affirmo cum Afflicto in *Constitut. Regni. Ab Officialibus rubr.* 90. *num.* 7. Ferret. in *Tract. de Gabellis num.* 125. *& seq.* & alijs multis; quia tam Baronibus, quam Officialibus est illis à Constitutione,

tutione, & Iure prohibitum.

34 SIC etiam pariter, non posse, TVTA CONSCIENTIA, à Baronibus, & eorum Officialibus sequestrari Boues aratores; affirmo ex *Cap. Regni pridem, & ex Pragm. 1. sub rubr. de Best. bacc. & ex Pragm.* 48. *de Offic. Sac. Reg. Cons.* & Menochio *de arbitr. Iudic. cas.* 358. *nu.* 11. *cum seq.* & alijs. Quia hoc est prohibitum à Iure, & legibus, ne cultura impediatur.

35 NON posse à Baronibus, TVTA CONSCIENTIA, concedi Moratorias, ne Vassalli creditores exigant ab eorum conuassallis debitoribus; affirmo cum Tasson. in *Obseruat. ad pragm. de Antephato vers. 3. obseru. 4. num.* 196. Quia hæc facultas concedendi Moratorias supradictas, solius est Principis, vt habetur ex *leg. quoties, & vniuersa.*

36 NON posse Barones, TVTA CONSCIENTIA, imponere Angarias Vassallis, neque directè, neque indirectè, sub prætextu, quod in Inuestitura fuit illis facta concessio Priuilegiorum, in quibus adest illa particula: Cum angarijs, & perangarijs; Affirmo ex pragmaticis Caroli V. Quarum vna incipit: *Audinimus*, altera, *Ad nostras*. Quia supradicta Priuilegia (cum angarijs, & perangarijs) nihil noui tribuunt: vt docent Borell. in *tract. de Præstan. Reg. Cathol. cap. 29. num.* 42. Mart. *cons.* 1. *num.* 27. & alijs.

37 NON posse Barones, TVTA CONSCIENTIA, exigere à Vassallis Angarias, & Perangarias, sub prætextu consuetudinis, aut præscriptionis; affirmo cum Alciat. *cons. 67. nu.* 12. Capyc. *decis.* 128. Mascard. *de probat. concl.* 1507. & alijs. Quia indebita seruitia, semper præsumuntur extorta à subditis.

38 NEC posse imponi à Baronibus, TVTA CON-

CONSCIENTIA, Vassallis supradictas Angarias, & Perangarias, etiam sub prætextu consuetudinis legitimè præscriptæ; affirmo cum Borell. *de Præstan. Regis Cathol. cap.* 18. *nu.*46. Quia quod non licet per contractum, vt inquit ipse, nec permittitur per consuetudinem, vel præscriptionem, vt ex *l. non impossibile, ff. de pactis.* Honded. *cons.* 39. sed per contractum expressum nequeunt Vassalli se perpetuò obligari ad aliqua seruitia Domino, & absque Regio assensu, vt in *Constit. Regni: Quia frequenter.* Ergo nec per consuetudinem præscriptam.

39 QVOD si talis consuetudo præbetur immemorabilis per testes deponentes de visu per quadraginta annos, & de auditu à suis maioribus, qui ab alijs non audierunt contrarium, & de publica voce, & fama per verbum, Fuit, & est; Et sint contestes testes supradicti; Posse Barones tunc exigere illa seruitia à Vassallis, quæ per talem immemorabilem consuetudinem ita probatam, exigebantur ab antecessoribus suis. Affirmo cum Gabriele, *conclus.* 1. *de præscript.* Corneo *consil.* 384. *lib.* 4. Gratian. *decis.* 16. *num.* 15. Auil. in *cap. prætorum, gloss.* 1. Quia talis præscriptio, & consuetudo immemorabilis habet vim expressi priuilegij, & concessi ex certa scientia, ac proinde vt habet Rot. *diuers. decis.* 717. habet vim veritatis, & pacti, imò & eamdem potestatem, quam habet Imperator.

40 POSSE Barones exigere à Vassallis in casibus à Iure permissis, TVTA CONSCIENTIA, aliquod adiutorium, & specialiter pro maritanda, vel monachanda filia, sorore, vel amita; Pro quo Adiutorio ad Monachationem supradictam, sufficere quingentos aureos; affirmo cum Vrsil. ad Afflict. *decis.* 136. Præsid.

de

de Franch. *decis.* 44. Ludouis. *decis.* 63. Enratio, quod possint Barones in supradictis casibus aliquid exigere à Vassallis, est; Quia ita ordinatum extat in *Constitut. Regni*, quæ incipit; *Quamplurimum*. Et quod in Monachatione censeatur sufficiens supradicta quantitas, decisum fuisse in Rota Romana ait Ludouis. supra *loco cit.*

41 NON posse tamen Barones, TVTA CONSCIENTIA, exigere supradictum adiutorium ex causa Matrimonij, vel Monachatus filiarum, priusquam cōsummetur Matrimonium ipsum, & fiat professio; affirmo cum Anna *Sing.* 13. Præsid. de Franch. *decis.* 42. Fontanell. in *tract. de pact. nupt. tom.* 2. *claus.* 5. *gl.* 4. *num.* 22. Quia vt inquit Nouar. *tract. de Grauam. Vassall. grau.* 6. Dos non soluitur tempore capitulationis, nec ingressus in Monasterium, sed post sequutas nuptias, & professionem, ergo in tali tempore exigi debet adiutorium.

42 NON posse à Baronibus, TVTA CONSCIENTIA, aliquid exigi pro facienda fascia filiorum, vel pro emenda catena aurea eorum sponsis; affirmo cum Tasson. in suis *Obseruationibus Iurisd. ad Pragm. de Anteph. vers.* 3. *obser.* 4. *num.* 222. Reg. de Ponte in suo *tract. de Potest. Proreg. tit. de donis vniuers. num.* 12. Quia vt communiter aiunt, & docent DD. Barones nihil aliud possunt exigere à Vassallis præter id, quod dispositum est in Constitutione Regni, quæ incipit; *Quamplurimum*. Nec ea, quæ possunt exigi à Principe, possunt itidem Barones à vassallis exigere, vt benè inquiunt Doctores.

43 NON posse à Baronibus etiam priuilegiatis, TVTA CONSCIENTIA, fieri compositiones excessiuas, & immoderatas; assero ex Pragmat. Caroli V. quæ incipit: *Mandamus*.

Quia,

Quia, vt benè inquit Nouarius *loc. cit.* licet talibus Baronibus competat ius componendi, tamen debere se gerere vti Patres familias, & boni Pastores, qui oues emungunt suauiter, ne ab illis loco lactis, sanguinem eliciant.

44 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, à Baronibus non admitti Vassallos ad compositionem in casibus, in quibus est iusta causa componendi; affirmo cum Nouario *loco citato grauam.* 14. qui pro se citat P. Villagut in *decis.* 46. & alios Doctores. Quia sicut Episcopus, vt habetur *cap. exigunt, & ibi glos.* 1. *quæst.* 7. *gloss. in cap. Domino sancto in vers. necesse* 60. *dist.* si non dispensat, quando adest caput, causa, & ratio dispensandi, peccat, ita Baro, si cum adest causa, & caput componendi cum Vassallis, non admittit illos ad compositionem, vtique & ipse peccabit.

45 NON posse Barones, TVTA CONSCIENTIA, cogere Vassallos ad faciendos quoscumque contractus, sicuti nec illis prohibere, vt illos non celebrent, affirmo cum Tass. in *Pragm. de Anteph. vers.* 3. *obseru.* 4. *sub num.* 112. Nouar. in *tract. de Grauam. Vassall. grau.* 17. Quia in stricta significatione, vt inquit Nouarius, & probat ex *gloss. in l. quemadmodum, in verb. vendi, C. de Agricol.* Dum prohibetur Baronibus in *Pragm.* 1. ne cogant Vassallos ad emendum, & vendendum, prohibetur etiam illis ne cogant ad faciendos quoscumque contractus, vbi existat naturalis æquitas, vel fauor.

46 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, à Baronibus cogi Vassallos ad conducendos eorum redditus; affirmo ex *cap. Regni Ferrerijs*, & ex *Constitut. Regni Magistri Iustitiarij*, & ex *Pragm.* 13. quæ incipit: *Graues insuper querelas*, in qua prohibetur Baronibus, & vti-

vtilibus Dominis cogere Vassallos ad conducendas eorum Gabellas, Furnos, Dohanas, Baiulationes, Defensas, Molendinos, Tappetos, Passus, Terragia, & alios eorum redditus, & hoc sub pœna amissionis pretij, seu mercedis talis coactæ conductionis, aliaque sub pœna arbitrio Excellentiæ Regni reseruata.

47 POSSE tamen, TVTA CONSCIENTIA, à Baronibus detineri Vassallos, etiam inuitos in conductione eorum redditu, quando Barones non reperiunt alios, qui conducere vellent, & Vassalli, qui eos redditus detinent, superlucrati essent in conductione, quam fecerant. Affirmo cum Reg. de Ponte *in tract. de Potest. Proreg. tit. de regalibus imposit.* §.8. *num.* 14. Peregrin. *in tract. de Iure Fisci, tit. de conduct. num.* 6. & alijs. Quia vt benè inquiunt Doctores in tali casu viderentur Vassalli velle æmulari Dominis, & sic non est indulgendum eorum malitijs, neque eis præstanda nimia audacia, vt benè notat Nouarius *loco citato*.

48 POSSE etiam, TVTA CONSCIENTIA, cogi Vassallos idoneos à Baronibus ad exigendum introitus feudales, expensis tamen ipsorum Baronum; affirmo cum Rendel. qui alios citat *in Tract. de Pascuis pag. cit.* 117. & alijs. Quia ita sancitum est in *l. nouis*, §. *damnare, ff. de pœnis, l. semper*, §. *quibusdam, ff. de iure immun.* vbi decernitur posse hoc fieri à Baronibus, dummodò eligantur habiles, & idonei, & pro labore exactionis soluatur illis conueniens salarium.

9 NON posse à Baronibus, TVTA CONSCIENTIA, prohiberi Vassallis ne vendant, nisi ipsis Baronibus, saltem in Regno nostro;

Affir-

Affirmo cum Mastrillo in *Tract. de moris lib. 4. d. cap. 18. num. 37.* & patet ex *Prag. 15. sub rubr. de Baronibus*, in qua expressè prohibetur, ne Barones cogant Vassallos habentes fructus suos venales, vt ipsis vendant, sed liberum sit illis vendere cui, vbi, & quomodo volent, & Ratio à priori est, quia vt disponit in re mandata, *C. mandati, l. in traditionibus, ff. de pactis*, in re sua quilibet est moderator, & arbiter.

50 NON posse Barones, TVTA CONSCIENTIA, ita vti locis demanialibus, & pascuis communibus Feudi, vt ex copia v. gr. eorum animalium arceantur à prædictis locis Vassalli, & eorum animalia; affirmo ex *Prag. 11. & 12. sub rubr. de Baron.* & ex Rendell. in *Tract. de Pascuis, & Forestis, prag. 99.* Quia ex *l. si cui, ff. de seruit.* debemus vti iure nostro ciuili modo, & cum minori præiudicio Tertij, quantum fieri potest, aliàs si vltra modum quis vtatur, præsumitur facere lucri, vel æmulationis causa, quod non est tolerandum, vt benè ex *l. 1. §. fieri, ff. de aqua pluuia arc.* notat Nouar. *de Grauam. grau. 27.*

51 NON posse à Baronibus TVTA CONSCIENTIA, immittere ad pascendum in locis demanialibus Vniuersitatum sibi subiectarum diuersas species animalium, ab illis, quas immittunt Vassalli; affirmo cum Borello in *Tract. de Magistrat. edict. lib. 4. cap. 6. num. 54.* Et ita decisum fuisse per Sacrum Regium Cōsilium; affirmat Nouar. *loco citato grau. 28.*

52 NON posse Barones, TVTA CONSCIENTIA, impedire venditionem, vel locationem pascuorum, vel nemorum demanialium, quam facere intendunt Vassalli ad subleuanda onera Vniuersitatis; affirmo cum

Præl.

Præf. de Franch. *decif.* 197. Reg. de Ponte in *tract. de Poteft. Proreg. tit.* 3. §. 2. *num.* 8. *tit.* 10. Borell. *conf.* 9. *num.* 14. Maftrill. in *Decif. Rotæ Sicil.* 49. Quia cum talis venditio, vel locatio refpiciat publicam vtilitatem, debet præferri priuatæ ipfius primi ciuis, qui eft Baro, & ita fuiffe decifum in Sacro Rom. Confilio; affirmat Nouarius *loco fupra cit. grau.* 30.

53 NON pofse Barones, TVTA CONSCIENTIA, vfum illum, quem habent vt primi ciues lignandi, aquandi, pafcendi, &c. alijs cedere, locare, vel vendere, fi fortè ipfe non habeat animalia, quæ poffit immittere ad pafcendum in talibus locis demanialibus; affirmo cum Reg. de Ponte in *tract. de Poteft. Proreg. tit. de elect. Offic.* §. 2. præcisè *num.* 11. Rondel. in *tract. de Pafcuis reg. tit. de Baronum pafcuis*, *pag.* 71. *verf. tu verò*. Quia cum ius fupradictum fit perfonale dependens à ciuilitate, quæ eft perfonaliffima, non poteft cedi, cum priuilegia perfonalia non tranfgrediantur perfonam ipfam, vt habetur ex *l. perfonale*, *ff. fol. matrim.*

54 NON pofse Barones, TVTA CONSCIENTIA, prohibere Vafsallis, ne territoria fua claudant, & faciant mezanas, vt vocant, vel ne faciant Palca claufa in locis demanialibus ad arcendos lupos ne deuorent vitulos, &c. Affirmo cum Sefe in *Decif. Regni Aragon.* 274. *num.* 2. *tom.* 1. Reg. Rouit. *in Comment. ad Prag.* 1. *num.* 33. *in fin.* & Capiblanc. in *Pragm.* 11. *nu.* 34. *fub rubr. de Baronibus*. Et ratio prioris dicti eft, quia vt aiunt Doctores. Quifque in fuo Territorio facere poteft quidquid vult, nam alias reftringeretur libertas, quod iura abhorrent. Ratio fecundæ conclufionis eft, quia omnia, quæ faciunt ad cuftodiendas res

ne

ne deteriorentur, vel pereant, sunt necessaria, & vt talia nequeunt sine culpa impediri, iuxta terminos textus in *l. impensæ ff. de verb. signif.* Quæ ratio confirmatur ex Staiban. *cons.* 84. qui asserit in supradicto casu habere locum regulam quod concesso vno alicui dicuntur cōcessa omnia, & singula, quę requirūtur ad illud, siue antecedentia, siue consequentia sint.

55 NON posse à Baronibus, TVTA CONSCIENTIA, cogi Vassallos ad omittendum animalia ad pascua baronalia, prohibendo nè alio immittant; affirmo cum Nigro in *cap. Regni Grauamina num.* 53. vbi asserit grauari Vassallos, quoties eis mandatur à Baronibus ne ad alia pascua accedant, quam ad propria. Et Ratio est quia vt bene dicit Rota in vna Mediol. exemption. coram Dunozetto: libertas tolli non potest.

56 BARONES licet merum imperium committere debeant suis Officialibus; ipsis tamen prohibitam esse administrationem, & exercitium, & proinde constituere teneri Capitaneos, & assessores; affirmo cum Capic. *Inuestit. verg. Magis. Creat.* & Capibl. qui multos citat DD. pro hac sententia.

57 BARONIBVS non competere merum Imperium absolutum, sed solum illud, quod cohæret Iurisdictioni; & sic non posse condere leges, interponere decretum super emancipatione, vel arrogatione, dispensare super illegitimatione, creare tabelliones, indulgere post sententiam, concedere corpora punitorum consanguineis vt sepeliantur, &c. affirmo cum Capiblanco *Pragm.* 8. *num.* 71. Quia omnia supradicta pertinent ad absolutum imperium: quod vt diximus ex eodem Capiblanco, qui multas leges, & DD. pro hac sen-

tentia citat, eis non competit.

58 BARONES non obligari ad instar Prælatorum residere in suis terris; affirmo cum Luca de Penna *l. fin. C. de loca. præd. ciuil. lib.* 11. quia benè possunt Iustitiam exercere per suos Ministros.

59 BARONES non posse sibi arrogare primas causas appellationis, etiam si sint muniti longissima præscriptione; affirmo cum Capyc. in *Inuestit. feud. ver. feudorum acces.* de Franch. *Decis.* 192. Marant. *Cons.* 113. Quia cum ius appellationum primarum causarum sit de regalibus, & regalia sint impræscriptibilia secundùm Bellug. *rubr.* 23. §. *sed pone,* ideo nullo modo Barones tale ius habere possunt, etiam titulo præscriptionis, si illis expresse non sit data authoritas primarum appellationum, vt ait Couarr. *Pract. quæst. cap.* 4.

60 BARONES posse cognoscere de poenis publicationis bonorum; affirmo cum Iacobin. de *Feud. D. vers. & cum mero imperio,* & alijs, qui dicunt hoc decisum fuisse in S. C. iunctis aulis, quia sub concessione meri Imperij, venire concessam cognitionem publicationis bonorum Baronibus; affirmat ipse Iacob. cum multis DD. Hoc tamen intelligi, quando de Iure est imposita talis poena, & non si in consequentiam delicti, Baro vellet bona publicare; nam hoc solius est Principis.

61 BARONES causa criminali introducta apud regios Superiores, non habere amplius personam legitimam insistendi, & comparendi apud ipsum Regium Tribunal; assero cum D. Rouit. *tit. de sent. fori iud. in nouis. commentarij num.* 24. & alijs. Quia adest Patronus Fisci regij qui munus suum explet, & sic cessant partes inferioris.

62 SIC

62 SIC non posse Barones rescribere, quod sine scriptis, & figura iudicij tractetur Causa, quæ iure ordinario videri debet; affirmo cum Maranta in *speculo ibi: Iudicium Mercatorum in princ*. Carauit. *tit*. 288. *num*. 9. & alijs. Quia non possunt Barones alterare, dispensare, aut minuere ea, quæ sunt Iuris naturalis, vel Gentium. Ergo, &c.

63 NEQVE posse Barones, TVTA CONSCIENTIA, in materia de Iustitia memoriale expedire, rescribendo, vt sic faciat, vel non faciat Officialis; affirmo cum Petra *cap*. 6. *num*. 86. *fol*. 38. & alijs ob supradictam rationem.

64 NON posse Barones, TVTA CONSCIENTIA, prohibere Vassallis ne coquant panem nisi in Furnis Dominorum, & molant frumenta, nisi in Molendinis eorum, nec recipiant hospites, nisi in hostarijs, seu tabernis, & hospitijs illorum, & alia similia; affirmo ex Bal. *Cons*. 410. *vol*. 5. & multis alijs, vt videre est apud Capibl. *Pragm*. 14. *num*. 4. Quia supradicta omnia sunt contra libertatem, & inducentia seruitutem contra Iuris normam; dum à Iure, vt specialiter habetur in *Pragm*. 1. Constitutum est à Baronibus nullum posse imponi subditis onus personale, vel reale; quod si ab illis factum fuerit, eis non erit parendum, vt habetur ex *l. quintus* §. *pomponius*, *l. cerdonem ff. de operi. libert*.

65 TENERI Barones ad collectas pro burgenzaticis, quæ possident, assero cum Capycio in *Inuest. verb. Collectæ*, & alijs. Quia etsi Feudalia sint immunia ab oneribus, burgenzatica tamen subjiacent oneribus; realibus verò tantùm; nam à personalibus Barones sunt immunes, vti personæ nobiles, & Neapolitanæ; vt commun. docent DD.

66 TENERI Barones pro administranda Iustitia facere omnes sumptus, qui necessarij sunt, vt rectè illa, & efficaciter administretur, affirmo ex *Prag.* 19. apud Capibl. *in tract. de Baron.* qui ex Afflict. *Decis.* 265. probat hanc conclusionem, ea ratione, nimirum quod fructus iurisdictionis, & Vassallorum non debent expendi in delicijs, sed in pertinentibus ad vtilitatem publicam, & Iustitiæ administrationem.

67 BARONES teneri pro extorsionibus suorum, siue Affictatorum, siue Officialium; affirmo cum eodem Capibl. *loc. cit.* qui multos citat pro se, & ea ratione probat nimirum; Quia qui potest prohibere, & non prohibet, reus est illius delicti, quod perpetratur ex sua negligentia culpabili in non prohibendo.

68 TENERI Baronem quando potest, vel in suis terris, vel in conuicinio constituere Iudicem secundarum causarum, qui non distet à partibus iudicandis per maius spatium sex milliarium; quod si hoc commodè præstare non possit, teneri constituere prefatum Iudicem ad minus, intra ipsam Prouinciam; affirmo cũ pluribus DD. & præcipuè cum Capibl. qui *Prag.* 3. *de Baron.* asserit hoc fuisse decretum, & decisum in hoc Regno.

69 POSSE Baronem, in quibusdam casibus nimirum quando pro illo stat præsumptio habendi ius antiquum prohibendi fieri alium Furnum, in sua Terra, quia nimirùm ipse solus habebat vnum, vel alterum Furnum, vt habetur ex ipso Capibl. *Prag.* 14. *n.* 15. qui multos pro se citat DD. & idem si omnia alia molendina, Furni, & similia illius Terræ recognoscèret Baronem in soluendo aliquod tributum, nam

tunc

tunc præsumitur haberi ab ipso Barone ius prohibendi, vt habetur ex Viuio *Decis*.495.

70 ETIAM si Barones haberent supradictum ius prohibendi in Furnis, & similibus, vt dictum est, intelligi hoc tantum intra territorium, & non posse ab illis prohiberi Vassallis, ne accedant ad alium locum, si tamen hoc non fieret à Vassallis ob euidentem æmulationem; assero cum Ripa de *Remed.ad conseru.vbert.n.*301.Soci. *Consil*. 272. & alijs ob supradictam rationem.

71 NVLLO tamen modo posse ab ipsis Baronibus, TVTA CONSCIENTIA, fieri supradictam prohibitionem Vassallis quando isti accederent ad alia molendina &c. ex eo quia molendina Baronis non sunt ita commoda, vel faciunt peiorem molituram Farinæ, vel ius molituræ est maius, & similia; affirmo cum Anna *sing*.557. & Frecc. de *Subfeud. auct*.41. Quia quilibet habet ius sibi vtilius procurare; quod ius, & libertas à Baronibus constringi non potest absque Iniustitia.

72 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, fieri compositionem, seu transactionem, vel gratiam ab Officiali, vel Barone, vel ab ipso Principe, nisi concordata parte; assero ex *l*. 3.§. *si quis ff. ne quid in loc. publ*. Gram. *Vot*.35. Petra de *Potest. Princip. cap*. 24 & alijs. Quia neque Princeps ipse præiudicare potest iuri Tertij, vt latè Sese *Tract. de inhibit. cap*.1.§.4. *num*.12. vbi refert DD. asserere numquam fuisse auditum Regem nostrum non præcedente Partis concordia cuipiam indulsisse.

73 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, Barones in casibus prouocationis, vel simplicis insultus, seu diffidæ cum euaginatione, vel delatione armorum prohibitorum, si tamen

men vulnera, aut percussiones sequutæ non fuerint, indulgere Reo, illum componere, vel permutare ei pœnam, etiam non obtenta remissione partis; affirmo cum Capibl. *Prag.6. num.59.* qui multas citat leges, & DD. pro hac sententia. Quia cum Barones habeant priuilegium indulgendi, componendi, & permutandi, parte concordata, dicendum erit quod si hæc concordatio partis aliunde non requiratur de iure in prædictis casibus, licebit Baronibus in ijsdem casibus licito iure, vti eorum priuilegio.

CAPVT XI.

DE BENEFICIATO.

Quid fieri, vel quid non possit fieri, TVTA CONSCIENTIA in quibusdam selectioribus casibus pertinentibus ad Beneficiatum.

1 NON posse Beneficiatum omittere officium, TVTA CONSCIENTIA, si aliunde non excusetur per impotentiam, aut obliuionem, & teneri ad restitutionem, etiam si illud omittat per vnum diem tantum. Affirmo ex Bulla Pij V. in qua expresse habetur, quod qui horas canonicas, vno, aut pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus corresponderent, si quotidie diuiderentur, tenetur restituere.

2 IN eo anno, in quo nihil percipit à Beneficio, Beneficiatus, ob furtum, sterilitatem anni, aquarum inundationem, pruinam, grandinem, hostium incursionem &c. Adhuc teneri

ri ad recitationem officij; affirmo cum Suarez *Tom.2. de Relig.lib.4.capit.20. numer.15. & 16.* vbi docet quod Beneficiatus, tunc non teneretur ad recitationem officij, quando in perpetuum, impediretur à consequutione fructuum beneficij, non sic verò, quando Beneficiatus ipse non percepit fructus aliquo tempore, vt est in supradicto casu, nam tunc tenebitur; Tum quia si per rapinam, aut furtum priuetur Beneficiatus fructibus, non inde fit, vt excusetur ab administratione Beneficij, neque ab administratione Sacramentorum, si sit curatus; ergo neque ab onere recitandi Officij, quod non minus est per se coniunctum cum Beneficio; Tum quia si aliquo, vel aliquibus annis, ob maximam fertilitatem temporum Beneficiatus reciperet à beneficio fructus duplò maiores, alijs, quos in principio recipiebat, non ob inde duplicabitur obligatio Beneficiati, ergo neque debet minui eius obligatio ex fructuum diminutione; & huius ratio est, quia accipiens beneficium, ea conditione videtur accepisse, vt siue minuantur fructus, siue crescant, siue pereant, teneatur beneficij oneribus satisfacere.

3 TENERI etiam ad recitationem Officij Beneficiatum illum, qui per minorem ætatem omnes fructus sui beneficij, seù Cappellaniæ dare debet Sacerdoti celebranti Missas annexas tali suo beneficio; affirmo cum Castropalao *Tractat.13. de Orat. horarum Canonic. Disp. 2. punct.1. §.2. num. 10.* Lessio. *Lib.2. cap. 34. dub.31. numer.172.* & alijs. Hic enim Beneficiatus iam dicitur gaudere Beneficio, & fructibus eius; & per accidens est quod debeat illos impendere pro celebratione Missarum, Sicuti etiam teneri ad recitationem Officij

Beneficiatum, si per se stet, quò minus fruatur emolumentis Beneficij; affirmo cum Suarez, Bonacin. & alijs, apud P. Gobat. *Tract.5. sect.2. cas.23.num.577.* Azorio *Part.1. lib.10. cap.4. quæst.6.* Quia non est ęquum, vt Ecclesia, quæ debet seruari indemnis defraudetur officio, & seruitio, ex ipsius Beneficiati culpa.

4 NON teneri ad recitationem officij illum Beneficiatum, qui à suo Beneficio non percipit bonam partem tenuis sustentationis, vt esset ea, quæ summam saltem octo ducatorum non attingeret, affirmo cum doctiss. Soto de *Iustitia lib.10.quæst.5.art.3.* Less. de *Iust. & Iur. lib. 2.cap.34. dubit.31. num.169.* Quando enim dicitur, quod beneficium datur propter officium, intelligunt DD. de Beneficio, quod possit præbere partem, saltem, commodæ sustentationis Beneficiato.

5 BENEFICIATVM non posse, TVTA CONSCIENTIA, si omittit officium, compensare restitutionem annexam ipsius officij omissioni, eleemosynis antea à se factis, & ex fructibus beneficij, declarauit Alexander VII. in *cap.33.* suæ Bullæ emanatæ anno *1666.* declarans opinionem contrariam esse temerariam, & scandalosam.

6 HABENTEM Cappellaniam collatiuam, aut quoduis aliud Beneficium Ecclesiasticum, non satisfacere suæ obligationi, si per alium officium recitet, etiam si hoc faciat, quia studio litterarum vacat; affirmo ex ead. Bulla.

7 ETIAM si sequenti die Beneficiatus, qui omisit officium recitet bis officium, tenetur restituere fructus correspondentes ipsius officij omissioni, quia iam sui non sunt, vt aiunt multi DD. apud eruditissimum Dominum Verde in

in *Anaceph. opin. prohib. tit.* 22. § 4. Nauarr. & alij apud Leand. *Tom. 6. tractat. 6. disp. 7. quæst.* 15. qui dicunt ex Bulla Pij V. Pensionarium omittentem officium Beatæ Virginis teneri restituere pro rata fructus pensionis; Quia militat eadem ratio in ipso, quæ militat in Beneficiato.

8 BENEFICIATVM teneri in conscientia restituere, si omittat officium sine iusta causa, ante sententiam Iudicis; & in conscientia, aiunt Vasquez, Layman, Aragonius, Suarez, Leander *Tom. 6. num. 8. d. 7. quæst.* 17. citans plures; Quia nemo potest retinere id, cuius dominio caret, etiam ante sententiam Iudicis, sed Beneficiatus non recitans diuinas horas caret dominio fructuum: Ergo, &c.

9 Et contraria opinio, nimirum quod non debeatur restitutio à non recitantibus officium in conscientia, & ante sententiam declaratoriam Iudicis, fuit prohibita ab Alexandro VII. *cap.* 20. suæ Bullæ.

20 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, Beneficiatum, etiam si curatum Beneficium habeat, eligere sibi in Confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab ordinario; affirmo cum Communi, & ex eadem Bulla, in qua sententia contraria tanquam temeraria reprobatur, ab eodem Sum. Pontif.

CAPVT XII.

DE BENEFICIO.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad hanc materiam de Beneficio.

1 PRO collatione Beneficiorum, siue conferantur ab Episcopo, siuè à quocunque alio collatore, non posse, TVTA CONSCIENTIA, nec ab ipsomet Episcopo collatore, seu eius Vicario, seu quocunque alio officiali, cancellario, consanguineis, familiaribus, & seruis collatoris beneficiorum supradictorum accipi aliquod emolumentum sub quocunque prætextu, vel colore, etiam spontaneę donationis, sed solum ab ipso cancellario pro scriptura collationis Beneficij, charta, chordula, & sigillo, & quacunque alia re ad hoc pertinente, posse, TVTA CONSCIENTIA, accipi mercedem proportionatam suo labori, dummodò non excedat aureum vnum, seu decem carolenos, declarauit Summus Pontifex Innocentius XI. in Bulla emanata anno 1678.

2 PRO possessione autem danda ipsis Beneficiatis, non posse ab Episcopo, seu eius Vicario, & alio officiali, aliquid accipi, vel exigi, TVTA CONSCIENTIA, sed solummodò à Cancellario, à quo si possessio dabitur in ipsa Ciuitate, posse, TVTA CONSCIENTIA accipi, & exigi pro quocunque actu ab ipso præstando, tres solum carolenos, seu Iulios, & extra Ciuitatem quatuor pro vno quoque die, addita refectione victus, & viatici facienda pro singulis diebus, si eundum erit ad remo-

remotum locum pro danda possessione beneficij, quod si in loco beneficij erit cancellarius, seu Vicarius foraneus, ipsi committendam esse, & non alij dationem possessionis beneficij, declarauit supradictus Summus Pontifex in eadem Bulla.

3 PROPOSITIONEM illam, in qua asserebatur: Non esse contra iustitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecunia interueniente, non exigit illam pro collatione beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur, Alexander VII. declarauit falsam, & temerariam anno 1665.

4 BENEFICIATVM esse verum dominum omnium redditiuum Beneficij, etiam superfluorum; affirmo cum Molin. de *Iustit. tom.* 1. *disp.* 143 *lit. B.* Sanchez *Lib.* 2 *Consilior. cap.* 2. *dub.* 37. *numer.* 11. Syluester *Verb. Clericus* 4. *quaest.* 20. *&* *Verb. Restitutio* 3. *quaest.* 5. *Dicto primo*, & quamplurimis alijs. Quia ex Concilio Tridentino decernitur prouisos de canonicatibus, nisi professionem fidei suo tempore, ac loco faciant, non facere fructus suos, ergo qui faciunt professionem fidei, lucrantur fructus, eosque faciunt suos, vt benè inferunt supradictus Molina *loc. citat. lit. C.* & alij.

3 BENEFICIATVM non posse, TVTA CONSCIENTIA, de redditibus etiam superfluis sibi prouenientibus ex beneficio, ad libitum disponere, sed grauiter obligari illos erogare in vsum pauperum, vel alterius piae Causae; assero cum Com. & est omninò certa sententia; Quia ex Concilio Tridentino hoc non obscurè habetur, nam *Sess.* 25. *de reformat. cap.* 1. vbi

inter alia, quibus Clericos absterret ab vsu profano horum redditüum Ecclesiasticorum, hos ipsos vocat res Dei, quasi dicat ea bona, non esse aliter expendenda, quam si verè essent solius Dei. Omitto alias innumeras rationes, quibus probant hoc idem Doctores.

6 BENEFICIATVM peccare quidem grauiter, si redditus beneficij non transferat in pauperes, & alia pia loca, & causas, si tamen transferat in diuites redditus superfluos, alienationem esse validam absolutè, & sine vlla obligatione restitutionis; affirmo cum Becano de *Iustitia cap.3.qu.6.nu.*8. qui pro se citat D.Thomam, & Clarum, & alios; quia & si Beneficiatus teneatur erogare pauperibus id, quod illi superest, non tamen tenetur hoc præstare ex debito iustitiæ; sed tantum charitatis, & eleemosynæ, in quem sensum intellexerunt DD. loquutos esse Patres, & præsertim Sanctum Bernardum, qui Epistola 2. sic ait: Quidquid præter victum. & vestitum de altari retines, tuum non est, Rapina est, Sacrilegium est.

7 TENERI Beneficiatum habentem sororem, etiam si sit solum ex eodem Patre, sed ex alia matre, constituere ei dotem, si aliunde illam hæc habere non potest; assero cum Layman *Lib.3.tract.4.cap.*14. *num.*5. qui pro se alios citat, & quamplurimis alijs; quia tam supradictus Layman, quam Castrop. *Tract.*32. *disp.*9. *punct.*5.§.3. *num.*1. asserunt communem esse sententiam DD. quæ defendit hanc obligationem incumbere fratri respectu Sororis, nam officium paternum respectu filiarum, descendit in filium; ergo cum sit Patris dotare filiam, ad idem obligatur frater, quamquam non sit hæres patris, modo habeat aliunde, ex quo possit dotare.

CAP.

CAPVT XIII.

DE BLASPHEMIA.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA *in quibusdam casibus pertinentibus ad hanc materiam*.

1 NON peccare mortaliter eum, qui in blasphemando, vel in alijs subitaneis motibus, ita se gerat; vt videantur motus prædicti ita omnem rationis aduertentiam præuenire, vt cognitæ malitiæ recordari planè non possit; assero cum communi ferè antiquorum, & ex recentioribus cum Vasquez in 1. 2. *S.Thom. disp.* 107. *art.* 7. *cap.* 3. Quia nihil potest esse malum, nisi sit secundùm aliquam rationem malitiæ voluntarium, & liberum; sed quod nullo modo cognoscitur affectum malitia, sed præuenit omnem rationis vsum, seu aduertentiam, non potest secundum illam, esse voluntarium, ergo nec malum. Quod etiam valere affirmo cum Layman *Lib.* 4. *Tract.* 10. *cap.* 6. *num.* 3. quando inaduertentia in Blasphemando oriatur ex praua consuetudine blasphemandi; Quia quando poenitens per poenitentiam retractauit prauam consuetudinem, & deinde inaduertenter in Blasphemiam incidat, illa non debet ei imputari ad peccatum mortale, quia neque est voluntaria in se, vt supponimus, neque est voluntaria in causa, quæ est consuetudo, cum iam hæc supponatur retractata.

2 DICERE: Ad despectum Dei, esse blasphemiam hæreticalem; affirmo cum Diana

Part.

Part.4.tract.7.resol.8. & quamplurimis alijs, quos ipse prò se citat. Quia hæc blasphemia, est directè contra omnipotentiam Dei, & idem est dicere, ad despectum Dei, ac velit nolit Deus, seu Deus non potest hoc impedire,& prohibere; Insuper esse communem stylum Inquisitorum, in Italia, cognoscere nimirum de Blasphemia, qua aliquid dicitur fieri ad despectum Dei; affirmant Lazarius, Homobonus,& Diana *loc.cit.*

3 ESSE Blasphemias hæreticales sequentes modos loquendi,& similes, nimirum; Nisi cesses mihi molestus esse, si hoc negotium malè cesserit,dubitabo de prouidentia Dei. Si Christus hoc imperaret, non esse faciendum. Assero cum Castropalao *Tom.2.tract.17.disp.2.§.3.num.3.* Sanchez *Lib.2.in decalog. cap. 32 num.24.*& alijs; Quia veritas propositionis certæ de fide in talibus casibus, exponeretur incertitudini euentus conditionis contingentis habentis se ad vtramque partem contradictionis. Apponam cum hac occasione dirum exemplum Diuinæ indignationis contra quendam, relatum à quodam Ioanne Neuizano *Conf.1.pag.5.* cum Mediolani, inquit ipse,facinorosus sicarius,perditus aleator, qui neque Deum,neque homines verebatur,facta iactura pecuniæ in ludo,hæc euomuisset; Si Christum intra materna viscera nactus essem, cum hoc pugione confodissem, sicam in terram eduxit respersam cruore;nec resipuit; Interim Domicilij collapsi ruinis oppressus, miserrimum in modum perijt.

CAPVT XIV.

DE CHARITATE DEI, ET PROXIMI.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad materiam prædictam.

1 NON poſse TVTA CONSCIENTIA, aſseri quod non peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel in vita tantum eliceret; teneo cum comm. DD. & opinio contraria ab Innocentio XI. damnata fuit eodem anno 1679.

2 SICVTI etiam, non poſse, TVTA CONSCIENTIA, teneri, quod præceptum charitatis erga Deum per ſe non obliget etiam ſingulis quidem rigorosè quinquennijs, affirmo cum comm. Theologorum, & contraria opinio ab eodem Summo Pontifice reprobata, & damnata fuit eodem anno.

3 NON poſse, TVTA CONSCIENTIA, teneri quod tunc ſolum præceptum ipſum charitatis obligat, quando tenemur iuſtificari, & non habemus aliam viam, qua iuſtificari poſſimus; Teneo cum comm. DD. & opinio aſserentium contrarium damnata fuit ab eodem Summo Pontifice eodem anno.

4 NON poſse, TVTA CONSCIENTIA, affirmari quod non tenemur diligere proximum actu interno, & formali; Aſsero cum comm. DD. & opinio contraria fuit declarata ſcandaloſa, ab eodem Summo Pontifice.

5 SICVTI nec poſse aſseri, TVTA CONSCIENTIA, quod poſsum ſatisfacere præcepto proximum diligendi, per ſolos actus externos; Teneo cum comm. Theologorum, & opinio

nio contrarium asserentium pariter damnata fuit ab eodem Innocentio eodem anno.

6 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, teneri, quod absq; peccato mortali possis tristari de vita alicuius, & gaudere de illius morte naturali, imo illam inefficaci affectu petere, & desiderare, modo hoc facias cum debita moderatione, & non ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum; assero cum comm. DD. & Theologorum, & contraria opinio damnata fuit ab eodem Innocentio XI.

7 SICVTI etiam non posse, TVTA CONSCIENTIA, asseri quod sit licitum absoluto desiderio cupere mortem Patris, sed vt bonum cupientis; quia nimirum est ei obuentura pinguis hæreditas, affirmo cum comm. Theologorum, & asserentium contrarium opinio damnata fuit ab eodem Innocentio XI.

8 NEC pariter posse teneri, TVTA CONSCIENTIA, quod sit licitum filio gaudere de parricidio parentis perpetrati ab ipsomet filio, dum ipse erat ebrius, ex eo quia inde consequutus est hæreditatem ingentem diuitiarum; affirmo pariter cum comm. & opinio contraria ab eodem Pontif. eodem anno damnata fuit.

CAPVT XV.

DE CLERICO.

Quid possit teneri, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus casibus pertinentibus ad supradictam materiam.

1 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, à Clerico relinqui in testamento, aut donari causa mortis filijs spurijs bona, siue ea sint acquisita ex beneficijs, siue sint patrimonialia, assero cum communi Doctorum, quia hoc est illis prohibitum in duabus Bullis Pij V. quæ incipit: *Qua ordini*; altera, quæ incipit: *Ad Romanum*. Dummodò filij spurij supradicti habeant aliundè necessaria, ad sustentationem; Nam si non habeant, TVTA CONSCIENTIA, posse eis relinqui bona necessaria, & quæ naturali æquitate debentur. Sicuti etiam filiæ spuriæ posse, TVTA CONSCIENTIA, relinqui dotem, nam dos nomine alimentorum venit. Affirmo cum Nauarr. Trullench. Azorio, Filliucio, & alijs citatis à Patre Mendo in *Epitome opinionum moralium, verbo, Clericus*. Quia cum Bullæ supradictæ nihil statuant contra ius naturæ, non censentur prohibere id, quod attinet ad pura alimenta, & necessaria ad victum.

2 POSSE Clericum in minoribus, dum non portet nec Stolam, neque Manipulum, nec vt Diaconum, siue Subdiaconum se gerat, nec vt talis Missæ ministret, canere Epistolam, Passionem, & Euangelium; affirmo cum Nauarro

uarro *lib. 5. consil. 5.* nam hoc ageret, vt merus Cantor.

3 CLERICVM habentem beneficium, etiam si non incedat in habitu, & tonsura gaudere beneficio fori, assero cum Rodriquez *Summa tom. 1. cap. 155. conclus. 2.* & alijs. Quia Tridentinum loquitur disiunctiuè, dicens: *Aut beneficium habeat, aut ferens habitum, & tonsuram*, sed in disiunctiuis sufficit, quod verificetur alterutrum; ergo &c.

4 CLERICVM non habentem beneficium, vt gaudeat priuilegio fori, debere tùm habitum, tùm tonsuram deferre, quod si tonsuram non ferat, feratque habitum, & è contra si ferat tonsuram, habitum verò non, illum adhuc gaudere fori Priuilegio; affirmant Diana *part. 1. tom. 2. resolut. 32.* Marcus Antoninus Maceratensis Vicarius Generalis Cardinalis Borromæi *lib. 3. resolut. 48. num. 5.* Capiblancus *de offic. Baronum Pragmat. 8. cap. 3. num. 28.* qui putat tonsuram non esse tantæ solemnitatis, vt si quis eam negligat amittat priuilegium fori, si cætera concurrant, & citat pro se Barbosam.

5 CLERICVM, qui tempore delicti gerebat habitum, etiam si aliquando habitum ipsum, & tonsuram dimiserit, adhuc gaudere beneficio fori, assero cum Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 7. num. 22.* vbi hæc habet loquens de Clerico. Contra, & si semel dimiserit habitum, si postea sine fraude, & dolo resumpserit illum, recuperat priuilegium, adeòut si tempore criminis commissi, & antecedentibus etiam mensibus aliquot, habitum Clericalem gestasse compertum sit, à iurisdictione Sæculari exemptus censeatur, sic ex communi docet Couarruuias

in *Pract.*

in *Pract. quæst. cap.* 31. *num*.8. Suarez *lib*.4.*desens. cap*.27. Syluester *verb. excommun*.6. *num*. 4. hæc ille.

6 IMMO & si Clericus tempore delicti habitum non gestauerit, & in captura sine habitu inueniatur, dummodò aliquando solitus fuerit illum gerere, adhuc eum gaudere fori priuilegio; Teneo cum Bonacina *de leg. disputat*.10. *quæst*. 1. *punct*.1. §.4. *num*.14. qui asserit ita declaratum fuisse à Sacra Congregatione. Et ratio est, quia in tali casu præsumitur Clericum ipsum habitum non gessisse, vt delictum faciliùs perpetraret, non autem animo illum deserendi.

7 CLERICVM incedentem cum habitu, & tonsura, non gaudere priuilegio fori, nisi alicui Ecclesiæ inseruiat de mandato Episcopi, affirmo cum eodem Bonacina *de legib. disputat*. 11. *quæst*. 2. *punct*. 1. §. 4. *num*.10. Quia Concilium Tridentinum loquitur copulatiuè, & vtrumque requirit.

8 NEC sufficere, quod ter, aut quater Ecclesiæ inseruiat, sed oportere pro maiori parte inseruire; assero cum Ricc. *part*. 4. *decis*. 154. *num*. 5. qui affirmat ita declarasse Sacram Congregationem, nam Concilium requirit perseuerantiam: non tamen ita rigidam, & pro omni tempore, sed pro maiori parte, vt diximus. Quod si Clericus absque mandato Episcopi suum ministerium spirituale exhibuerit Ecclesiæ, adhuc illum gaudere beneficio fori, affirmo ex quadam declaratione Sac. Congregationis edita 29. Iunij 1628. quam citat Sellius *cap*.18 *num*.22.

9 INSVPER gaudere priuilegio fori, etiam illum Clericum, qui descriptus in catalogo Clericorum præstitit obedientiam Ordinario in Sy-

in Synodo, & incedens in habitu, & tonsura, per paucas vices in choro, & processionibus interfuit attentis circumstantijs, etiam si alicui Ecclesiæ non inseruiat, affirmo ex quadam declaratione Sacræ Congregationis Concilij edita die 28. Martij 1628. vt testatur Diana *part.*4. *tract.*1.*resol.*28.

10 CLERICVM non teneri sub graui peccato recitare preces ei recitandas iniunctas ab Episcopo in ordinatione, affirmo cum Castro Palao *tom.*2. *disput.*2. *punct.*1. §.1.*num.*5. vbi Sotum, & Valentiam pro se citans, hæc habet; Imò probabile existimo cum Episcopus ordinandis iniungit aliquos Psalmos, & Litanias recitare, nolle sub graui culpa obligare; sed ex quadam honestate, & decentia.

11 CLERICVM incedentem per ciuitatem laruatum, peccare mortaliter; assero cum Hieronymo Garzia in *Summ. Theolog. moral. tract.* 1. *diff.* 2. *dub.* 2. *num.* 5. Barb. *in collect. Iur. Canon. lib.*1. *cap.*40. *num.*64. & alijs apud ipsos. Quia in *Cap. indecorem* 12. *& cap. Clerici offic.* 15. *de vita, & honestate Clericorum*, talis incessus Clericorum vocatur turpitudo, & corruptela, præcipiturque vt extirpetur, ne per eum inquinetur honestas Ecclesiæ.

12 CLERICVM habentem cappellaniam collatiuam, aut quoduis aliud beneficium Ecclesiasticum non satisfacere suæ obligationi, si prætextu vacandi studio litterarum, officium per alium recitet, teneo cum communi. Quia nemo potest satisfacere oneri personali per alium; sed onus recitandi officium est personale: ergo nequit adimpleri per alium, & opinio contraria tanquam scandalosa reprobata fuit ab Alexandro VII.*cap.*21.suæ Bullæ.

13 PERCVSSIONEM factam in Clerici faciem

ciem palma manus, esse leuem percussionem, affirmo ex *Extrauaganti Perlectis*, vbi percussio facta palma manus, quæ in faciem fit, & consueuit, declaratur leuis iniuria; Quod idem asserunt multi Doctores, & præcipuè Nauarrus *cap. 27. num. 91.* Reginaldus *lib. 1. num. 241.* & probant, quia nulla est ratio, quare percussio hæc, per se magis, quam alia in quacunque parte corporis, siue pugno, siue calce æstimetur enormis.

14 PERCVSSIONEM leuem, siue leuem iniuriam propter Ecclesiasticæ personæ dignitatem fieri enormem, affirmo cum Syluestro *verbo Enorme, qu. 2.* & multis alijs; & probatur ex Aristot. *lib. 5. Ethic. cap. 5.* qui docet atrocitatem iniuriæ spectari ex nobilitate personæ, cui fit iniuria; quare si inferatur iniuria Principi, ab homine plebeio, etiam si Author iniuriæ subsit ditioni Principis alieni, quamuis iniuria sit per se leuis, tamen propter amplitudinem personæ offensæ, adeò augetur, vt transferatur ad atrocem, quod clare colligitur ex supradicta extrauaganti, vbi hæc inter alia habentur: Ad iudicandum tamen, quæ læsio sit leuis, mediocris, aut enormis, volumus diligenter perpendi, non solùm factum, sed etiam qualitatem eius, & modum percutiendi, & lædendi cum omnibus suis circumstantijs, loci, personæ, & alijs; Personæ, si est Magister, Iudex, Prælatus, Dignitas, Pater, aut Patronus, percussus iniustè à subdito, aut ab aliquo se viliori; quia ex hoc interdum censentur graues iniuriæ, quæ ex se sunt leues, aut mediocres, &c.

15 NON sufficere vnam, aut alteram sanguinis guttam, vt propterea grauis iniuria facta Clerico censeatur, affirmo ex Gloss. *in capit.*

cum

cum illorum in verb. effusione, *de sententia excommun.* quæ animaduertit effusionis vocabulo, significari copiam, seu abundantiam, quod idem docent Suarez *tom. 3. dist. 81. sect. 4.* & plusquam viginti Doctores.

16 PERCVSSIONEM Clerici alioquin leuem, fieri ob circumstantiam scandali enormem, assero ex Glossa in *cap. cum illorum in verb. mutilationem, de sentent. excomm.* & cum Syluest. *verb. absolutio 4. quæst. 2.* & quamplurimis alijs, & probatur ex *extrauag. Perlectis*, ex qua Cordubensis *qu. 35. verb. dico tertio*, dicit Laicum, qui leuiter repulit Clericum excusso eiusdem brachio, si factum fuisset cum notabili scandalo, grauem iniuriam arbitraturus, quod occulta fuerit, leuem arbitratus est.

CAPVT XVI.

DE COMMODATIONE.

Quid asseri poterit, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad supradictam materiam.

1 COMMODANTEM non posse ante tempus præfixum repetere rem commodatam; affirmo ex *l. in commodato 17. §. Sicut autem*, ibi: *Postquam commodauit tunc finem præscribere, atque intempestiuè vsum commodatæ rei auferre impedit, ff. commod. cap. vnico, de commod.* Quia posito beneficio commodati, oritur obligatio seruandi, quod promissum est, *cap. 33. de Regul. Iur. in 6.* vbi quis non debet consilium mutare in detrimentum alterius, nisi emergat casus inopinatus, in quo non commodasset prudenter si præuidisset, quia

quia quilibet ex re sua sibi magis, quàm alteri subuenire potest, vt docet Less. *lib. 2. de Iust. cap. 27. num. 20.* Vbi hæc habet; Etiam si commodans sua voluntate rem concesserit, id tamen intelligendum cum hac tacita conditione; Nisi interim contingerit eam necessariam esse commodanti. Quisque tenetur seruare fidem promissorum, quamdiù manet idem status rerum, qui erat tempore promissionis: Si res notabiliter mutentur, non tenetur, vt docet D. Thom. *quæst. 110. art. 3. ad 5.* & alij Doctores: vt si quis promiserit alteri alimenta, & postea ipsemet incidat in paupertatem, si promisisti operam tuam, & interueniat morbus vxoris; Si promisisti puellæ nuptias, quòd putares illam esse virginem, & postea depræhendis non fuisse, his, & similibus casibus reuocatur promissio, eo quod promittens non censeatur eos voluisse comprehendere; Idem potiori ratione dicendum: Si quis promiserit aliquid commodandum, vel etiam commodauerit, & euentus superuenerit, quem non intendebat complecti.

2 SI duo ex pacto se obligarint ad casum fortuitum rei ipsis commodatę, pereunte commodato, singulos tantùm pro sua parte teneri, nisi expresse conuentum fuerit, vt insolidum tenerentur. Affirmo cum Layman *lib. 3. de Iustitia tract. 4. cap. 14. num. 2.* qui pro se citat Gloss. in C. §. *si apud duos ver. peruenietur*, & Molina *tom. 2. disp. 296. in fine*.

3 SI Commodatarius, vt debet, præferendo pretiosiora aliena, propriarum rerum iacturam fecit, nihil posse exigere à Commodante; affirmo cum supradicto Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 7. num. 7.* vbi docet, quod quamquam de depositario, conductore, & caupone aliter sentien-

tiendum sit, qui iure in supradicto casu compensationem exigere possunt, nulli enim officiũ suum damnosum esse debet, & maximè si vtile negotium gesserunt, dum aliena proprijs prætulerunt, ad quod nullo modo tenebantur; cum in pari causa quisque præferre possit propria alienis, at in casu de Commodato, æquitas non patitur, vt is qui commodauit, damnum sustineat occasione eius contractus, qui in solius commodatarij vtilitatem institutus erat, ipse verò commodatarius immunis sit, hæc Layman, qui hanc sententiam vocat communem.

4 SI res commodata pereat, non solùm eam perire illi, cuius dolo destruitur; sed si res commodata sit in vtilitatem dantis commodatum, accipientem teneri ex culpa lata; si in vtilitatem accipientis, teneri accipientem ipsum ex culpa leuissima, si res commodata pereat; quod si hæc commodata sit in vtilitatem vtriusque nimirum tam dantis, quàm accipientis, hunc teneri ex culpa leui; affirmo ex *l. in rebus* 18. *ff. commodati*, *& l. si vt certo*, 5. §. *nunc videndum*.

CAPVT XVII.

DE COMMODATARIO.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam casibus pertinentibus ad supradictam materiam de Commodatario.

1 SI res commodata pereat casu fortuito, nimirum latrocinio, morte, morbo, incendio, rapina, tumultu, & similibus, non

non teneri commodatarium ad illam restituendam; affirmo ex *l.1.C.commodati,ibi; Equidem, quæ vi maiore auferuntur detrimentorum, quibus res commodantur imputari non solent l.sicut certo 5.§.nunc videndi l.in rebus 8.D. eod.l.contractus 28.D. de regulis Iuris,* quia nemo ad impossibile,& sic, nec ad casum fortuitum obligari potest,vt docet Mascar.*ver. commodatum conclus.317.*

2. SI res commodata pereat vsu concesso, perire Domino rei, affirmo ex *l.si commodauero*, ibi; *si commodauero tibi Equum quo vtereris vsque ad certum locum,& nulla culpa tua interueniēte,in ipso itinere deterior equus factus sit, nō teneri cōmodati l.eum qui 10.D.de Cōmodato.*

3 IDEM affirmo ex Molina *Tom. 2. tractat. 2.disput.295.num.* 7. Si res commodata pereat in alio vsu rationabiliter præsumpto ex voluntate Domini.

4 SI commodatarius vtatur re commodata ad alium vsum,quam ad concessum à commodante,posse hunc vti triplici actione contra commodatarium, nimirum Rei vindicatione, Restitutoria existimationis illius vsus,& actione furtiua affirmo cum Molina *loc.cit.lit. B.& ex l.qui iumenta.ff.de Furtis §.furtum est. & §. furtum autem fit.*

5 SI commodatarius mittat rem commodatam per aliquem non idoneum ad commodantem,si res ipsa commodata pereat,teneri commodatarium,ipsam restituere, quod si sit idoneus ille,per quem mittitur Domino perire,& commodatarium ad nihil teneri; affirmo ex *l. cum qui §.fin.& l.11.l.argentum ibi, Tuum non meum detrimentum erit si id mali homines.*

6 Si commodans cōmodauit vitiosum Equum V. G. & vitium non notificauit commodatario,

datario, dum posset, teneri ad restituenda damna, si forte sequuta sint ex tali commodatione; affirmo ex *l. in rebus* §. *item qui sciens*; *& l. penult.* §. *commodat.*

7 SI in pactum deducetur, quod etiam si res commodata pereat casu fortuito, Commodatarius teneatur ad illius restitutionem, eum in tali casu teneri; affirmo ex *Cap. vnic. de Commodat. lib. 1. cap. eod. tit. & lib. 3. tit. 2. par. 5.*

8 TENERI etiam de casu fortuito, Commodatarium, si vsus sit re commodata aliter, aut ad aliud, quam ad id, ad quod fuit concessa, aut ex mora, vt aliquo alio, quod Commodatarius fecit, verè fuit occasio, quod res periret, aut deterior redderetur; affirmo ex *Capit. vnic. de Commodat.* §. *item* 15. *vers. at is.* & alijs legibus, quas pro firmanda hac sententia citat Molina. *Tom. 2. tract. 2. disp. 295. lit. C.*

9 QVOD si res Commodata eodem modo peritura fuisset apud Dominum, esto Commodatarius in mora non fuisset illam restituendi, vel illa vsus non esset aliter, aut ad aliud, quam ad id, ad quod ei commodata fuit, eam non teneri restituere, sed solum æstimationem vsus, vltra id, ad quod commodata fuit; aut lucri cessantis, si forte dictum lucrum plus æstimabitur, quam valor vsus illius, affirmo cum eodem Molina *loc. cit. lit. D.* vbi multos DD. pro se citat; quia Commodatarius non plus tenetur in eo euentu Domino rei illius, quam illi fuerit causa, aut occasio damni, ratione illius moræ, aut vsus extra id, ad quod fuit concessa, quando autem eodem modo peritura erat apud proprium Dominum, sanè neque causa, neque occasio fuit, vt res periret.

C A-

CAPVT XVIII.

DE CENSV.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam casibus pertinentibus ad materiam de Censu.

1 ESSE licitum censum reseruatiuum, quo quis transfert rem suam in alium, quoad Dominium directum, & vtile, reseruata sibi aliqua pensione super ea re; affirmo cum Trullench. *Tom. 2. in decal. lib. 7. cap.* 21. *dub.* 1. *num.* 3. Menoch. *Lib.* 10. *consf.* 98. *num.* 12. & alijs.

2 CENSVM consignatiuum, quo quis retenta re sua, eiusque vsu, dat alteri ius exigendi in illa re certam pensionem menstruam, vel annuam, esse licitum; affirmo cum Menoc. *Consf.* 983. *num.* 12. Carena. *Resol.* 174. *num.* 3. de Ponte *de censf.* 32. *num.* 2. Trullench. *loc. cit. num.* 5.

3 POSSE exigi pro pretio iusto Census in Regno Neapolitano ad rationem Decem pro centenario; assero ex *Pragm.* 1. *de Censf.* quod etiam docet Tiraquell. pro omnibus regionibus de *retract. Consanguin.* §. 1. *glosf.* 6. *num.* 17. & 19. Surd. *Lib.* 2. *consf.* 262. *num.* 34. sed Nauar. *Vsur. num.* 104. Couar. 3. *par. cap.* 9. *num.* 5. Thesaur. *Decisf.* 154. Gratian. *cap.* 141. *num.* 25. censent standum in hac re consuetudini cuiuslibet regionis.

4 QVOD si constituatur census vltra taxationem *Pragm.* 1. *de Censibus*, vel contractum *esse* nullum, vt ait Pratus, *Tom.* 2. *for. cap.* 38. *num.* 19. vel in hoc casu excessum extinguere sortem; affirmo cum

Viuio *Decis.373*.Castill. *Decis.209*. Petra *Rit.* *237.num.13*.& id ne vtile per inutile vitietur, vt habetur ea *l.1.§.sed si mihi D. de Verb.obl.*

5 LICITVM esse in censu apponere pactum, vt rescindatur contractus, & simul petatur sors principalis cum Interesse, si tertiæ non soluantur; affirmo cum Lessio *Lib.2.de Iustit.* *& iur.cap.22.dub.11.num.68. in fin.* Afflict. *Dec*.80.de Marinis *tom.2.cap.163.num.2.* qui dicit semper tale pactum subintelligi, nam est consuetum,quia conditiones, ad faciliorem exequutionem reprobari non debent.

6 LICITVM esse pactum in quo Venditor semper teneatur ad pensionem, etiam si res subiecta censui casu pereat, si pactum huiusmodi iusto pretio compensetur, quod iustum pretium erit, quanti illa obligatio conditionalis iudicio probi, & intelligentis viri, considerato periculo euentus, æstimabitur; affirmo cum Lessio *Lib.2. de Iust. & Iur.* *cap.22.dub.11.num.66.* Tum quia in supradicto contractu intercedunt duo pacta, quæ separatim sunt licita; vt si primò ematur census absolutè; deinde fiat pactum illud soluendæ pensionis, in quocumque euentu: ergo, si sunt licita supra dicta pacta separatim sumpta; quare non erunt iusta,etiam iunctim? Nam non ex vi vnius contractus, vltra iustum pretium obligat emptor venditorem ad alium, quod est illicitum, sed non vult celebrare vnum contractum sine alio, quod potest licitè facere, potest enim se nolle obligare, vel applicare ad vnum contractum, nisi alter se obliget, & paratus sit applicare ad alterum. Tum quia pactum illud accessorium, est pactum assecurationis, sed tale pactum assecurationis alijs contractibus addi

addi potest, ergo etiam contractui census.

CAPVT XIX.

DE COMÆDIA.

Quid possit teneri, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam casibus pertinentibus ad supradictam materiam de Comædia.

1 MAGISTRATVM permittentem Histriones ad aliquod tempus, causa euitandi aliquod maius malum, non peccare; assero cum Baldello *Tom.* 1. *lib.* 3. *D.* 18. *num.* 13. quia permissio hæc est solum tolerantia superiorum ad euitandam maiorem populi licentiam, sicuti est illa, qua tolerantur meretrices. *Cap. meretr.* 34. *quæst.* 44.

2 ILLOS qui intersunt Comædijs ob solam vanam curiositatem mortaliter non peccare; affirmo cum Bon. de *Matr. quæst.* 4. *punct.* 9. *nu.* 21. qui hanc sententiam docet post Sanch. Filliuc. & alios. Dicens illam esse communem; quia vt supponitur abest periculum lapsus, & delectatio non transit in rem repræsentatam.

3 EOSDEM spectatores comædiarum non peccare ratione scandali; affirmo cum Bardi in *Select. lib.* 9. *quæst.* 2. *sect.* 15. *num.* 5. Ferran. de *Scand. D.* 1. *quæst.* 63. *num.* 35. Dian. *part.* 11. *tract.* 5. *resol.* 52. qui pro se citat alios; quia quicumque non influunt in ruinam proximi non committunt peccatum scandali actiui, vt patet ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 1. Diuo Hieronymo, & Gloss. *Matt.* 18.

Sed ſpectatores huiuſmodi cum ſoluant pretium hiſtrionibus, iam paratis ad proferenda verba turpia, & ſimilia, verè non dicuntur influere in illud malum, vt præter citatos docet Suar. *Tom. 4. in 3. part. D. 22. ar. 4. num.* 18. vbi ait non adeſſe circumſtantiam ſcandali, ſi petas ab omnino parato, vt euenit in caſu noſtro, nam ſpectatores ſupradicti perinde ſe habent, ac ſi dicerent ad hiſtriones; Nos non cupimus, vt repræſentetis comædias obſcænas, ſed ſi ex veſtra voluntate, & determinatione illas repræſentaturi eſtis, hanc offerimus pecuniam, vt concedatis locum ad eas audiendas; ergo tales ſpectatores ob hanc rationem verè non peccant.

4 QVOD ſi ſpectatores huiuſmodi, antecedenter conueniunt, vt ait ſupradictus P. Bardi, cum hiſtrionibus, eiſque promittunt accedere ad comædias, & illis proportionatam mercedem ſoluere, & hoc vt hiſtriones ipſi, ſecuritatem aliquam de lucro habentes, alliciantur ad comædias recitandas, aliàs eas non recitaturi; indubitatum eſt, vt inquit idem Bardus, ſpectatores huiuſmodi peccare mortaliter: Quia in tali caſu fouerent animum hiſtrionum, ad repræſentandas illas turpes actiones, & ad proferendum verba turpia inducentia ad amorem inhoneſtum.

CAPVT XX.

DE COMMVNIONE SACRAMENTALI.

Quid, TVTA CONSCIENTIA, asserendum in quibusdam selectioribus Conscientiæ Casibus ad Communionem Sacramentalem spectantibus.

1 SI dum es prope Altare, vbi sumpturus es Sacram Eucharistiam, recorderis alicuius peccati, quod ex inculpata obliuione Confessori non aperuisti, es Tutus in Conscientia, si post peractam Communionem illud clauibus subdas, ratio est, vt aiunt Henriquez *Lib. 8. de Euchar. cap. 46. num. 3.* Fagund. de *Eccl. prac. lib. 3. cap. 9. num.* 14. & alij. Quia sicuti non benè moratè se gereret, qui inuitatus à Rege, quando iam sedet ad mensam, & cibum regium expectat, recedere vellet; vel ad breue tempus, ita similiter in casu nostro irreuerenter, quodammodò te gereres relinquendo inchoatam actionem, & absque necessitate, dum benè dispositus es per absolutionem indirectam talis peccati. Ad quod accedit doctrina Suarez relati à Fagundez *loc. cit.* qui asserit quod moraliter, & practicè loquendo, nunquam deesset aliqua nota, & obmurmuratio, si communicaturus surgat à sacra Mensa, vt confessarium adeat.

2 SI vrgente necessitate, nimirum quando instat mortis tuæ articulus, vel quia daturus es viaticum alteri moribundo, vel quia si non communicares incurreres infamiam, te esse Tutum in Conscientia, si præmissa contritione Communionem sacram sumas, aut celebres, ait de Lug. de

Euchar. disput. 14. *sect.* 5. *num.* 107.

3 SI, ait Zambranus de *Sacrament. pœnit. cap.* 4. *dub.* 6. *num.* 6. vocetur Sacerdos ad communicandum Infirmum, & hic volens se reconciliare, inueniatur pluries, Sacramentum Pœnitentiæ inualidè suscepisse, vel quid simile, Sacerdos ipse erit; Tutus in Conscientia, si audiat ea peccata, quæ pro temporis opportunitate audire poterit, & deinde cum accusatione infirmi generali, illum absoluat, obligando eum ad vocandum quam primum Confessarium, cum quo perficiat Confessionem, quia sic euitatur nota infamiæ, & præmittitur Confessio tunc moraliter possibilis; & Gran. *Controu. tract.* 3. *disp.* 5. *num.* 21. qui est in eadem Sententia, hæc verba habet; Sextum Casum (attende quæso mi Lector) tractat author idest *Zambran. cap.* 4. *dub.* 6. quid scilicet fieri posset cum Parochus defert Eucharistiam ægroto, statim communicaturo, & dum audit breuem reconciliationem aduertit pœnitentem teneri ad longam confessionem, eo quod per multum tempus mentitus fuerit in præcedentibus confessionibus? Respondetq; benè, quod si ægroto mors Imminet, ita vt non supersit locus integræ Confessioni, audiat ea peccata, quæ pro temporis opportunitate declarare potuerit, & facta generali accusatione cæterorum eum absoluat, & statim Diuino Pane reficiat; si vero mors non immineat, & saltem spatio dimidiæ horæ nequeat confessio, tunc integrè fieri, eliciat ægrotus actum contritionis, & sumat Eucharistiam, differatque confessionem in aliud tempus, quia tunc licitum erit communicare non præmissa confessione, vt scandalum adstantium euitetur, si quidem con-

confessio tunc ritè fieri non potest, & superest tempus, quo perfectè fiat; sic ex Zambr. Gran.

4 TE non peccare, nisi venialiter tantum, docent Sanchez *Lib. 9. de Matrim. disp. 13. num. 3.* & Tambur. in *Meth. Santiss. Comm. capit. 3. §. 6. num. 9.* Si accedas ad Eucharistiam postquam eadem die debitum à tua coniuge exegisti; Quia sicut non apparet magna irreuerentia sic accedendo, ita aliqua irreuerentia, & indecentia videtur apparere; Verum ex comm. DD. ipsemet, Sanchez *loc. cit. num.* 8. ait posse adesse aliquas iustas causas, quę indecentiam illam resarciant, adeòque nullam culpam in tali casu committi, nempe si magna festiuitas celebretur, si sit dies iubilæi, exigatque communionem, qua illud comparetur; specialis deuotio; atque præparatio; nota aliqua, quæ suboriretur, si communio omittatur.

5 NVLLAM verò committi culpam ab illo coniuge, qui post Communionem peractam, eodem die accedit ad vxorem, quamuis esset sanum consilium non accedere propter Sacramenti reuerentiam; docet idem Sanchez *loc. cit. num.* 17. Quia, vt inquit idem Sanch. multos pro se citans nullibi inuenitur talis prohibitio, nec est talis indecentia, quæ culpam constituat.

6 MVLIERES, si se ornantes nullum committant excessum in ipso ornatu, vt accidit fæminis timoratis, nullam committunt culpam, sic accedendo ad communionem, si tamen multæ sint, & nimiæ in se ornando iuxta illud (*dum comuntur, dum pectuntur annus est*) non erunt excusatæ à veniali, adeoque sic accedentes ad communionem, venialiter peccabunt, ita comm. DD.

7 SI quemcunque cibum, etiam modicissimum, ex proposito deglutias, peccas grauiter, si po-

stea accedas ad communionem; Quia ex Concilio Toletano, quicumque cibus, vel potus, etiam minimus, ante communionem prohibetur.

8 ERIS tamen Tutus in Conscientia, si postquam ossiculum, vel frustulum ligni solidi, seu frustum vnguis, aut globulum plumbeum, vel monetam auream, siue filum ex serico, vel lana, aut ferro deglutiueris, accedas ad communionem; Quia vt ait de Lug. *Disp.15. de Euchar. sect.2. num.32.* supra omnia enumerata, non sunt cibus, & non alterantur in stomacho, vt experientia constat, nam integra egeruntur in excrementis.

9 NON tamen Tutus es in Conscientia, si comedas Terram, seù cretam, & postea accesseris ad communionem, ob contrariam rationem, nam vt innuit Tamburinus in *Meth. Sanctiss. Comm. lib.2. cap.2. §.19.* cum terra, seu creta, non sit purum elementum alteratur in stomacho, & consequenter violat ieiunium; de Lug. *loc. citat. num.23.* docet quod si deglutias, dum os abluis immistam saliuæ guttulam aquæ, es Tutus in Conscientia, si postea accedas ad communionem. Sic etiam de Lugo *num.33.* asserit, Te esse Tutum in Conscientia; si post quam casu traieceris culicem, vel puluerem, vel muscam, quæ casu in os tuum volitauit, accedas ad communionem.

10 INSVPER si sanguinem descendentem à capite, vel gingiuis deglutias, vel sumas tabaccum per nares, siue in folio, siue in puluere, siue in fumo, & postea accedas ad Eucharistiam, aiunt te esse Tutum in Conscientia, nec venialiter quidem peccare, Tamb. *loc. citat.* & plures alij apud ipsum; Ratio est, quia in omnibus his casibus, non adest

vera

vera comestio, vel potatio, sed vt ipse Tamb. §.7 *num*.23. dicit, in primo casu, quem nos modò diximus, dicitur Traiectio saliuæ, in secundo respiratio, in tertio fluxus, in quarto attractio, seu afflatio narium.

11 SI Vesperi ponas in ore tabellas confectas ex saccharo, & rosis incompletis, vel similibus, ante somnum, & postea experiaris etiam post mediam noctem, superesse aliquam particulam illarum, te non posse, TVTA CONSCIENTIA, accedere ad communionem, ait idem de Lugo *num.* 26. *&* 27. Quia iam fuit in tali casu violatum ieiunium.

12 E contra, Tutum te esse in Conscientia, ait Bon. dec *Sac. Disp*.4. *quæst*.6.*punct*.2.*num*.9. si post quam tenueris in ore aliqua aromata, imò, & post quam ea contriueris ad confortandum caput, v. gr. vel euacuandum humorem flegmaticum, & illa non deglutias, accedas ad communionem; Quia talis actio nullatenus est comestio.

13 SI post quam comederis, ante mediam noctem quidem, & postea non dormieris, vel cibum non digesseris, accedas tamen ad communionem, es tutus in conscientia, & nullo modo peccas, quia hæc non sunt in præcepto, vt ait idem de Lug. *num*.39.

14 QVOD si dubitaueris, an sis ieiunus, ex eo, quia nescis an comederis, nec ne? Layman *Lib. tractat*.1. *cap*.5. §.4. *numer*.36. & de Lugo *loc. citat. num*.42. aiunt te esse Tutum in Conscientia, si post tale dubium communicaueris; Quia in tali casu, possessio stat pro libertate, & quia in tali dubio, & similibus fauorabilia, vt loquar cum ipsomet Layman, præsumere licet, ne conscientiæ nimis astringantur.

15 QVOD si verò certus es, quod comederis, & dubitas an comestio fuerit ante mediam noctem, possessionem stare pro præcepto, ait idem de Lugo, sed in vtroque casu tibi concedunt communionem, & esse te Tutum in Conscientia si accesseris ad communionem: Quia etiam in hoc secundo casu, possessionem stare pro libertate communicandi, aiunt Diana *Part.3. tractat.4. resol.29.* Ioannes Sanchez in *Select. disp.42.* & alij, quos pro se citat Tambur. in *Meth. exp. comm. cap.2. §.7.num.29.*

16 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, & absque vllo peccato, sumi Sacram Eucharistiam illo mane ab eo, qui nocte præcedenti pollutionem, præter voluntatem passus est, vel voluntariè illam fecit, & de illa ritè confessus est, vel habuit coniugalem copulam causa solius voluptatis; Affirmo cum Diana *Part.10. tr.16.resol.33.* qui multos affert pro hac opinione magni nominis DD. Patr. Dicastillo de *Sac. tom.1.tr.8.disp.9.dub.14.num.245.* Quia ille, qui digne accedit ad Eucharistiam non peccat venialiter, sed ex Concilio Tridentino, qui nullius sibi peccati mortalis conscius est, dignè accedit; Ergo iste talis, qui in supradictis casibus nullius peccati mortalis actualiter est reus, absque peccato veniali potest accedere ad Sacram Communionem.

17 NON esse præceptum de iure Diuino quotidianam Communionem, cum communi Theologorum, & DD. affirmo, & contrarium docentes redarguendos esse, vtpotè falsum asserentes præcepit SS.D. N. Innocentius XI. anno 1679.

18 QVOTIDIANAM Communionem licitam esse omnibus; affirmo, tum ex Doctrina Conci-

Conciliorum, & præsertim Sacri Concilij Tridentini, tum ex DD. omnium consensu dummodo ex frequentiori sumptione SS. Christi Corporis reuerentia non minuatur, vt ait D. Thomas in 4. *Sent. dist.* 12. *quæst.* 3. *artic.* 1. illis verbis, Vndè si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione feruorem augeri magis, & reuerentiam non minui, talis deberet quotidie communicare, & SS. D. N. Innocentius XI. Vigilantissimus suarum Ouium Pastor, in eodem Decreto emanato anno 1679. hæc verba inter alia habet: In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum inuigilabit, non vt à frequenti, aut quotidiana Sacræ Communionis sumptione, vnica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituatur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet, illudque omninò prouideat, vt nemo à Sacro Conuiuio, seu frequenter, seù quotidie accesserit, repellatur; & nihilominus det operam, vt vnusquisque dignè pro deuotionis, & præparationis modo, rarius, aut crebrius, Dominici corporis suauitatem degustet.

19 SICVTI posse, TVTA CONSCIENTIA, sumi Sanctissimam Eucharistiam in Ecclesijs, seu Oratorijs priuatis erectis ex dispositione Pontificis, de manu Sacerdotis, sic nullo modo posse eam deferri in crumena, aut secretò ad existentes domi, vel cubantes in lecto; assero ex Doctrina communi DD. & ex Declaratione supradicti Summi Pontificis in eodem Decreto anno 1679. emanato.

20 OMNINO circa Communionem in Feria sexta Parasceue esse obseruandas Rubricas Missalis, & Ecclesiæ Romanæ vsum,

assero

afſero ex Declaratione prædicti Summi Pontificis in eodem Decreto.

21 NON poſſe, TVTA CONSCIENTIA, tradi communicantibus, plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas, affirmo ex communi doctrina, & eodem decreto.

22 NON ſatisfieri præcepto annuæ communionis per ſacrilegam manducationem Domini; affirmo cum communi DD. nec adduco rationes id probantes, dùm contraria opinio damnata fuit ab Innocentio XI. anno prædicto.

23 NVLLO modo eſse notam prædeſtinationis frequentem Confeſſionem, & communionem, in ijs, qui gentiliter viuunt; aſſero cum communi DD. nec neceſsarium iudicaui adducere rationes hoc idem probantes, dum contraria opinio damnata fuit ab eodem Pontifice eodem anno.

24 IN articulo mortis eſſe obligatos Fideles ſub graui recipere ſacram Euchariſtiam, etiam ſi in tempore Paſchatis ipſi communicarunt, quia ſuppoſito præcepto diuino recipiendi aliquoties Euchariſtiam, neceſsariò debet concedi obligare hoc præceptum peculiariter in articulo mortis, in quo maior neceſſitas currit huius diuini cibi, dum ab illo dependet æternitas, aiunt quamplurimi DD. apud Leand. *Tr. 7. de Euchariſt. diſp. cap. quæſt.* 4.

25 PROBABILITER te teneri communicare per modum viatici in articulo mortis, etiam ſi paulò antè communicaueris ob deuotionem, quia præceptum communicandi in mortis articulo, eſt diuinum, & obligat ſolum in mortis articulo, ergo eiuſmodi præcepto non potuit ſatisfieri communione facta ex deuotione, & ante

ante talem articulum, quando non obligabat, Affirmant Valquez *Tom.3. in 3. part. quæst.80. disp.224. capit.2. num.16.* Hurtadus *disp.10. de Sacr. Euchar.dif.2.* & quamplurimi alij.

26 LICET Suarez, Fagundez, & alij quos refert, & sequitur Lug. *Disput.16. num.52.* doceant nec debere, nec posse in casu supradicto, nimirum quando eadem die quis communicauit ex deuotione, eum iterum sumere Eucharistiam pro viatico; tamen, vt supradictum est, multi alij DD. apud Leandr. aiunt probabiliter eumdem posse imo debere in eo casu Eucharistiam sumere pro adimplendo diuino præcepto, cum hoc magis ponderis sit, quam Ecclesiasticum, quod prohibet bis eadem die extra Missam communicare, quod idem docet expressis verbis Ludouicus de San Iuan in sua *Parua Summa part.4. de Commun. infirmorum. num.45. fol.85.* asserens in supradicto casu non solum posse istum talem communicare per modum Viatici, verùm etiam teneri sub pœna peccati mortalis; Quia prior sumptio Sacræ Communionis fuit voluntaria, ista de pręcepto diuino, & ex obligatione, & sumpsisse eadem die Sacram Eucharistiam non tollit tam magnam obligationem sumendi illam per modum Viatici, sicuti auditio Missæ facta ante tempus, vel diem, quo obligabat præceptum de illa audienda, non tollit obligationem præcepti illam auscultandi denuò.

27 ETIAM ante vnam horam antequam damnatus ad mortem occidatur, posse ei administrari Sacramentum Eucharistiæ; aiunt Dicastil. *Tractat.4. disp.10. dub.2. numer.26.* Nauar. Fagund. Clauis Regia, & Sotus, quos citat, & sequitur Leander. *loc. citat. quæst.13.* quia in hoc nulla irrogatur iniuria Sacramento,

cum,

cum & iſtud inſtitutum ſit ad animarum vtilitatem, & certum ſit moraliter, quod ſpatio vnius horæ ſpecies Sacramentales digerantur.

28 TENERI Fideles communicare in Paſchate, vt habetur in *cap. omnis vtriuſque ſexus*, quod tempus Paſchatis intelligitur a Dominica Palmarum, vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè quia ſic declarauit prædictum Cap. Eccleſiaſtica conſuetudo, necnon Eugenius IV. vt referunt Syluester *Verb. Euchar.* Lug. *diſp.* 16. *num.* 62. *pag.* 497. & alij; in his ergo diebus poteſt quis, & tenetur adimplere præceptum annuæ communionis.

29 EX quocunque capite omittatur communio in tempore Paſchali, remanere obligationem illam faciendi elapſo illo tempore, & quamprimum poſſit poſt Paſcha; affirmo cum Vaſquez *Tom.* 4. *de Pœnit. quæſt.* 90. *art.* 3. *dub.* 2. *num.* 13. Layman *Tract.* 4. *lib.* 5. *capit.* 5. *num.* 8. & quamplurimis alijs. Quia terminus ſupradictus temporis Paſchalis, non aſſignatur, vt in illo ſolo debeat fieri, ſed quod vltra illum non debeat differri opus præſcriptum; Nam in hac lege ſunt duo præcepta, alterum communicandi ſemel ſaltem in anno, alterum communicandi in Paſchate; quando ergo hoc ſecundum præceptum impleri non poteſt, debet obſeruari primum, cui opponitur illa vlterior dilatio Communionis.

30 ETIAM tempore interdicti teneri fideles ad adimplendum præceptum annuæ Communionis, aiunt Nauar. *Cap.* 17. *num.* 178. quem citat, & ſequitur Leander *Diſp.* 3. *de Euch. quæſt.* 13. Quia iure nouo per capnt Alma Mater, conſtat non obligare interdictum in quatuor feſtiuitatibus anni, ex quibus vna eſt Paſcha, in quo obli-

obligat præceptum Communionis, vt supra dictum est.

31 IN propria Parochia esse adimplendum hoc præceptum, & posse adimpleri in aliena, aut alibi ex licentia Parochi, aiunt Suarez *disput.22.sect.2.* Azorius *lib.7.cap.30. quæst.6.* Fagundez, & communiter omnes.

32 POSSE adimpleri hoc præceptum in Cathedrali aiunt Genuensis in *Praxi cap.16. num.22.* Barbos. Gabr. Gesualdus, & alij apud Leandrum *loco citato*, quia Ecclesia Cathedralis est communis Ecclesia Dioecesis, in qua cum resideat communis Pastor, benè dici potest illam esse Ecclesiam propriam omnium Fidelium illius Dioecesis, & sic vsu receptum est in hac ciuitate Neapolitana.

33 DEFICIENTE Parocho, aut nolente per se sacram Eucharistiam infirmo ministrare, nec concedere facultatem eam ministrandi, posse à quolibet Sacerdote, imò Diacono in mortis articulo porrigi Sacrum Viaticum, TVTA CONSCIENTIA, aiunt Henriquez *lib.8.cap.55.nu.1.litt.A.* Suarez *disp.33.* Dian. *par.9.tract.9.resol.63.* Vasquez, Toletus, & alij, quia in talibus casibus, & adest voluntas interpretatiua Episcopi, vel Papæ, vt iuuetur infirmus, & voluntas irrationabilis, ac impia Parochi, facit, vt absens reputari debeat.

34 SI præuideas te non posse communicare intra quindecim dies supradictos ad adimplédum Paschatis Præceptum te non teneri, TVTA CONSCIENTIA, præuenire tempus illud, & communionem facere; affirmo cum Azor. *tom.1. lib.7. cap. vltimo, quæst. vltima.* Dicastillo *tract.4. disput.10. dubit.6.* Layman *lib.5. tract.4. cap.5. num.9.* & multis alijs apud Leandrum *loco citato quæst.30.* quia ante illud

illud tempus Paſchale non obligat communionis præceptum; ergo &c. quod confirmatur; nam ille, qui tenetur ieiunare, aut audire ſacrum non tenetur anticipare ieiunium, nec Miſſam audire ante diem feſtum, quam in die feſto præuidet ſe non poſſe audire, ſic à pari, &c.

35 QVIBVS addit tamen ſupradictus Layman *loco cit.* hanc doctrinam tunc ſolùm valere, quando intra annum Communionem ſumpſiſti; nemo enim obligatur ad anticipādum opus præceptum, niſi tali anticipatione ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ de Communione Paſchali, quod eo ſigno colligitur, quia ſi ponamus poſtea impedimentum præter opinionem tolli, adhuc obligatus eris ad Paſchalem Communionem; Quod ſi poſt vltimum Paſchale tempus nunquam communicaſti, & initio quadrageſimæ, v. g. præuides te circa proximum Paſcha impeditum iri, omninò teneris præuenire, ne vltra annum ſacram Communionem differas contra Eccleſiæ præceptum, vt ſingulis annis, ſaltem in Paſcha (vt ait Trident.) Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipiatur; cum enim in hoc Sacramento duo ſint, vnum principale, ac ſubſtantiale, ne ſcilicet ſacra Communio, vltra annum differatur, alterum acceſſorium, vt nimirum tempore Paſchali Sacramentum ſuſcipiatur; tametſi anticipando adimplere non poſſis hoc ſecundarium, potes tamen quod eſt principale, ac magis ſubſtantiale.

36 POSSE TVTA CONSCIENTIA, ad communicandum Laicum ob ſolam eius deuotionem, à celebrante partem ſuæ hoſtiæ diuidi, & illi porrigi, ſi non adſint aliæ formulæ, aiunt Syluester *Verb. Euchariſtia*, 2. *num.* 15. Suarez

*tom.*3.

tom.3. in 3. part. disp.85. sect.2. §. 2. *secundò in sumptione.* Fagund. in 1.*Pracep. Eccles. cap.20. num. 9.* Dian.*par.* 10. *tract.*11. *resol.* 70. & alij quamplurimi ab ipso citati, quia Sacerdos non tenetur consumere totam quantitatem, quam consecrat, vt patet quando cum sua Hostia consecrat alias particulas.

37 ADVERTIT verò Diana *loc. cit.* ex P. Dicastillo, requiri aliquas causas, vt à Sacerdote hoc fiat absque vllo peccato; v.g. Si communicaturus non habeat aliam Missam, vel cogatur diù eam expectare; Si persona nobilis, vel grauis velit tunc communicare, vt postea sit expeditus ad sua negotia, si famuli, ac famulæ vellent communicare citò, ad exhibenda seruitia dominis, vel si demum diù pro afferenda particula Sacerdos expectare deberet.

38 POSSE TVTA CONSCIENTIA, à Sacerdote chiragra impedito, & qui nequit Eucharistiam ministrare pollice, & indice, alijs digitis Sacram Communionem porrigi, ait Leander citans pro se Posseuinum, imò affirmat ipse Leander *tract. 7. de Euchar. disput.* 4. *quæst.*19. non solùm posse, sed debere in casu necessitatis Sacerdotem tali modo sacram Eucharistiam ministrare, quia tota Sacerdotis manus est consecrata.

39 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, à Sacerdotibus tempore pestis ministrari Eucharistiam ægrotis in cochleari argenteo, vt sic effugiant contagium, aiunt multi apud ipsum Leandrum *loco cit. quæst.*20. licet ego expertus sim tempore pestis Neapolitanæ, quæ in hac Ciuitate interfecit, vt aiunt 500000. hominum, multos Sacerdotes ministrantes Sacram Eucharistiam in chocleari argenteo peste perijsse, & multos ministrantes illam proprijs mani-

manibus, vt & ego ipſe ſemper feci, intactos à lue remanſiſſe.

40 MINISTRARE ſacram Euchariſtiam in peccato mortali, peccare mortaliter; aſſero cum Filliucio *tom.* 1. *tract.* 4. *num.* 271. Coninch. *de Sacrament. quæſt.* 64 *art.* 6. *dub.* 1. *num.* 35. Valentia *tom.* 4. *diſput.* 6. *quæſt.* 10. *punct.* 5. & alijs. Quia cum miniſtrare Sanctiſſimum Sacramentum ſit actus, ad quem ex officio conſecratur Sacerdos, requirit conuenientem diſpoſitionem ex parte ipſius miniſtri, & vt minimum, vt non ſit in peccato mortali, & colligitur ex *cap. vltimo* 1*,quæſt.* 8. vbi dicitur, adulterum Sacerdotem miniſtrando hoc Sacramentum, ſe tantummodò lædere.

41 ETIAM ſi non ceſſaſti à cibo, & potu, ſtatim ac audiuiſti primum pulſum campanæ ſignificantis mediam noctem, poſſe te communicare; aiunt multi Doctores apud Leandrum *tract.* 7. *de Euchariſtia*, *diſput.* 5. *quæſt.* 7. qui ſuam opinionem probabiliorem reputat, & multis, & validis argumentis probat, inter quæ eſt illud, quia horologium, inquit ille, datum eſt nobis in ſignum temporis, aut horæ diei, & noctis, ſed nequit eſſe nobis ſignum mediæ noctis per vnicum pulſum, ſed per omnes illos, quibus ſignificatur ipſa media nox, ergo quouſque omnes illos pulſus non dederit, non erit ſignum mediæ noctis; Ergo vſque ad illud tempus optimè poterit quis edere, vel bibere, & die ſequenti communicare, cum id poſſit vſque ad mediæ noctis ſignum, quod non datur vſque ad vltimum pulſum mediam noctem ſignificantem.

42 ET ſi, TVTA CONSCIENTIA, te poſſe communicare, ſi etiam non caſu, ſed ſponte, & aduertenter deglutias reliquias, quæ reman-

manserunt ex cœna inter dentes, asserait Henriquez *lib.8. cap.50.* & alij.

43 POSSE te tamen, TVTA CONSCIENTIA, solum communicare postquam casu deglutiueris reliquias cibi præcedentis diei, quæ remanserunt inter dentes; affirmo cum Laymán *lib.5. tract. 4. cap.6.* & cum Cardinali de Lugo *disp.15. de Sacram. Euchar. num.36.* vbi hæc habet: Hinc iam infero primò quid dicendum sit de illis reliquijs cibi præcedentis, quæ inter dentes remanent, si non casu, sed aduertenter deglutiamur; possumus enim vtramque sententiam supra adductam hoc pacto conciliare, vt non sit obligatio adhibendi curam, & diligentiam ad illas reliquias ex dentibus extrahendas, etiam si præuideantur deglutiendæ postea, si non extrahantur, neque etiam debemus eas ex dentibus iam extractas diligenter intra oris angulos quærere, vt expuantur, quia omissiuè nos in ijs habere, non est comedere, sed permittere, vt cum saliua, vel respiratione traijciantur, ad quod impediendum, non obligat ieiunium naturale, hæc de Lugo.

44 NON posse igitur, TVTA CONSCIENTIA, te communicare, si de industria velles ante communionem reliquias supradictas è dentibus extractas, & quas sensibiliter supra linguam iam habes non expuere, immo & de industria illas retinere, & deglutire; affirmo cum Suarez, Vasquez, Layman, & Cardinali de Lugo, qui *loco cit.* asserit, hoc esse contra rationem ieiunij; nam licet, vt inquit ipse, non obligemur ad purgandum aerem dum respiramus, aut saliuam, dum eam deglutimus, debemus tamen non quærere spontè, & ex industria aerem, v. g. vbi est musca, vt eam respirando deglutiamus, & sic de saliua, &c.

45 SI Sacerdos, postquam celebrauerit, & reuersus in Sacristiam inueniat in Patena, vel Calice aliqua fragmenta, seu particulas illius Hostiæ, quam consecrauerat, posse ab ipso, TVTA CONSCIENTIA, sumi, & non solùm ex accidenti, seu quando dictæ particulæ, seu fragmenta non possunt commodè seruari, nec dari alij Sacerdoti celebraturo, sed per se loquendo, quia reliquiæ, quæ in Patena, vel Calice remanent non possunt conseruari sine maiori irreuerentia, cùm propter earum paruitatem faciliter omitti possunt, ergo &c. ita aiunt Leander *loc. cit. quæst.* 51. citans Suarez, Ægidium, Layman, Lug. & multos alios, quod verò ad secundam partem attinet, sic probat ipse Leander, quia nimirum huiusmodi reliquiæ sunt eiusdemmet sacrificij; ergo earum sumptio pertinet ad ipsum Sacerdotem, qui minister fuit talis sacrificij.

46 SVAREZ, *disput.* 68. *sect.* 5. *in fine.* Vasquez *disp.* 211. *num.* 48. Lug. *disp.* 15. *num.* 60. Layman *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 22. & multi alij affirmant posse aliquem non ieiunum celebrare, seu communicare ad vitandum scandalum, vel infamiam, quia hoc præceptum cùm sit humanum non obligat cum tanto onere.

47 POSSE Infirmum in periculo mortis constitutum sæpius in eadem infirmitate persistentem communicare non ieiunum, & post 7. vel 6. aut 3. dies, affirmant multi Doctores, vt videre est apud Leandrum *loco cit. quæst.* 40. quia vt inquit ipse eruditissimus Leander, Concilium Constantiense *sess.* 13. absolutè, & sine limitatione, concedit, infirmo periclitanti, vt non ieiunus possit communicare. Quam concessionem, vt aiunt Suarez, Filliucius, Lugo, Armilla, Diana, & alij multi cita-

ti

ti à Leandro *loc. cit.* debet intelligi seruato aliquo interuallo dierum, inter vnam, & alteram communionem; Non decere enim inquit Henriquez apud ipsum Leandrum, etiam si liceret quotidiè in tali casu sumere sacrum Viaticum, his expressis verbis: Pro Eucharistiæ tamen irreuerentia, non decet, vt sic quotidiè communicet.

48 POSSE te, TVTA CONSCIENTIA, sumpta Eucharistia non multò post aliquos cibos sumere, ait D. Thom. *3. part. quæst.* 80. *art.* 8. *ad* 6. Vbi hæc S. Doctor habet: Et ideò magis est institutum, quod homines ieiunent ante sumptionem huius Sacramenti, quam post, debet tamen esse aliqua mora inter sumptionem huius Sacramenti, & reliquos cibos, vnde & in Missa gratiarum actionis oratio post Communionem dicitur, & communicantes etiam suas priuatas orationes dicunt, quod idem asserit Bonacina *disp.* 4. *quæst.* 6. *num.* 25. & multi alij; Quia quamuis non ita deceat, nullum tamen extat præceptum ad ieiunium, post Communionem obligans, & caput, quod citatur in contrarium, vsu, & consuetudine abrogatum est, vt asserit D. Thom. *loco cit.* & sic apud Regulares, qui dicit vltimam Missam, statim prandere solet.

49 SIC etiam te posse, TVTA CONSCIENTIA, statim post communionem expuere, aiunt Leander, & alij apud ipsum *loco citato quæst.* 44. quia & si decens sit, & quando fieri commodè possit, consentaneum reuerentiæ tanti Sacramenti non expuere, donec bona pars temporis elabatur, tamen dum traiectum sit ad ventriculum ipsum Sacramentum; nulla iniuria illi fit, si statim expuas, præsertim vt expuas reugmata ex capite defluentia, aut saliuam,

liuam, quæ per ſtomachum ad os aſcendat.

50 SICVTI non poſſe, TVTA CONSCIENTIA, amentibus à natiuitate, ſic poſſe, & deberi eiſdem, qui aliquando vſi ſunt ratione, & poſtea in amentiam, & phrænefim inciderunt, miniſtrari Euchariſtiam ad minus in articulo mortis, affirmo ex Catechiſmo Romano *num.* 49. & Rituali Pauli V. *Tit. de Euchar.* & docent Diuus Thom. Suarez, & multi alij, & eſt communis ſententia, dummodo non timeatur periculum vomitus, vel alterius indecentiæ.

51 OBSESSIS, & energumenis, poſſe, TVTA CONSCIENTIA, miniſtrari Euchariſtiam, dummodo non adſit periculum irreuerentiæ, & adſint cætera requiſita, aiunt S. Thom. in 3. *par. quæſt.* 80. *art.* 9. Suarez *diſp.* 69. *ſect.* 2. Vaſquez *diſp.* 212. *cap.* 4. Lug. *diſput.* 13. *in fine*, & multi alij, quia nulla lege eſt prohibitum Euchariſtiam illis miniſtrari, vnde D. Thomas *loco cit.* reſpondens ad 2. *argum.* ſic dicit: Ad ſecundum dicendum, quod Dionyſius loquitur ibi de energumenis nondum baptizatis, in quibus ſcilicet nondum eſt vis dœmonis extincta, quæ viget in eis per originale peccatum, ſed de baptizatis, qui ab immundis ſpiritibus vexantur, eſt eadem ratio, ac de alijs amentibus, vnde Caſſianus dicit: Eis, qui ab immundis vexabantur ſpiritibus, Communionem ſacroſanctam à ſenioribus noſtris nunquam meminimus interdictam; Hæc Sanctus Doctor.

52 QVIA ex doctrina D. Pauli, non licet accedere indignè, ideſt cum Conſcientia peccati mortalis ad ſacroſanctam Euchariſtiam; Affirmo cum Suarez *diſp.* 66. *ſect.* 1. Diana *par.* 4. *tit.* 4. *reſol.* 98. & alijs, in nullo caſu licere alicui acce-

accedere ad communionem cum conſcientia peccati mortalis, & ſic in quocumque caſu, in quo quis recordatur habere peccatum mortale, cuius nunquam habuit, neque contritionem, quia, ex.gr. putauit illud eſſe veniale, etiam quando iam communicaturus eſt, antequam degluttiat Sanctiſſimum Sacramentum, quantum illi licet per temporis anguſtias, & quantum in ſe eſt, teneri actum contritionis elicere.

53 ACCEDERE ad Euchariſtiam cum peccato veniali actuali commiſſo in ipſomet actu communicandi eſſe nouum peccatum veniale; aſſirmant Suarez hic *Diſp.* 66. *ſect.* 1. Tol. *lib.* 2. *cap.* 27. Lug. hic *Diſp.* 14. *num.* 24. & alij multi, quia, qui ſic accedit, cum irreuerentia aliqua poſitiua accedit.

54 TENERI ex præcepto accedentem ad ſacram Euchariſtiam præmittere confeſſionem peccati mortalis, etiam ſi iuſtificatus ſit media contritione definiuit Trid. *Seſs.* 13. *cap.* 7. & *can.* 11. & omnes DD. affirmant, quia ad Sacramentum Vnitatis Eccleſiaſticæ requiritur, vt non minus concilietur Deo per contritionem, ſed etiam miniſtris Eccleſiæ per confeſſionem, ſi illud ſuſcipit.

55 SIC etiam teneri ad præmittendam confeſſionem, qui dubitat, an habeat peccatum mortale, etſi de illo conteratur, ſi vult ſuſcipere Euchariſtiam; affirmant Dian. 5. *Par. tract.* 14. *reſol.* 44. Bonac. *diſput.* 4. *quæſt.* 6. *part.* 1. *num.* 12. & iterum Diana *Part.* 9. *tit.* 3. *reſol.* 6. vbi aſſerit Reuerendiſſimum Patrem Candidum ſacri Pal. Apoſt. tunc Magiſtrum, noluiſſe permittere, vt opinio contraria Romæ imprimeretur.

56 POSSE aliquando, vt ſupra innuimus,

absque præuia confessione illum, qui est in peccato mortali sumere Eucharistiam, sed solum cum contritione docent omnes DD. vt ait Suarez *Disp. 66. sect.* 4. si nimirum desit illi copia Confessoris, & vrgeat necessitas sumptionis Eucharistiæ, nunc verò addimus tunc verificari non esse copiam confessarij, quando vel nullus adest approbatus, vel si adest non vult audire.

CAPVT XXI.

DE CONFESSARIO.

Quid possit, vel quid non possit fieri, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus Casibus pertinentibus ad materiam de Confessario.

1 INDIGERE Sacerdotem Iurisdictione ad absoluendum à solis venialibus, docent Lug. *de Sacramen. Pœnitent. Dispu.* 18. *num.* 41. *pagin.* 446. Nauarr. Vasquez, Suarez, & communis, teste Leand. *Tract.* 5. *de Sacrament. Pœn. disp.* 11. *quæst.* 10. quia absolutio est actus Iudicialis, ergo in Iudice necessariò requiritur Iurisdictio, vt etiam constat ex Tridentino, & Sacerdotes tam Regulares, quàm sæculares contrarium practicantes graui pœna mulctandos ab Episcopis, & tremendo Dei Iudicio subijci declarauit Summ. Pontif. Innoc. XI. prædicto anno 1679.

2 POSSE omnes Sacerdotes, nulla facta exceptione, absoluere in articulo mortis quemlibet pœnitentem à quolibet peccato, censura, &c. docent D. Thom. Canus, Dur. Palud. & alij communiter, quos citat, & sequitur Vasquez in 3. *par. quæst.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. Suarez *dis.*

*diſ.*16.*ſect.*4.Lug.*diſp.*18.*num.*18.& alij multi, quia ſic expreſsè colligitur ex Tridentino *Seſſ.*14.*cap.* 7. vbi inter alia hæc habentur verba; In articulo mortis omnes Sacerdotes, quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſsunt.

3 QVOD poſse etiam facere omnes prædictos Sacerdotes non ſolum in articulo mortis, ſed etiam in probabili periculo illius; affirmo cum Layman.*Lib.* .*cap.*6.*num.* 13. vbi docet mortis periculum, in quo omnes Sacerdotes, ex Eccleſiæ conceſſione abſoluere poſsunt, nõ eſse intelligendum dumtaxat, quaſi vltimum vitæ ſpiritum, ſed quoduis etiam probabile mortis periculum, ſiue ex infirmitate, aut ſuperuentura perpetua, vel diuturna amentia; ſiuè ex Iudicis decreto; imò ex alijs cauſis, videlicet imminente belli conflictu, partu periculoſo, ante nauigationem longam, vel valdè periculoſam, in qua Sacerdotis copia futura non eſt; hæc Layman; quod idem docet Nauarrus in *Manuali cap.* 26. *num.* 31. Henriquez *lib.* 6. *cap.*11. qui hanc ſententiam vocat certam, & alij communiter; Quia licet in rigore articulus mortis diſtinguatur aliquo modo à periculo mortis, cum articulus mortis ſolum dicatur, quando ex ægritudine mors timetur, periculum verò, cum datur occaſio, in qua ſæpiſſimè pereunt homines, qualis eſt pugna campalis, ſeu naualis, in præſenti tamen materia, idem eſt articulus mortis, & periculum illius, vt habetur in *cap. eos qui, de Sen. excom.* & ipſa ratio dictat; nam morale periculum caueri debet ſicut euentus ipſe; & ſic dictum eſt; *Qui amat periculum peribit in illo*, ergo neceſſitas periculi mortis exiſtimatur moraliter, tamquam extrema.

4 IN Articulo, vel periculo mortis à Sacerdote simplici, seù nulla iurisdictione prædito, neque licitè, neque validè absolui, si confessarius ordinaria, vel delegata potestate præditus adsit, vel facilè aduocari possit; affirmo ex Syluest. *Verbo.Confessor.* 1.*quæst.*6. Layman.*Lib.*5.*tract.*6. *cap.*22.*num.* 14. & alijs multis, quos pro se citat ipse Layman; Quia potestas absoluendi à quibuscumque casibus in mortis periculo, & articulo conceditur Sacerdoti simplici iure extraordinario, ob rationem necessitatis, ne hac occasione, vt loquitur Tridentinum *Sess.* 14. *cap.*7 aliquis pereat, ergo cessante necessitate, cessat hæc extraordinaria potestas, per regulam, quæ traditur ab Abb. in *cap.cum venerabilis de consuetud.in fin.* Cum aliquid conceditur propter necessitatem, durat concessio, quatenus durat necessitas; & quod potestas prædicta concedatur simplici Sacerdoti propter necessitatem tantummodò, colligitur ex responsione Gregorij XIII. quæ habetur apud Molinam *disp.*65. ijs verbis: Presbyter inconsulto Episcopo, pœnitentem non reconciliet absente Episcopo, nisi absente Episcopo vltima necessitas cogat.

5 ERROREM communem concurrente titulo colorato, esse sufficientem ad tribuendam iurisdictionem Confessario, vt validè excipere possit confessiones docent Henriquez *Lib.* 1.*de Sacrament.Pœnit.cap.*14.*num.*4. Sanchez *lib.*3.*de matr.disp.*22.*num.*58. Vbi citat plures alios; Quia ad acquirendam iurisdictionem non oportet eam habere semper à superiore legitimo, cum valeat acquiri præscriptione, aut consuetudine, & etiã quia adæquatum motivũ iuris determinantis valida esse gesta facta ab habente titulũ coloratũ cum errore communi,

est

est bonum commune, at hoc ipsum motiuum viget in casu nostro; ergo, &c.

6 OPINIONEM probabilem practicè tribuere iurisdictionem Confessario ad validè audiendas Confessiones, docent Sanchez *Lib. 2. de matr. disp. 22. num. 65. Suar. disp. 26. sect. 6. num. 7.* Henriquez *lib. 5. cap. 14. num. 4.* Filliuc. *tom. 1. tract. 7. nu. 227.* & alij quamplures; Quia non minus est potens opinio sapientum, quam error populi communis ad dandam iurisdictionem prædictis Sacerdotibus, nè sint inualidæ Confessiones, cum illis, alias, bona fide factæ.

7 PECCARE Confessarium mortaliter, si Sacramentum Pœnitentiæ administret, existens in mortali, docent Nauar. in *Man. c. 22. n. 3.* Henriquez *lib. 1. cap. 29. n. 3.* Suarez *tom. 3. disp. 16.* Filliuc. *Tract. 7. cap. 9. num. 250.* & communis DD. quia Ministri Sacramentorum debent conformari Christo Domino, cuius sunt Ministri, iuxta illud: *Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum.*

8 VERVM non peccare mortaliter Confessarium existentem in mortali administrando Sacramentum Pœnitentiæ pœnitenti constituto in extrema, aut graui necessitate, in casu, quo necessitas infirmi non det locum Confessario, vt saltem moraliter possit se præparare ad iustificationem; docent Lug. *Disp. 8. de Sacr. num. 151.* Hurt. *disp. 4. de Sacram. in gen. diff. 9.* dicens: omnes debere conuenire in hac responsione; Quia in hoc casu iam cessat irreuerentia Sacramenti ob necessitatem proximi, ad cui succurrendum fuerunt instituta Sacramenta; imo P. Dicastill. *Disp. 3. de Sac. in gen. dub. 10. n. 214.* Hanc opinionem vocat communem, eamque ipse sequitur.

9 TENERI Confessarium auferre ignorantiam inuincibilem à pœnitente, versante ex illa in aliquo mortali materialiter, vt in vsu matrimonij inualidi existimati inuincibiliter validi; dummodò speretur emendatio, quod si non speretur nullo modo hoc fieri debere, docet Sanchez *Lib.2.de Matr.disp.*38. *num.* 5. *&* 6. & alij quamplures Authores apud ipsum; & Lug. *de pœn. Disp.* 22. *num.* 24. qui hoc ipsum docet his verbis: Quando ignorantia est vincibilis, siue sit facti, siue iuris humani, siue Diuini, vel naturalis, debet cautè procedere Confessarius, nam si præuidet ignorantiam ablatam redundare debere in nouum peccatum pœnitentis, qui prosequetur facere illicitè, quod prius licitè faciebat, debet potius dissimulare: modo de illa re non interrogetur.

10 NEC teneri Confessarium auferre à pœnitente ignorantiam inuincibilem redundantem in detrimentum proximi, si ex tali admonitione nullum speret fructum; docent Suarez *Disp.* 32. *sect.*4. qui affert exemplum de detrimento quod filijs potest euenire ex separatione Matrimonij. Lug. *de Sacram. Pœnit. Disp.* 22. *sect.* 2. *num.* 27. Henriquez *Lib.* 6. *cap.* 25. *num.* 4. & alii DD. quamplurimi, & præcipuè Sanchez *lib.* 2. *de Matr. disp.* 38. *num.* 10. qui his verbis hoc docet: Si pœnitens (inquit ille) bona fide possidet primogenituram, quam Confessarius nouit iniustè possidere, & credit nihil profuturam monitionem, quia est difficillimum relinquere illam, vel videt pœnitentem teneri restituere, & ignorantia inuincibili excusari, monitumque non restituturum, tenetur tacere.

11 POSSE Confessarium non habentem facultatem absoluendi à casibus reseruatis, qui-

bus

bus est annexa excommunicatio, absoluere poenitentem qui illos commisit, & ob ignorantiam excusatus fuit ab excommunicatione, docent Sanchez *Lib.1.sum.cap.78.num.5.in fin.* Layman; *Lib.5.tract.6.cap. 12.num. 2.* Henriquez *lib.6.cap.13.num.1.* & communis, quia tunc non manent reseruati casus supra dicti.

12 POSSE Confessarium absoluere à reseruatis poenitentem qui sine animo lucrandi Iubilæum transegerit vtramque hebdomadam, & die ipso Sabbati in fine secundæ hebdomadæ velit illud lucrari, docent Cardinal. de Lugo de *Sacr.Pœn.disp.20.num. 139.* Bois. *de Iub. sect.1. casu 38.* per totum, qui alios multos citat. Quia optimè potest Confessarius commutare poenitenti omnia alia opera, nimirum ieiunia, & alia, quæ non possent tunc præstari, & sic poenitens optimè poterit lucrari Iubileum.

13 POSSE Confessarium virtute Iubilæi, commutare vota religionis, & castitatis, quæ metu leui, & ab extrinseco incusso ad extorquendum votum, poenitens emisit; affirmat Sanchez *Tom.1.sum.lib.4.cap.10.num.30.* quia cum citato loco asserat posse in tali voto ab Episcopo dispensari, & denuò *cap.54.num. 19.* ab ipsomet Sanchez asseratur, quod in ejs votis, quæ ex eo quia deficiunt à perfecta ratione votorum reseruatorum potest ab Episcopo dispensari, possunt ea etiam Confessarij virtute Iubilæi commutare, sed votum prædictum, (sicut & cætera, quæ sequuntur) est vnum ex supradictis votis, in quibus potest Episcopus dispensare, sicut docet cum Sanchez communis sententia, ergo poterit Confessarius virtute Iubilæi illud commutare; Id verò necessario notandum ex Sanchez *loc.cit.* & Dian. *part.1.tract.11.res.56.* consultò dictum esse,

quando potest Episcopus dispensare, eo quod à perfecta votorum reseruatorum ratione deficiant; Quia quoties Episcopus potest in eis dispensare ratione solius necessitatis imminentis, eo quod Pontifex adiri nequeat, non possunt ea commutari virtute Iubilæi; quod idem asserendum notauit Diana *loc. cit.* quando Episcopus dispensaret, non vt Episcopus, sed vt delegatus Pontificis.

14 ET sic etiam posse Confessarium virtute Iubilæi commutare votum non fornicandi, non committendi mollitiem, non tangendi mulierem luxuriosè, docent quamplurimi DD. pro se citati à Diana *Par. 1. tract. 11. res. 61.* Quia cum nullum ex supradictis votis sit votũ perfectæ castitatis, adeòque habens perfectam rationem votorum reseruatorum, sicut potest Episcopus in eis dispensare, sic virtute Iubilæi sunt commutabilia.

15 SICVTI etiam posse Confessarium commutare votum non nubendi in Iubilæo; affirmant Sanchez. *Lib. 8. de Matrim. disput. 9. num. 11.* qui quamplurimos pro se citat; Quia cum votum non nubendi sit tantum votum partis castitatis, & non simpliciter votum castitatis, cum non violetur per fornicationem, nullo modo est reseruatum, adeoque ex prædicta ratione est commutabile in Iubilæo.

16 POSSE etiam commutari à Confessario vi Iubilæi votũ castitatis, aut religionis emissum pro tempore limitato, v. g. ad annum docet Sanchez *Lib. 8. de Matrim. disp. 9. num. 6.* qui pro se citat D. Thom. & quamplurimos alios, & ratio est, quia huiusmodi vota non sunt reseruata Papæ, sed tantum perpetua, & sic sunt ex prædicta ratione in Iubilæo commutabilia; cũ pariter ab Episcopo in eis dispensari possit.

17 POS-

17 POSSE à Confessario commutari votum, quo alter coniux absque licentia alterius promisit se non petiturum debitum, docent Fagund. *Lib.* 1. *in decal. cap.* 42. *num.* 10. Azor. *Lib.* 11. *inst. moral. cap.* 19. *quæst.* 6. & antè illos Sanc. de Ma. *lib.* 4. *distinct.* 9. *num.* 8. & alij communiter, quia cum tale votum non sit votum perfectæ castitatis, in eo potest dispensari ab Episcopo, consequenter virtute Iubilæi à Confessario illud commutari. Idem dicendum affirmo ob eandem rationem, si ex licentia alterius coniugis votum de non petendo debitum emissum esset ex eodem Fagundez *loc. citato num.* 8. *medio*. Idem asserendum teneo si vterque coniux ex licentia alterius emisisset votum de non petendo debitum ex eodem Fagund. & Sanchez *loc. cit.* Quia votum supradictum adhuc non est votum integræ castitatis, cum neuter horum coniugum se obligauerit per tale votum, neque ad non fornicandum, neque ad non nubendum secundò, soluto primo matrimonio, quæ omnia includit votum perfectæ castitatis.

18 ET tandem idem tenendum affirmo cum supradictis Sanchez, & Fagundez *cit. loc.* licèt vterque coniux votum emiserit, nec petendi, nec reddendi, nec fornicandi; quia cum non obstante tali voto, remaneat vtrique facultas transeundi ad secunda vota soluto matrimonio, non est omnimoda castitas; at reseruatio voti castitatis, cum sit odiosa, intelligenda est de voto integræ, & omnimodæ castitatis.

19 POSSE verò conditionalia vota pœnalia Religionis, seu castitatis à Confessario vi Iubilæi commutari, etiam post impletam conditionem, seù post incursam pœnam docet Leand.

Tr.5. de Sacram. pœnit. disp 14. *qu.*128. & apud illum plusquam 35. DD. quia huiusmodi vota tunc non censentur emissa ex amore, & ex deuotione ingrediendi Religionem, aut obseruandi castitatem, sed tantùm vouentur à pœnitente tanquàm res odiosæ, & tanquam pœnæ pro vitando ludo, aut alio peccato, & Summus Pontifex solùm reseruat sibi illa vota, quando procedunt ex amore, & deuotione ad castitatem, Religionem, &c. ergò ante, vel post impletam conditionem, poterit Confessarius, virtute bullæ illa commutare.

20 POSSE etiam commutari à Confessario, virtute Iubilæi, pœnam pecuniariam incursam ob fractionem voti, asserunt Sanchez *Lib.*8. *de Matr. disp.*15. *num.*14. Bonacin. *tom.*2. *in decal. disp.*4. *quæst.*2. *punct.*7. *numer.*13. Laym. *Lib.*4. *tract.*4. *cap.*8. *nu.*26. & alij communiter, quia obligatio illa soluendi decem aureos v.g. ex voto conditionali, adimpleta conditione, contracta, non est maior, quàm obligatio voti, quo quis, v.g. voueret directè, & absolutè dare 20. aureos eleemosynaliter, sed potiùs minor; sed hæc obligatio potest commutari virtute Iubilæi, vt docent communiter DD. ergo & illa.

21 DEBERI absolui pueros, qui videntur capaces rationis, & tales videntur si sciant quid mali euenturum sit malis, quid boni bonis, assero cum Less. in suo *Actuario ad* 1.2. *verb. Confessarius. casu* 6. quia si hoc sciretur ab illis facilè conciperent timorem Diuini Numinis, & affectum seruitutis erga Deum. Et sic addit idem Lessius, si de hoc pueri huiusmodi interrogati benè respondeant, potest illis impertiri absolutio, si verò dubitetur, potest illi dari bona precatio, & benedictio, quæ magni

magni est æstimanda, nec est, quod Confessarius hìc se implicet, ac vexet. Hæc Lessius.

22 POSSE à Confessarijs regularibus absolui etiam illos regulares, qui, etsi sint sub eorum iurisdictione, habent casus reseruatos, Superior tamen noluit concedere licentiam illos absoluendi, etiam si sit de hoc requisitus; affirmo ex decreto Sacræ Congregationis edito ex mandato Sanctissimi Vrbani VIII. vbi sic dicitur: Sanctissimus declarauit, vt si huiusmodi regularium Confessarijs casus alicuius reseruati facultatem petentibus dare noluerit; possint nihilominùs Confessarij, illa vice pœnitentes regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absoluere.

23 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, absolui à casu reseruato illum Religiosum, qui petijt facultatem à Superiore, his, & similibus verbis: Peto à R. V. facultatem absoluendi aliquem è domesticis ab aliquo casu reseruato, assero cum P. Quintanaduegna *Tractat. 3. ad pœnit. Sacram. sing. 12.* P. Gobat. *Tract. 7. Confess. regul. casu 20. num. 711.* qui citat pro hac sententia Card. de Lug. & Dicastill. Quia in tali casu Superior tribuit facultatem, & potestatem absoluendi ipsi petenti, & non alijs, nec cum iure delegandi.

24 TVTA CONSCIENTIA, potest Confessarius absoluere pœnitentem vigore Iubilæi à censuris, etiam si apponatur illa conditio in bulla, satisfacta parte, quando pœnitens non potest satisfacere, modò pœnitens ipse exhibeat cautionem, prout ait Suarez *de cens. disp. 7. sect. 5. num. 41.*

25 POSSE, à Confessario, vigore bullæ Iubilæi, TVTA CONSCIENTIA, absolui pœniten-

nitentem à censura, etiam extrà confessionem, assero cum Sanchez in *Sum. lib. 4. capitul. 54. num. 15.* Henriquez *Lib. 7. de Indulgent. cap. 15. num. 2.* & alijs, quia etiam si in bulla, detur facultas absoluendi, auditis confessionibus, hoc asserit Sanchez, referri ad peccata, non autem ad censuras. Addo, quod in bulla Cruciatæ, vt notat supracitatus Henriquez non additur ea conditio, vt auditis confessionibus pœnitentes absoluantur.

26 CONFESSARIVM non obligatum ex officio ad curam animarum, excipientem confessionem illius, qui se accusat de rebus iniquè acquisitis, & nullam imponentem tali pœnitenti restitutionem, sed solùm hortantem ipsum ad vitæ emendationem, non teneri ad restitutionem, dum eum non admonet, vel non cogit ad restituendum. Assero cum Suarez in 4. *tom. in 3. part. disputat. 32. sect. 6. ad fin.* Sanchez *in Sum. lib. 1. capit. 6. num. 5. in fin.* Less. *de iustit. & iur. lib. 2. capit. 13.* & alijs quamplurimis. Quia Confessarius, vt inquit Lessius *loc. citat.* qui ex officio non tenetur ad curam animarum, quamuis ex præsenti munere teneatur pœnitentem monere, & instruere, non tamen tenetur ad hoc ex obligatione erga tertium; cum hoc præcisè non importet administratio Sacramenti pœnitentiæ, sed ex obligatione erga pœnitentem, qua tenetur eius salutem spiritualem procurare, vndè si omittat, peccat contra debitum iustitiæ, quo obstrictus est pœnitenti, non quo tertio.

27 TENERI Confessarium ad restitutionem, non solùm si det malum consilium pœnitenti, ex quo damnum euenit, siuè ipsi pœnitenti eum consulenti, siuè alijs; verùm, & si bona fide fuit datum tale consilium, posteà, comper-

ta

ta veritate, teneri Confessarium ipsum ex iustitia docere verum, quod si non faciat, teneri ad restitutionem, affirmo cum Lug. *disp. 8. de iustit. & iur. sect. 7. num. 94.* Quia quilibet tenetur, vt ait ipse Lug. *l.c.* ex iustitia procurare, ne ex sua operatione lædantur positiuè iura aliorum, cui obligationi non satisfacit, qui non reuocauit verbum à se incautè prolatum, alteri nocuum; si commodè possit.

28 CONFESSARIVM audientem confessionem alicuius adulteræ, quæ confitetur se concepisse vnum ex suis filijs ex adulterio, non posse, TVTA CONSCIENTIA, illam admonere, vt facinus suum aperiat illegitimo filio, ne adeat hæreditatem cum alijs legitimis filijs, affirmo cum communi Theologorum, & Canonistarum, qui hoc ipsum docent in *Cap. per tuas de probat.* & Legist. *in l. si posthumis, ff. de liberis, & posthumis.* Quia in tantùm teneretur Mater filio illegitimo delictum suum aperire, &c. in quantum absque periculo odij, discordiarum, infamie, &c. hoc facere posset; sed hoc humanitùs vix, ac nec vix quidem, vt bene aduertit Pater Burgaber in *Cent. 1. select. cas. consc.* contingere potest; ergo, &c.

29 Non potest Confessarius, TVTA CONSCIENTIA, vt ait Pelizarius *t. 1o. de mon. c. 10. n. 239.* ingredi clausuram causa accipiendi particulam consecram, quæ casu cecidit, dum ipse Monialibus Communionem ministrabat; Quia potest illa particula consecrata, sumi lingua à Moniali ipsa, cui tunc ministrabatur, vel media patena porrigi Sacerdoti per fenestellam Communicatorij.

30 NON potest, TVTA CONSCIENTIA, Confessarius ad effugiendam legem prohiben-

hibentem largitionem munerum Monialibus accipere ab vna Moniali, v. gr. quindecim ducatos, vt celebret tres Missas secundùm suam intentionem, quia in isto casu cum non sit de communiter accidentibus, vt detur tam magna eleemosyna pro celebratione trium Missarum, præsertim à Moniali, quæ vouit paupertatem, euidens apparet fraus.

31 POSSE Confessarium, vt ait Fagundez in *quinq. Eccl. prac. pracep. 2. lib. 6. cap. 4. num. 23.* si aduertat à se commissum errorem in accipienda alicuius confessione, petita priùs ab ipso pœnitente licentia de loquendo cum ipsomet de rebus auditis in confessione, errorem corrigere.

32 Quod si Confessarius ex ignorantia crassa, quæ dolo æquiparatur, dixerit pœnitenti se non esse obligatum ad restitutionem, tenetur, vt aiunt Henriquez *Lib. 5. de Sacram. pœnit. cap. 18. num. 3.* & alij, ad restitutionem, nisi apud ipsum pœnitentem petita, vt supra, licentia, suum dictum retractet.

33 EST tamen tutus in Conscientia, vt ait ipse Henriq. *loc. cit. lit. K.* si non restituat, quando ex mera negligentia omisit monere pœnitentem, vt restitueret, quia per hoc non induxit pœnitentem ad non restituendum, adeòque non peccauit contra iustitiam, sed reliquit illum in sua obligatione, vt paulò antè innuimus.

34 CONFESSARIVS non potest, TVTA CONSCIENTIA, vt ait Diana *tom. 5. tract. 14. resol. 107.* absoluere concubinarium, nisi prius eijciat concubinam, quia tenetur in tali casu pœnitens, & euitare proximam occasionem peccandi, & scandalum, quod idem docet Syluester *Verb. Concubinarius num. 2.* vbi dicit,

cit, quod in eo solùm casu posset absolui, si nullum nimirum adesset scandalum, aut recidiui periculum, addens, quod alias, etiam si vnus, vel duo sciant concubinatum, absoluendus non est concubinarius supradictus.

35 POTEST tamen, TVTA CONSCIENTIA, Confessarius absoluere concubinarium si sit in articulo mortis, & non possit eijcere tunc concubinam, vt ait Diana *loc. cit.* debet tamen in hoc casu prohibere quantum poterit, nè concubina accedat ad lectum moribundi.

36 NON potest Confessarius, vt ait Nauarr. in *Manual. capit.* 16. *num.* 20. TVTA CONSCIENTIA, absoluere extrà articulum mortis existimatum concubinarium à vicinia, etiam si re vera talis non sit, donec veritas publicetur, quia non solùm ab omni malo, sed ab omni specie mali cauendum est, iuxtà Apostol. 1. *Thessalon. cap.* 5.

37 POTEST Confessarius, TVTA CONSCIENTIA, excipere confessionem pœnitentis, aliquando licitè, & absque vrgenti necessitate, vel causa, etiam longissimam, & multorum annorum absque præuio examine, & illum absoluere si ipse Confessarius suppleat ignorantiam, & negligentiam sui pœnitentis, illum diligenter interrogando. Quia interrogationes ipsius Confessarij, benè possunt supplere negligentiam illam pœnitentis in se examinando, imò, vt experientia constat, magis iuuatur pœnitens istis interrogationibus Confessarij, quam si seipsum examinaret, maximè si rudis sit, & ignarus; ità Baucius citans Suarium in *Praxi Confessariorum, fol.* 193.

38 TENERI Confessarium obligare concubinarium, vt eijciat è domo sua concubinam, etiam si ex eius eiectione concubinarius ipse priue-

priuetur famulatu talis concubinæ, quæ scit benè parare cibos, & illos condire, nec ità facilè inuenietur alia famula, quæ hæc illi præstaret, & sic illa deficiente priuaretur etiam oblectamento, quod vulgò dicitur, *regalo*, ac nimis ægrè vitam ageret, & plenam tędio. Affirmo cum Communi: & contraria opinio damnata fuit ab Alexandro VII.

39 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, Confessarium absoluere cum probabili iurisdictione; non verò cum dubia, affirmo cum Vasquez, & alijs apud P. Mendo in *Epit. op. m.* quia si loquamur de iurisdictione probabili, etiam si hæc fortè esset non probabilis, sed falsa, Ecclesia præbet iurisdictionem; non verò in dubiis.

40 LICENTIAM concessam ab Ordinario audiendi confessiones, cum clausula, donec voluero; expirare morte Ordinarij; affirmo cum Sanchez, Layman. & alijs apud P. Mendo, in *epitom: opin. moral.* quia in prædicto casu ea voluntas nec virtualiter manet.

41 CONFESSARIOS approbatos ab Episcopo ad audiendas confessiones sæcularium, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subiectarum, sed, quo ad ipsas Moniales, egere speciali Episcopi approbatione; Nec non approbatos ad audiendas confessiones Monialium vnius Monasterij, non intelligi approbatos ad audiendas confessiones Monialium alterius Monasterij, Summus Pontifex Clemens X. declarauit in quadam sua bulla.

42 NEC posse, TVTA CONSCIENTIA, Confessarios extraordinarios approbatos ab Episcopo ad audiendas confessiones Monialium pro vna vice, finita eorum deputatione, ex
vi

vi huius approbationis, confessiones illarũ audire, sed toties esse approbandos ab Episcopo, quoties casus deputationis contigerit. Idem Summus Pontifex declarauit in eadem Bulla.

43 CONFESSARIVM Regularem posse in ea Diœcesi, in qua est approbatus confluentes ex alia Diœcesi, vbi est approbatus ipse Confessor, absoluere; dummodò non cognouerit pœnitentes supradictos migrasse in alienam Diœcesim pro obtinenda absolutione in fraudem reseruationis, declarauit idem Summus Pontifex in eadem Bulla.

CAPVT XXII.

DE CONFESSIONE.

Quid possit, vel quid non possit fieri, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus Conscientiæ casibus pertinentibus ad Confessionem.

1 ILLVM, qui à multo tempore versatus esset in multis sceleribus, si deinde confiteatur v. g. se decies furatum esse, parum plus, vel minus; centies peccasse peccato fornicationis, vel adulterij, plus minusuè; & posteà ex nouo examine deprehenderit, se centum, & quinque vicibus fornicationnem, vel adulterium, aut duodecim furta commisisse, non teneri ad confitendum de nouo istum excessum, quem iam certò comperit super priores illos numeros, quos sub dubio in alia confessione explicauit; affirmo cum Card. de Lug. *disput. 16 de Pœnit. sect. 2. §. 5. num. 94.* quia particulæ illæ plus minusuè non habent sensum absolutum, sed respectiuum ad numerum cui

cui adduntur, qui quantò fuerit maior, tantò maior intelligitur ſub prædictis particulis, dummodò ſit paruus reſpectu numeri, cui apponitur, quod arbitrio prudentis eſt æſtimandum, ſed arbitrio prudentis, teſte Lugo, & Menochio (qui dicit *lib. 7. de rebus iud. cap. 46.* ita declaratum fuiſſe Mediolani) verba illa plus minuſuè verificari poſſunt de quinque pro quolibet centenario; ſicut etiam ſi duo decem addantur, vel demantur.

2 PÆNITENTEM, qui præ verecundia omiſit aliquod peccatum in confeſſione, quamquam cætera etiam peccata mortalia confeſſus ſit, ſi deinde motus diuina inſpiratione, velit integrè confiteri, & verecundiam ſeponere, teneri, ſi alteri Confeſſario; quam antea confiteatur omnia peccata mortalia, tam priori Confeſſario confeſſa, quam non, & omnes ſacrilegas confeſſiones de nouo enarrare iſti nouo Confeſſario; ſi verò eidem Confeſſario, quo prius antea vtebatur, confiteatur, non teneri pœnitentem hunc, cætera peccata, quæ antea confeſſus fuit, ſpeciatim repetere, dummodò hic recordetur ſaltem in confuſo peccatorum pœnitentis, vel illius ſtatus, ſed ſatisfacere ſuæ obligationi, exprimendo tantum peccatum illud anteà ſuppreſſum, & addendo ſacrilegium, quod malè confitendo commiſit; affirmo cum Vaſquez in 3. *part. tom. 4. quæſt. 92. art. 3. dub. 7.* & alijs communiter teſte Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 123.* Quia in tali caſu haberentur omnia requiſita ad confeſſionem rectè agendam neceſſaria.

3 SI Parochus in confeſſione deprehenderit impedimentum dirimens inter contrahentes, qui iam fuerunt denuntiati ter publicè in Eccleſia, & nunc quærunt aſſiſtentiam in contractu

ctu

ctu matrimonij eiusdem Parochi, imò etiam publicè petunt ab ipso communionem; Posse talem Parochum, in tali casu, imò debere ad euitandum scandalum, TVTA CONSCIENTIA, & ministrare sacram Communionem, & suadere sponsis supradictis, vt ex communi consensu contrahant, non absolutè de præsenti, sed sub conditione, si Papa dispenset, animo interim instar fratris, & sororis cohabitandi tantum quoad domum, non verò quoad torum, donec habeatur dispensatio, & iterum contrahant; affirmo cum Pontio *lib. 5. cap. 35. num.* 4. qui citat Ludou. *part. 2. cas. cur. sc. cas.* 32. Quia hac ratione, contractus ille matrimonialis, qui aliàs non licet, fit licitus, cum non sit prohibitum contrahere matrimonium de præsenti sub conditione, si Papa dispenset, & interim more fratris, & sororis simul cohabitent.

4 QVI facit confessionem voluntariè nullam, non satisfacit præcepto Ecclesiæ, vt habetur in Bulla edita ab Alexandro VII. *cap.* 14. vbi opinio contraria damnatur, & nullo modo teneri potest, & probatur, quia præceptum Ecclesiæ est de Confessione Sacramentali in ordine ad absolutionem, & talis non est confessio voluntariè nulla; ergo &c.

5 SI bona fide confessus est peccatum dubium, vt certum, & deindè incipis dubitare an commiseris tale peccatum, TVTA CONSCIENTIA, vt ait de Lug. *disp. 16. sect. 2. num.* 77. non teneris illud iterum confiteri vt dubium, quia dum obtinuisti sententiam, & absolutus fuisti à delicto certo, multò magis censendus es absolutus ab incerto.

6 ITA si quis confessus est tamquam sibi certum se furatum esse decies v. g. & deindè incipit

cipit dubitare, nimirum non tot vicibus, sed rarius furatum esse, non obligari, TVTA CONSCIENTIA, denuò illa decem furta tamquam dubia confiteri, quia numerus minor, continetur in maiori.

7 SI per multum tempus versaris in interioribus actibus odij, v.g. vel amoris turpis, & illos non interrumpas contraria voluntate, sed tantum interruptione physica, & quasi naturaliter, ratione alicuius negotij, aut alterius cogitationis occurrentis, vt sumptionis cibi, aut somni, &c. quibus actionibus transactis statim ratione prioris commotionis, iterum redis ad eamdem voluntatem odij habendi, vel turpiter amandi, v.g. in probabili sententia, & TVTA CONSCIENTIA, non teneris aperire in confessione numerum prædictorum actuum; sed tantùm sufficit manifestare tempus, per quod talibus passionibus laborasti, maximè si tempus illud longum sit, quod si sit breue etiam satis erit dicere, ego v.g. per vnum diem, vel per vnum mensem grauiter odio habui Paulum. Ratio est, quia in genere moris, omnes actus illi censentur vnum peccatum, etiam si materialiter, & physicè multiplicentur, vt cum Emin. de Lug. *disput.* 16. *sect.* 14. ait P. Matthæus de Moya in *tract.* 3. *de Sacram. Pœnit. disp.* 2. *quæst.* 1. qui *cit. loc.* subdit, quod in tali casu, ideò moraliter non censentur multiplicari plura numero peccata, quia in prudenti hominum existimatione prima determinatio voluntatis non dicitur cessasse, sed potius dicere solemus hominem perseuerare in suo proposito.

8 SI confiteatur meretrix, non est, TVTA in CONSCIENTIA, vt ait Fagundez *Precept.* 3. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 11. si tantum explicet tem-

tempus mali ſtatus, ſed debet etiam explicare, & confiteri principales ſpecies peccatorum, quas memoria retinet, & ſaltem in confuſo multitudinem numericam, dicendo v. g. toties, plus, minuſuè per menſem, per hebdomadam, vel ſingulis diebus ſe peccaſſe, quod etiam obſeruari debet à fure, vel vſurario dicendo, & explicando in eorum confeſſione, quoties plus, minuſuè ſe eſſe furatos in menſe, vel hebdomada, materiam grauem.

9 SI, vt ait Vaſquez *quæſt.91. de Pœnit. art.1. dub.5. num.3.* propter inueteratam conſuetudinem non potuiſti numerum peccatorum diſtinctè explicare, es Tutus in Conſcientia, ſi poſteà in memoriam occurrerint peccata particularia, & illa non confitearis, ea magis diſtinctè explicando; Ratio eſt, quia in confuſa narratione iam comprehenſa fuerunt, & directè abſoluta fuere.

10 SI vno impetu pluries peieraſti de eadem re, es Tutus in Conſcientia, vt ait de Lug. *de Pœnit. diſp.16. ſect.14. num.561. pag.403.* ſi dicas in confeſſione: Iuraui falsò; quia cum repetitio illa eiuſdem iuramenti ſit facta circa eamdem rem, & ex vno impetu, & calore, non multiplicat peccata.

11 SIC etiam ſi vno eodemque feruore iræ, ter, vel quater percuſſiſti, vel vulneraſti aliquem, es Tutus in Conſcientia, ſi in confeſſione etiam dicas grauiter percuſſi, vel vulneraui proximum, ita Azor. *tom.1. lib.4. quæſt.6. in fine.*

12 SIC etiam ſi vno impetu iræ proximum iniurijs, & contumelijs affeciſti, es TVTVS in CONSCIENTIA, ex eodem de Lug. *loco cit.* ſi in confeſſione dixeris, iniuriaui proximum, ex eadem ratione.

13 QVOD idem dic, ſi vnico contextu conti-

nues

nies grauiter de altero detrahere, & licet de eo, alias diuersas materias detractionis tangas, quia etiam satis erit dicere, semel grauiter de quodam detraxi, ita Lug. *loco citato sect.* 16. *num.* 559.

14 NON erit tamen Tutus in Conscientia, qui pluries in eadem nocte consummans copulas, cum eadem habuit pluries rem, nec qui plures successiuè occidit, si non explicet in confessione numerum copularum, & occisionum, sed necesse est vt explicet distinctè numerum copularum, vel occisionum, vt ait idem Lug. *loco cit. num.* 557. Ratio est, quia supradicti actus consummati omninò sunt diuersi, nec vnus facit moralem vnitatem cum alio, sicuti in præcedentibus.

15 QVOD si vnico actu multos simul læsisti, detrahendo famam illorum, sufficietne dicere, detraxi multis? Abundè sufficiet, & eris TVTVS in CONSCIENTIA, si aliud non addas, vt ait idem de Lug. *de Pœnit. disp.* 16. *num.* 135. Quia non apparet ex Tridentino præceptum aliud, nisi confitendi singulas species, & singula numero peccata, atque adeò cum præceptum explicandi singulas numero malitias, quæ fortè erunt in singulis peccatis non appareat, asserimus optimè solum explicandas à pœnitentibus species ipsas multiplicatas in eodem actu, itemque indiuidua omnia peccatorum, sed non omnes numero malitias, fortè inclusas in vno eodemque peccato, quia id esset satis obnoxium scrupulis, & perplexitatibus.

16 SI vnico ictu bombardæ occidisti v. g. decem, vel plures homines, ex eodem de Lug. *loco cit. num.* 141. Tutus es in Conscientia, si dicas in confessione vno ictu occidi multos, non

non verò sufficit si dixeris, vno ictu occidi hominem, quia sic confessarius non benè perciperet peccatum tuum, & tu non fatereris peccatum, quod perpetrasti occidendo plures, & uon vnum.

17 EX eadem ratione Tutus es in Conscientia, si in confessione dicas, semel desideraui plures occidere, quando vnico actu voluntatis plures homines occidere desiderasti, sic si vnico actu peccaminoso scandalum pluribus fuisti, TVTA CONSCIENTIA, in confessione satis erit dicere ex eadem ratione, & ex eodem Lug. *num.* 135. Semel fui occasio peccandi multis, eis præbendo scandalum.

18 TVTA etiam CONSCIENTIA, explicabis peccatum tuum, si furatus es à communitate, & à pluribus aliquid, si dicas in confessione; furatus sum rem alienam, nihil aliud addendo, & tantò magis, quia in hac speciali materia respectus ille ad personas, videtur se magis materialiter habere, quam in alijs materijs.

19 SI multorum es vsus opera ad perpetrandum aliquod delictum, satis erit dicere in confuso ex eodem de Lug. *disput.* 16. *de pœnit. sect.* 11. *num.* 476. Vsus sum opera multorum ad occidendum v. g. meum Inimicum, quod intelligendum est, quando non intercedit multa distantia temporis ab inductione vnius ad alteram inductionem alterius ad idem delictum, vti esset, si induxisti Caium v.g. in principio anni, & Titium in fine ad occidendum tuum inimicum, quia in tali casu cum sint duo actus peccaminosi numero distincti, distinctè essent aperiendi; vel quando personæ, quas ad peccatum induxisti, vel propter diuersitatem personarum conditionis, vel propter diuer-

diuersitatem actionum, quas exercuerunt, peccata, quæ in tali inductione fecerunt, differrent inter se specie.

20 ESSE te, Tutum in Conscientia, ex probabili sententia, aiunt Emin. de Lug. *disp.* 16. *nu.* 553. *pag.* 402. & Meroll. *tom.* 1. *disp.* 2. *cap.* 7. *D.* 3. Nauar. & alij citati ab ipso de Lugo, si intendens principalem actum fornicationis, v. g. fœminam tetigisti turpiter, & ante ipsum actum copulæ, imò & post copulam, eam osculatus esses sine ordine tamen ad aliam secundam copulam, nihil aliud dicas in confessione, quam semel fornicatus sum. Et ratio est, quia in ipso principali actu satis explicantur præcedentia, vel consequentia, quæ actum comitari consueuerunt.

21 POENITENTEM absolutum virtute Iubilæi, remanere absolutum à reseruatis oblitis, & liberum ab obligatione posteà confitendi illa reseruata legitimo Superiori, si sit iam finitum tempus Iubilæi; docent expressè Vasquez in 3. *part. quæst.* 91. *art.* 3. *dub.* 5. *num.* 38. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 31. *sect.* 4. *num.* 20. Lug. *de pœnit. disput.* 20. *num.* 99. & alij. Quia Pontifex concedens hanc facultatem, in fauorem pœnitentis, vt vigore Iubilæi absoluatur à reseruatis, quantum in se est voluit illi auferre reseruationem, si vtatur illo priuilegio intra signatum tempus ad consequendam indulgentiam; sed etiam pœnitens quantum in se est, vsus est illo priuilegio, ergo mansit liber à reseruatione, & licet per accidens, & pro obliuione non fuerit directè absolutus à peccato reseruato, tamen, vt loquar cum Suarez, vt ita dicam, acquisiuit ius per ipsum Iubilæum, vt posset posteà liberè confiteri tale peccatum, & absolui per quemcumque

Con-

Confessarium, etiam finito tempore Iubilæi.

22 POENITENTEM, qui confessus est tempore Iubilæi, cum intentione illud lucrandi, & postea non lucretur, manere liberum à reseruatione peccatorum, quæ confessus est, & quorum in ea confessione oblitus fuit, affirmo cum Suarez *loc. cit. disp. 31. sect. 4. num.* 5. Vasq. *in 3. part. quæst. 91. art. 3. dub. 6. num. 6.* Sanchez *lib. 4. Sum. cap. 54. num.* 44. *&* 45. & quamplurimis alijs, quia illa dicta peccata reseruata, iam fuerunt directè semel ablata per absolutionem, quæ non fuit data sub conditione de futuro, sed omninò absolutè, ergo, &c.

23 POENITENTEM, qui confessus est, & obtinuit absolutionem virtute Iubilæi, si reliqua requisita non implet, manere etiam liberum à reseruatione peccati reseruati obliti, & posse illud postea cuicumque Confessario confiteri, affirmant idem Sanchez *loc. cit. num.* 45. *& lib. 8. de Matr. disp. 15. num.* 21. Lug. *disp.* 21. *num.* 101. *pagin.* 475. Suarez *loco citato disp.* 31. *sect. 4. num.* 24. & quamplures alij, quia cum confessio illa valida fuerit, vt supponimus, Confessor absoluens directè à sibi confessis, & indirectè ab oblitis virtute Iubilæi, intendit omninò auferre reseruationem, cum absoluat in quantum potest, & re vera potest. Non est ergo cur dicamus, inquit Sanchez *loco cit.* eam reseruationem reuiuiscere non obtento Iubilæo, quamuis enim possit aliquis dicere effectum auferendæ reseruationis, tanquam non Sacramentalem posse dependere à futuro euentu, at sic dependere nulla ratione probatur, cum nil sub conditione futuri euentus concedatur in Iubilæo.

24 POENITENTEM, qui confitetur animo lucrandi Iubilæum, si postea non lucretur,

F ma-

manere absolutum a censuris, à quibus virtute Iubilæi fuit absolutus, & non incidere in pristinam censurarum reseruationem, quarum obtinuit absolutionem, expressè docet Sanchez *disp.* 15. *citata num.* 20. vbi multos alios pro se citat, asserens idem dicendum de votis commutatis, quæ in supradicto casu benè remanent commutata; quia quamuis illa absolutio erit data in ordine ad consecutionem futuram Iubilæi, non tamen dependet ab ea, tanquam à conditione de futuro, sic enim absoluere nefas est, nec illa absolutio fuit data cum reincidentia, id enim in Iubilæo nō explicatur, & quando Pontifex id intendit, solet exprimere.

25 NON committere peccatum mortale in confessione pœnitentem, qui interrogatus à Confessario negat aliquod peccatum veniale, quod commisit, sed tantùm peccare venialiter, docent Diana 5. *par. tract.* 5. *resol.* 27. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 1. *&* 2. & alij, quos sequitur Leand. *tract.* 5. *de Sacram. pœnit. disput.* 4. *q.* 13. Quia mendacium in supradicto casu nunquam erit peccatum mortale, nisi etiam sit contra aliam virtutem vltra veritatem, vt videlicet contra iustitiam, contra fidem, vel contra Religionem; sed huiusmodi mendacium solummodò est contra veritatem, & cum nulla fiat iniuria, saltem grauis Sacramento, si afferatur alia materia sufficiens absolutionis, ergo, &c.

26 SICVTI nec peccare mortaliter pœnitentem, qui sibi imposuit aliquod peccatum veniale, quod non commisit, si fateatur aliud peccatum, quod re vera commisit, aiūt doctissimus Sot. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 4. Suarez *disp.* 22. *sect.* 10. *n.* 4. Vasq. *q.* 91. *art.* 1. *disp.* 7. & multi alij, quos

seq.

seq. Fagundez *par. 2. lib. 3. cap. 6. ar. 29.* Lug. *disp. 16. num. 99. par. 323.* quia in eo casu non decipitur Confessarius in re graui, aut necessaria Sacramento.

27 FACIENTEM confessionem generalem, TVTA CONSCIENTIA, posse omittere aliqua peccata mortalia, aliàs ritè confessa, tenent Sylu. Sot. & alij, quos citat, & sequitur Fagund. *præc. 2. lib. 3. c. 3. n. 12.* vbi quamplurimos pro se citat, inter quos D. Thom. *part. 2. dist. 24. Quodlib. 5. art. 12.* quia nullus tenetur repetere peccata, à quibus iam olim fuit absolutus.

28 ETIAM illum pœnitentem, qui Confessario dixit se velle omnia peccata suæ vitæ confiteri, posse saltem absque labe peccati mortalis, aliquod peccatum mortale tacere, si aliàs ritè illud confessus fuit, quia quamuis in hoc casu pœnitens re vera mentiatur, non est mendacium pertinens ad forum pœnitentiæ, ideoque nullo modo falleret Confessarium in re graui, tenent Diana 3. *par. tract. 4. resol.* 86. & Fagund. *in præc. 2. lib. 2. cap. 2. num. 3.* qui addit istum talem fortè nec peccare venialiter, his expressis verbis: Credo tamen nullum esse peccatum, nec mortale, nec veniale, & si est peccatum, ad summum esse tantùm veniale; quia nec hypocrisis in ea re committitur, nec mendacium. Primò, quia nomine omnium peccatorum venit maior numerus illorum. Secundò, quia per illud dictum, non se priuauit pœnitens iure, quod habebat ad aperiendum in confessione generali, quæ vellet. & quæ nollet tacendum; & interdum expedit, non omnia confiteri eidem Confessario, Hæc Fagundez.

29 ILLVM, qui scit, se peccasse mortaliter, sed dubitat an confessus sit illud peccatum

 morta-

mortale, teneri adhuc illud confiteri, affirmat Cardinal. de Lug. *disp.* 16. *num.* 56. qui dicit in hoc puncto omnes conuenire, quia constat de peccato, & de obligatione illud confitendi, & solùm dubitatur de confessione, vt fusiùs infrà dicemus.

30 TENERI in conscientia pœnitentem, qui facit confessionem generalem, & confitetur simul aliqua peccata post vltimam confessionem commissa, explicare se talia peccata commisisse post vltimam confessionem, affirmo cum multis, suppresso nomine citatis à Card. de Lug. & præcipuè cum Turriano in *opuscul. Theol. centuria Theolog.* 4. *dub.* 7. qui dicit contrariam sententiam non esse probabilem, &c. quia si pœnitens non explicaret, vt supra dictum est, suum peccatum, daret occasionem Confessori notabiliter variandi iudicium, nam putaret illud peccatum iam fuisse clauibus subiectum, & absolutum.

31 POENITENTEM, qui confessus est aliquod peccatum dubium, vt dubium, & postea recordatur certò illius peccati, non teneri iterum illud confiteri, affirmant Leander *tract.* 5. *de Sacrament. pœnit. dist.* 5. *quæst.* 27. Dian. *par.* 10. *tract.* 16. *resol.* 79. Cardin. de Lugo *disp.* 16. *sect.* 2. *num.* 81. *pagin.* 320. & alij, quia quando quis confitetur aliquod peccatum, vt dubium, tunc Confessor verè absoluit directè sub conditione implicita, si fuit peccatum, ergò licet posteà certò constet fuisse peccatum, non debet iterum ad iudicium illud reuocari.

32 POENITENTEM, qui opinatur probabiliter se non peccasse mortaliter, aut peccatum à se commissum esse confessum, non teneri TVTA CONSCIENTIA, illud confiteri,

tenent

tenent Suarez *dist*.22.*sect*.9. Fagund.*pracep*.2. *lib*.3.*cap*.4.*num*. 2.*&* 3.Diana 3.*part. tract*. 4. *resol*.107.Lug.*dis*.16.*num*.58.*par*.316.& communis TT. inter quos numeratur Syluester celeberrimus,inquam, ille Doctor, & Magister Sacri Palatij, qui *verb. confessio* 2. *quæst*. 2. sic ait:Notandum est ex doctrina D.Thomæ, & communiter omnium,quod aliud est scire, aliud opinari,& aliud dubitare.Quia scire habet certitudinem sinè hæsitatione de opposito. Opinari verò non habet certitudinem sine hæsitatione,sed habet assensum, vel credulitatem de aliquo cum formidine de opposito; Dubitare verò non habet assensum, vel credulitatem alicuius,sed propriè dicitur,quando aliquis aliquã sententiã,nec credit, nec decredit,sed est in æquilibrio,nõ declinans magis in vnã partem,quàm ad aliam,saltem notabiliter, etiam si aliqualiter coniecturet leuiter, & sine probabili ratione de altera earum; qui ergo opinatur(attende)probabili ratione de aliquo quod non sit mortale, non tenetur illud confiteri.Hæc Syluester.

33 NEC teneri, TVTA CONSCIENTIA, probabiliùs iudicantem, se peccasse mortaliter, vel se non esse confessum tale peccatum illud confiteri,affirmant Suarez *dist*. 22.*sect*. 9. *num*.6.Diana 3.*par. tract*.4. *resol*. 107. & alij multi, quia adhuc in hac materia potest quis sequi opinionem probabilem; vnde noster Thomas Sanchez *Tom*. 1. *Summ. cap*. 10. *num*.79.hæc habet: Dicendum est non teneri hunc fateri peccatum, quod probabili opinione credit non esse mortale; quia potest quilibet operari, sequendo probabilem sententiam,(vt satis probaui *cap. praecedenti n*.14.) atque ita docent Rosella,Syluester,Gers.Henriquez,

excommunicato, qui non fuit prius absolutus ab excommunicatione, qua ligabatur, quàm à peccatis, validam fuisse, & ideò non reiterandam, si pœnitens aut naturali obliuione, aut ignorantia inuincibili excommunicationis, bona fide processit, docent Diana 2. *par. tract.* 4. *resol.* 78. P. Lug. *dis.* 16. *num.* 613. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 8. *num.* 5. & multi alij, quia licèt absolutio à peccatis ante absolutionem excommunicationis sit prohibita, ex quo, tàm qui illam dat, tam qui recipit sciēter committunt sacrilegium, nullo tamen iure est irrita.

38 SICVTI confessionem factam cum Confessario excommunicato vitando, & non tolerato non esse validam, & repetendam; sic illam factam cum Confessario excommunicato, etiam vitando in loco, vbi ignoratur, esse validam, nec repetendam, docent Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 22. *num.* 46. & alij communiter, quia in hoc casu Ecclesia supplet iurisdictionem, qua caret excommunicatus vitandus; quæ doctrina etiam currit, si sit facta confessio cum Confessario, qui cum falsa, vel ficta licentia Ordinarij confessiones excipit, vel cum Confessario, cui fuit reuocata licentia audiendi confessiones, & hoc ignorabatur, vel vt diximus, cum Sacerdote habente facultatē absoluendi non certam, sed probabilem, quia in his casibus, error communis, & titulus præsumptus interuenit, & ideò Ecclesia supplet iurisdictionem, vt aiunt DD.

39 CONFESSIONES factas bona fide post confessionem inualidam, non esse repetendas, docet de Lug. *disp. de pœnit.* 16. *num.* 599. Vasq. *quæst.* 92. *art.* 3. *dub.* 1. & multi alij, sed solam repetēdam esse illam, in qua fuit ille defectus, cum aliæ omnes potuerint validæ, & fructuosæ

ctuosæ esse, dum confessionis inualidæ non recordabatur.

40 SVFFICERE in confessione attritionem, quam habet poenitens, non solum ob metum gehennæ, & pœnarum, vel ob turpitudinem peccati, sed etiam ob infamiam, aut mortem, aut ob aliud malum temporale, si hoc fiat cum aliquo respectu ad Deum, scilicèt si sit dolor de peccato, quia Deus immisit, aut immittet illam infamiam, mortem, aut aliud malum, quia cum habeat hic dolor respectum ad Deum, qui infligit, vel potest infligere illas pœnas, sufficere ad effectum Sacramenti recipiendum aiunt multi, & præcipuè Hurtad. *disp.6. dif.6. num.*141. & Suarez ante omnes illos *disp.5. sect.3. num* 15.

41 NON esse validam confessionem venialium absque dolore efficaci de illis, aiunt Suarez *disp.20. sect.6. num.*1. Lug. *dis.14. num.*106. *par.* 246. & esse communem sententiam omnium Theologorum, docet Leand. *loc. cit. quæst.*24. quia ex Trident. constat, quod vna ex partibus Sacramenti pœnitentiæ est contritio, at nomine contritionis nullo modo venit dolor ille imperfectus, seu inefficax, ergo, &c.

42 POENITENTEM nò posse validè confiteri, imò committere mortale peccatum, si confiteatur venialia absque vllo dolore, aiunt supradicti DD. & communis, quia pœnitens omninò tenetur apponere debitam materiam Sacramenti, nè Sacerdos proferat verba absolutionis supra materiam incapacem, &c.

43 NEC efficere confessionem inualidam, nec mortalitèr peccare pœnitentem, si non habeat dolorem de omnibus venialibus, quæ explicantur in confessione, aiunt Suarez, Fagund, & Card. de Lug. & Hurtad. quos citat, & sequi-

sequitur ipsemet Leand. *loc. supra cit. quæst. 26.* quia, quamuis pœnitens apponat in confessione in hoc casu aliqua peccata non detestata, tanquam materiam Sacramenti, non tamen apponit tanquam materiam necessariam, & totalem, cum ex alia parte apponat pro sufficienti materia aliqua alia peccata venialia detestata, vt supponimus, super quæ potest cadere forma Sacramenti, ergo, &c.

44 REQVIRI propositum, siuè virtuale, siuè formale in confessione venialium, licèt non tam strictum, sicuti requiritur in confessione mortalium, nam sufficit ad remissionem venialium in Sacramento, propositum non committendi eadem peccata, etiam si propositum hoc non sit ita efficax, & strictum, vitandi omnes etiam remotas occasiones, vt opus est habere in confessione mortalium, aiunt Lugo *de Sacram. pœnit. disp. 14. num. 127. pag. 250.* & alij.

45 NON teneri pœnitentem ad adhibendam summam diligentiam in examinando suam conscientiam; vt peccata in memoriam reuocet; licèt putaret eo modo recordaturum aliqua alia peccata, quorum alias non recordabitur, sed sufficere illam diligentiam, quam solent prudentes viri in graui negotio adhibere, docent Nauarr. in *Man. capit 9. num. 16.* Vasq. *quæst. 91. art. 1. dub. 6.* Lug. *de Sacr. pœnit. disp. 10. num. 59.* Vbi hæc habet doctissimus, & prudentissimus Cardinalis, loquens etiam de obligatione Confessarij ad interrogandum pœnitentem; Circa hoc itaque aduertendum est, per se loquendo, non esse in hoc puncto maiorem obligationem Confessarij ad interrogandum, quam sit ipsius pœnitentis ad examinandam suam conscientiam, & recogitanda sua

pecca-

peccata; imò pœnitens obligatur primo loco, & in eius defectum obligatur Confessarius ad eum iuuandum iuxtà ipsius capacitatem, atque ideò minus obligatur, quàm ipse pœnitens; certum autem est pœnitentem ipsum non obligari ad exactissimum examen suorum peccatorum, sed ad humanum, hoc est tale, quo Sacramentum istud non reddatur nimis graue, & onerosum; minus ergo tenebitur Confessarius ad examen, & interrogationes tales, quibus confessio reddatur pœnitentibus grauis, & onerosa nimis; vndè non est bona regula illa, si dicas talis, vel talis interrogatio faciet aperire magis distinctè numerum, vel species peccatorum, ergo illa etiam interrogatio addenda erit. Sicut nec in ipso pęnitente, est bona regula si dicas: Si hic homo cogitaret adhuc alia hora de suis peccatis, recordaretur alicuius peccati, cuius non recordatur, vel posset computare meliùs numerum peccatorum; ergò tenetur cogitare alia etiam hora; Ratio autem est eadem, quia scilicèt non est attendendum solùm ad exactam, & integram confessionem peccatorum, sed etiam est maximè attendendum ad conditionem humanam, & ne ex eo capite Sacramentum ipsum reddatur graue, & odiosum, nec detur ansa impudentibus, & ignaris hæreticis vocandi illud conscientiæ carnificinam, & ad hoc maximè requiritur prudentia Confessarij, ne nimium pęnitentem torqueat alijs, & alijs interrogationibus minutissimis, sciens, quod nunquam ita exactè illum examinabit, vt ab alio doctiori non posset vlterius interrogari de aliqua circumstantia, vel differentia omissa; Sicut etiam ex parte pęnitentis prudentia requiritur, ne se in examine conscientiæ

nimium vexet, sed humano examine contentus sit, quod quidem experientia didici, in iuuene quodam nobili; & quoad reliqua prudenti, sed in hac parte nimis scrupuloso, qui cum confessionem generalem totius vitæ facere vellet, per quindecim dies se ad illam præparauit; & plurima folia de suis peccatis scripsit, quibus legendis multi dies non sufficerent, sed neque his contentus, nouum adhuc examen instituit, quo facto, cum iam per dies aliquot cœpisset, Vallisoleti, vbi ipse cum Regia Curia morabatur, in eas tandem angustias, confessionis occasione, redactus est, vt ipsemet pugione se lethaliter percusserit, Deo tamen prouidente, vt antè mortem posset iterum confiteri; Certum itaque est, quod iuuenis ille non tenebatur ad tantum studium adhibendum circa examen, licèt noua illa, & assidua recogitatio noua peccata, vel maiorem illorum distinctionem in mentem reuocaret. Hæc Eminentissimus Cardinalis.

46 SICVTI de fide est esse necessarium confiteri omnes circumstantias peccatorum mortalium mutantes speciem, vt definitur in Trid. *Sess.* 14. *cap.* 5. *& can.* 7. sic aggrauantes intra eamdem speciem non esse necessariò confitendas probabiliter, docent S. Thom. in 4. *dist.* 16. *quæst.* 4. *artic.* 2. *quæstiunc.* 5. *in corpore*. Vbi hæc verba habet: Quidam dicunt, quod omnes circumstantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, necesse est confiteri, si memoriæ occurrant; alij verò dicunt, quod non sint de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ, quæ ad aliud peccati genus trahunt, & hoc probabilius est. Hæc S. Doctor. Vasqu. *p.* 2. *dis.* 98. *cap.* 3. & alij DD. quos citat, & sequitur Diana 5. *part. tract.* 14. *resol.* 56.

resol. 56. *in fine*, quia si id esset, necessarium, vel esset, quia talis circumstantia esset peccatum mortale diuersum à priori, quod est falsum, cum ponatur in eadem specie peccati, vel quia esset peccatum veniale additum peccato mortali, quod etiam est falsum, quia vt culpa venialis à nullo, de necessitate tenetur confiteri.

47 NON esse necessariò fatendas circumstantias obiecti in delectationibus morosis, & vndè nimirum desumptæ sint, si v. g. à soluta ne? an à Coniugata? an à Moniali? &c. docent absolutè Vasquez in 1.2. *dis*. 111. 112. 114. Castropal. *Tom*. 1. *Tract*. 2. *disp*. 2. *punct*. 10 §. 4. *num*. 2. Diana *Part*. 1. *tract*. 7. *resol*. 48. *&* 2. *part*. *tractat*. 17. *&* 3. Miscellan. *resol*. 34. *&* 3. *part*. *tract*. 4. *resolut*. 67. *in fine*. Azor. *Lib*. 4. *cap*. 6. *quæst*. 3. quia omnes hæ delectationes morosæ secundùm hos DD. sunt eiusdem speciei, & non variantur specie, propter diuersitatem personarum, nisi fortè delectatio morosa versaretur circa coniugatam, v. gr. quia coniugata est; & ratio cur non varientur ad varietatem obiectorum est, quia talis malitia specie distincta in delectatione morosa ex circumstantia status, non potest haberi ratione oppositionis cum virtute castitatis, vt omnes DD. volunt, & quia obiectum, quod neque directè, neque indirectè terminat affectum voluntatis, nequit malitiam aliquam in illum deriuare, sed iniuria contra maritum, v. gr. quæ in copula cum nuptâ reperitur, neque directè, neque indirectè terminat simplicem delectationem veneream, ergò, &c. non directè, quia delectatio venerea non capitur de iniuria, sed de concubinatu cum fęmina, cuius non oportet apprehēdere statum, vt delectatio illa causetur,

neque

neque indirectè, quia vna ratio seorsim sumpta ab alia, potest delectationem terminare, licet vna sine altera nequeat executioni mandari, quæ doctrina confirmatur exemplo, cui nemo, vt inquit quidam Neotericus, dissentire potest; si quis enim, audiat inimicum occisum esse in loco sacro, & de illius morte delectetur ex displicentia personæ, committet quidem peccatum odij, non verò sacrilegij, ergo delectatio secum non trahit malitias omnes, quæ in obiecto reperiuntur; ergò similitèr in casu nostro, cum militet eadem prorsus ratio.

48 NON teneri pœnitentem in confessione explicare speciem peccati, de quo se laudauit, aut iactauit (nisi aliàs sibi complacuisset de illo) sed sufficere sic dicat: Me laudaui de peccato mortali, & ratio est, quia cum tota malitia peccati iactantiæ consistat in quadam irreuerentia, quæ fit Deo, cum quis accipit, vt medium peccatum ad propriam laudem, per accidens se habet, quod sit hoc, vel illud peccatum, de quo gloriam captat, docent Nauarr. in *Sum. prælud. 9. num. 4.* Castr. *Tom. 1. tr. 2. disp. 2. p. 11. num. 5.* Lug. *de Sacram. pœnit. disp. 16. num. 269.*

49 TENERI pœnitentem in confessione explicare speciem peccati, quod consuluit, docent Medin. in 1. 2. *quæst. 14. artic. 6.* Salas in 1. 2. *tract. 12. disp. 5. sect. 15. num. 158.* Lug. *disp. 16. num. 275.* quia consilium verè specificatur à peccato, quod consulitur, & ideò duplex illi inest malitia, altera contra virtutem, cui aduersatur peccatum, quod consulitur, altera contra charitatem proximi, qui malo consilio inducitur ad peccatum.

50 NON esse probabile sufficere in Sacramento pœnitentiæ attritionem naturalem, affirmo

firmo cum communi DD. ob multas rationes, quas hîc non refero, dum contraria opinio, quę docebat sufficere attritionem naturalem, modò honestam, reprobata fuit ab Inn. XI. anno 1679.

51 CONFESSARIO interroganti teneri pœnitentem fateri consuetudinem peccati, in qua versatur, affirmo cum communi DD. & rationes id probantes hîc referre non iudicaui, dum contrariam sententiam Innoc. supradictus eodem anno, illam reprobauit, & damnauit.

52 NON licere Sacramentaliter absoluere dimidiatè tantum confessos, ratione magni concursus Pœnitentium, affirmo cum communi DD. & contraria opinio, quæ docebat hoc licere ratione magni concursus pęnitentium, qualis contingere potest v.g. in die magnæ alicuius festiuitatis, & indulgentiæ, reprobata fuit ab Innocentio supradicto eodem anno.

53 ESSE negandam absolutionem, & differendam pęnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, & nullo modo spes apparet emendationis, affirmo cum communi DD. nec affero rationes, id probantes, dum contraria opinio, quæ docebat non esse negandam, nec differendam absolutionem tali supradicto pęnitenti, dummodò ore solum proferret, se dolere, & proponere emendationem, & damnata fuit ab eodem Summo Pontifice eodem anno.

54 NEC vnquam posse, TVTA CONSCIENTIA, absolui, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmò directè, & ex proposito illam quærit, aut ei se ingerit, aio cum communi TT. & contraria opinio damnata,

& re-

& reprobata fuit à supradicto Pontifice eodem anno.

55 IN Bulla emanata anno 1666. ab Alex. VII. *capit.* 38. & 39. declaratæ fuerunt temerariæ nedum falsissimæ, tam illa propositio, in qua asserebatur mandatum Tridentin. factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, esse consilium, & non præceptum, tum illa alia, in qua dicebatur, quod illa particula, quamprimum, intelligebatur cum Sacerdos suo tempore confitebatur. Quæ ambæ propositiones sicuti à prædicto Summo Pontifice damnatæ fuerunt, sic ostenditur à Sacris Theologis varijs rationibus, eas audacter, & sine vllo fundamento prolatas, adeòque etiam exclusa declaratione prædicta, falsissimas, & nullo modo tenendas.

56 NON sufficere dicere in confessione tantum se procurasse pollutionem illum, qui commisit peccatum mollitiei, sodomiæ, vel bestialitatis, tanquam si hæc peccata essent eiusdem speciei infimæ cum mollitie, affirmo cum Caram. in *fundam. num.* 1705. & quampluri-mis alijs, quia explicandus est actus externus, & procurare pollutionem non est pollui, & sicuti non satisfit Confessario à dicente: procuraui homicidium, si re ipsa occidit, ita nec satisfit à dicente procuraui pollutionem in prædictis peccatis, sed distinctè explicari debet enormitas actus completi in propria specie, & numero, vt ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 5. patet, & opinio huic contraria, tanquam scandalosa, & temeraria prohibetur ab Alexandro VII. in sua bulla *cap.* 24.

57 NON satisfacere præcepto confessionis illum, qui habuit copulam cum soluta, si in ipsa

con-

confessione dicat: Commisi graue peccatum cum soluta non explicando copulam; affirmo cum Communi, nam fateri se commisisse graue peccatum cum soluta contra castitatem, est fateri peccatum in specie alterna, non in specie atoma, cum peccatum graue contra castitatem, possit esse diuersæ speciei atomæ; sed in confessione, ex Concilio Trid. *Sess.* 14. *cap.* 5. est exprimenda species atoma, & numerus peccatorum, ergò est explicanda copula cum soluta, cùm hæc sit species peccati fornicationis, & contraria opinio fuit declarata scandalosa, & temeraria ab Alexandro VII. in sua bulla *c.* 25.

58 DEBERE pœnitentem, qui ob instans vitæ periculum, aut aliam ob causam omisit, aut oblitus fuit aliquod peccatum, in sequenti confessione illud exprimere, affirmo ex bulla Alexandri VII. qui contrariam opinionem reprobauit, & damnauit.

59 NON satisfacere præcepto annuæ confessionis pœnitentem, qui confitetur Sacerdoti regulari, etiam si hic iniustè reprobatus fuisset ab Episcopo, cui præsentatus fuit; affirmo ex bulla eiusdem Alexandri VII. qui pariter contrariam opinionem, tanquam temerariam damnauit.

60 POENITENTEM, qui absolutè, & verè proposuit, Deo adiuuante, de cætero se non peccaturum, quamuis, cum toto hoc proposito timeat, aut sibi maximè persuadeat se in posterum lapsurum, adhuc accedere cum sufficienti proposito ad Sacramentum, affirmo cum Syluestro, qui *verbo, confess.* 1. *num.* 25. docet, quod aliud est velle cauere, aliud credere quod cauebit à peccato, cum vnum sit actus voluntatis, alterum intellectus, ergo qui ex corde, & verè proponit se nolle

am-

ampliùs peccare, etiam si credat se ex fragilitate lapsurum, accedit ad Sacramentum, cum vero proposito, quod consistit in voluntate, & credere, & existimare, quod relabatur, est actus intellectus. Quod etiam docet P. Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 4. num.* 8. his expressis verbis: Alterum, sæpè fieri potest, vt licet aliquis absolutum, & sufficiens propositum habeat, nihilominùs timeat, vel etiam existimet se non vitaturum omnia mortalia peccata, vel certum aliquod peccati genus non effugiturum, quia antea etiam voluntatis suæ inconstantiam expertus fuerat, vti benè docent Syluest. *verb. confess.* 1. *quæst.* 21. Lopez, Nauar. Io: Henriquez, &c. Ratio est, quia, vt Syluester notauit, velle, ac proponere actus voluntatis est; existimare autem se facturum, quod voluntas proponit, actus intellectus, qui ex proposito illo necessariò non consequitur ob humanæ voluntatis cognitam mutabilitatem. Hæc Layman.

61 NON esse sufficientem dispositionem ad Sacramentum pœnitentiæ, dolere, quod non satis doleas, seu dolorem, quem quis habet, quod non doleat de peccatis, affirmo cum communi Doctorum, quia dolor debet esse de peccatis, non de negatione doloris; Tamen si quis doleat (hoc volo dictum pro scrupulosis, & timoratæ conscientiæ, nullum affectum ad peccatum habentibus, quibus semper videtur, quod verè non doleant de suis peccatis) si quis, inquam, doleat, quod non doleat quantum dolere cuperet de peccatis suis, & quod dolor, quem habet, non sit proportionatus magnitudini peccatorum suorum, verè eum dolere, & mereri absolutionem, affirmo cum Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 5.*

Vbi

Vbi inter alia hæc docet his verbis: Nihilominus doctrina illa (nimirum dolere aliquem, quod non doleat de peccatis, sufficere ad Sacramentum pœnitentiæ) bono sensu intellecta, vera est, si quis doleat, quod magnitudini peccatorum non satis proportionatum dolorem habeat, signum est eum satis dolere, & absolutionem mereri; Deinde si quis arbitretur, se non satis dolere, cum tamen id ex animo cupiat, eximendus est plerumque ei scrupulus, atque consolandus homo, dummodo nullum actualem affectum erga peccatum mortale gerat.

Finis Libri Primi.



TVTÆ CONSCIENTIAE LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

DE CONFIRMATIONE.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in selectioribus quibusdam casibus ad Sacramentum Confirmationis pertinentibus.

1 

POSSE, TVTA CONSCIENTIA, Sacramentum Confirmationis ab Episcopo conferri, etiam sibi non subditis, confluentibus ad ipsum, quando in sua Dioecesi confert hoc Sacramentum suis Dioecesanis; affirmo cum Henriquez *lib. 5. de Sacramento Confirmat. cap. 6. num. 6.* Layman *lib. 5. tract. 3. cap. 6. num. 2.* vbi hæc habet: Præterea si confirmante Episcopo in propria Dioecesi, accurrant etiam accolæ ex aliena, licitè confirmari possunt ob præsumptionem, gratum id fore Episcopo, ad cuius Dioecesim illi pertinent. Quia ex eo, quod cre-

credendum eſt hoc eſſe gratum Epiſcopis, in præſenti ſufficit; nam cum ex Ochagauia, quem pro ſe citat Diana *part.4. tract.4. reſolut. 50.* Iuriſdictio non ſit de neceſſitate huius Sacramenti, præſumi poteſt facilius ratihabitio, quam in Sacramento Pœnitentiæ, vbi requiritur iuriſdictio de præſenti, quam ſententiam, teſte Diana ipſo *loco citato*, ſequuntur Tannerus in *3. part. D. Thom. diſput.4. quæſt.4. dub.3. num.* 56. & ipſe D. Thomas *quæſt. 72. art.8. dub.2. num.*39. & alij.

2 NON poſſe Epiſcopum, TVTA CONSCIENTIA, multo tempore, & negligenter adminiſtrationem Sacramenti Confirmationis omittere; affirmo cum Leandro *tract. 3. de Sacram. Confirmat. quæſt. 7.* qui multos pro hac ſententia citat, inter quos Reginaldum aſſerentem Epiſcopum in tali caſu mortaliter peccare; quod ſimiliter docent Caſtropalaus, qui *tract.20.de Sacram.Confeſſ.punct.9.num.*13.hęc habet. Vnde ſi Epiſcopus longo tempore huius Sacramenti miniſtrationem omitteret, non eſt dubium peccaturum mortaliter, quia priuat oues, quas paſcere obligatur, vtilitate ſpirituali non leui, & opportuno optimiſſimoque remedio ad fidem, gratiam, & charitatem obſeruandam.

3 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, Sacramentum Confirmationis adminiſtrari pueris, etiam non expectato ſeptennio, & vſu rationis, & quamquam conuenientius eſſet poſt ſeptennium illos confirmare, minimè tamen poſt talem ætatem eſſe differendum; affirmo cum Caſtropalao, qui *loco cit. punct.7. num.*4. multos grauiſſimos Doctores pro confirmanda hac ſententia citat, & præ omnibus Pium V. qui in Catechiſmo Romano 2. *part. cap.3.*

*num.*14.

num. 14. inquit: Illud etiam obseruandum est omnibus quidem post Baptismum, Confirmationis Sacramentum posse administrari: Sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri vsum rationis habuerint, quare & si duodecimus annus expectandus non videatur, vsque ad septimum certè hoc Sacramentum differre maximè conuenit. Ratio verò cur expediat rationis vsum expectare, est quia sic decentius suscipitur, & cum maiori fructu, & absque periculo reiterationis, quod facilè eueniret si regulariter in infantia hoc Sacramentum ministraretur.

4 PATRINVM, qui confirmandum tenet debere esse confirmatum, aliis non posse, TVTA CONSCIENTIA, patrini munus subire, nec cognationem spiritualem contrahere; affirmo ex *cap. in Baptismate, de consecrat. dist.* 4. qui vtitur verbo, non potest.

5 POSSE hoc Sacramentum Confirmationis, TVTA CONSCIENTIA, conferri ab Episcopo etiam extra Ecclesiam, & in quocumque loco decenti; affirmo cum Leandro *tract.* 3. *de Sacram. Confirmationis quæst.* 13. qui pro se citat Henriquez, Bonac. Palud. & alios, inter quos Filliucium, qui solum ait, (& benè) decentius, & conuenientius in Ecclesia hoc Sacramentum conferri, & Leander *loco citato*, ait, Episcopos non teneri sub tanto onere, nimirum conferendi hoc Sacramentum in Ecclesia: Subdens Episcopos communiter hoc Sacramentum in suo palatio conferre.

6 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, validè imò, & licitè hoc Sacramentum Confirmationis, etiam perpetuò amentibus conferri; affirmo cum Leandro *loco cit. disput.* 4. *quæst.* 4. qui (asserit hanc esse communem sententiam)

tiam) T.T. & DD. inter quos citat illorum Principem D. Thomam *quæst.72.art.8.*

7 DEBERE præmittere confirmandum, ante receptionem huius Sacramenti, contritionem, si cognoscat se esse in peccato mortali, nec teneri præmittere confessionem, sed sufficere saltem vt bona fide putet se esse contritum; affirmo cum eodem Leandro, qui *loco citato quæst.70.* multos pro se citat.

CAPVT II.

DE CONSVETVDINE.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad hanc materiam.

1 DEBERE Iudicem ferre sententiam secundum consuetudinem, & non secundùm legem, si consuetudo sit legitimè introducta contra legem; assero ex *l. nam Imperator, ff. de legibus*. Quia tunc consuetudo habet vim legis, & est ipsum ius.

2 QVOD si quæratur secundùm quam consuetudinem iudicandum erit, quando accidit casus, quod iuxta consuetudinem legitimam introductam, contra ipsam legem iudicari debeat? à Syluestro viro illo verè eruditissimo, & doctissimo, & de Theologia morali, tam benemerito, *Verb. Consuetud. num.23. in fine.* Respondetur cum distinctione, nam vel Iudex obtinetur per appellationem, & tunc debere talem delegatum Iudicem iudicare iuxta consuetudinem loci, à quo appellatus fuit; Quia Iudex appellationis tenetur sequi consuetudinem prioris sententiæ, vt habetur ex *Authent.*

Authent. vt cum, de ep. cog. in pri. col. 8. Si verò Iudex impetretur absque appellatione, & tunc eum iudicare debere iuxta consuetudinem delegantis; asserit idem Syluester *loco citato*, secundùm aliquos Authores, licet addat sententiam Bart. in supradicto casu talem Iudicem debere iudicare secundùm consuetudinem rei, cum actor forum rei sequatur, dummodò talis reus non sit factus de foro alterius, ratione contractus, vel maleficij, quia tunc, vt inquit idem Syluester, seruanda est consuetudo loci, vbi contraxit, vel deliquit.

3 SI compromissum fit à partibus in Iudicem, vt secundùm iura pronunciet sententiam; posse adhuc talem Iudicem, TVTA CONSCIENTIA, iudicare iuxta consuetudinem, & non secundùm legem: assero cum eodem Syluestro *loco cit. num.* 21. Quia consuetudo, iuxta doctrinam communem, est quoddam ius non scriptum.

4 AD præscribendam consuetudinem sufficere tempus decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes; affirmo ex *cap. de præscript. long. temp.* vbi clarè patet, quod longum tempus, in quo inducitur præscriptio, dicitur decem annorum intèr præsentes, & viginti inter absentes.

5 SVFFICERE ad probandam consuetudinem in foro externo duos testes tantummodò; assero ex Bart. *l.* 2. *Cod. quæ sit longa consuetudo, quæst.* 26. & Bald. qui in *leg. de quibus. ff. de legib.* dicit, quod consuetudo probari potest per vnum testem. Et pro foro conscientiæ vnum tantùm Doctorem excellentem de ea deponentem, dum ei alij non contradicant, vt ipsi fides adhibeatur, assero cum Bart. *Repetitione l. de quibus. num.* 21. *quæst.* 4. *ff. de legib.*

& mul-

& multis alijs, quos refert Mascardus de *Probat. conclusione* 426. *num.* 1. *& duplici sequenti*, teste Thoma Sanch. *Lib.* 7. *de Matrim. disp.* 17. *num.* 8. & Suarez *Lib.* 7. *de lege non scripta*, *& cap.* 11. *num.* 8. qui addit supradictam sententiam, tunc tantùm locum habere, quando nimirum alij non contradicant, & tunc etiam verius est requiri, vt vel plures, & graues Doctores, in illa assertione conueniant, vel vt dictum vnius alijs grauibus coniecturis adiuuetur.

6 CONSVETVDINEM, non habere vim aduersus legem Canonicam, nisi sit quadraginta annorum; affirmo cum Molina de *Iust. & Iur. tract.* 2, *disp.* 77.

CAPVT III.

DE CONTRACTV.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam casibus selectioribus pertinentibus ad hanc materiam.

1 NON esse vsurarium, sed licitum contractum illum, in quo socius dat pecuniam alij socio mercatori ad negotiandum cum pacto, quod in omni euentu debeat reddere sortem principalem integram, & insuper quotannis, loco magni lucri incerti, quod posset ex tali societate pro quolibet cẽtenario sperare, soluere paruũ, nimirum, quinque, vel sex pro centenario; affirmo cum Cardinali de Lugo *Tom.* 2. *de Iust. disput.* 30. *section.* 4. *num.* 40. & quamplurimis alijs primæ notæ Doctoribus ab ipsomet Lugo citatis, dixi licitum esse supradictum contractum, dummodò concurrant

hęc tria in illo, vt inquit ipsemet Lug. Nam primo lucrum certum, quod exigitur, debet esse adeò moderatum, vt attento capitali, quod confers, & spe lucri maioris, quæ est, appareat compensari iustè periculum, quod alter socius subit circa securitatem capitalis, & certitudo lucri, quæ promittitur, diminutione illa lucri multò maioris, quod probabiliter speratur; Nam si v. g. speratur lucrum fore duodecim pro centenario, & tu exigis solum quatuor, das socio illa alia octo incerta, pro securitate capitalis, & pro certitudine lucri, vt quatuor. Secundò necesse etiam est, vt exerceas veram societatem, & non fictam dando pecuniam ei, qui verè illam negotiabitur, & ad hunc finem. Tertiò, vt des socio pecuniam, vt eam, tuo etiam nomine negotietur, & non vt ipse suo solo nomine negotietur, & postea det tibi pro facultate negotiandi, & lucrandi, partem aliquam, certam lucri. Et ratio cur supradictus contractus licitus sit, attentis omnibus supradictis circumstantijs, est: Quia hi contractus, singuli secundùm se liciti sunt, si fiant cum diuersis personis; Videlicet licitus est contractus, societatis, in quo Petrus v. g. dat Caio centum aureos, vt cum alijs centum suis negotietur prædictam pecuniam, tum nomine ipsius Caij, tum nomine eiusdem Petri, & lucrum correspondens, & incertum cum periculo sortis principalis soluatur ipsi Petro. Licitus est etiam, & hic alius, quod nimirum Petrus contrahat cum alio, vt assecuret suum capitale centum aureorum, tradens assecuratori summam conuenientem arbitrio boni, & prudentis viri, & demum licitus est etiam, & hic alius contractus; quod nimirum Petrus contrahat cum alio, vt emat illud lucrum magnum, sed incer-

incertum ipsique tradat summam certam, sed partiam. Ergo si omnes tres supradicti contractus, absque dubio liciti sunt seorsim sumpti, & cum diuersis, liciti etiam erunt coniuncti, & si cum vno eodemque fiant.

2 ACCEDENTE die designato ratione contractus, ad aliquid soluendum, teneri debitorem soluere, quamuis creditor non poscat suum creditum; teneo ex *Cap. fin, de loc, l. magnum C. de contr. stipul.* Quia dies interpellat pro homine, adeoque non soluentem absque causa in tali die, assero peccare contra iustitiã.

3 SICVTI in contractibus nominatis v. g. emptione, & venditione, si vnus ex contrahentibus aliquid promittat, & non adimpleat, contractus non rescinditur; sic in emptione v. g. si promittat emens se soluturum post mensem, si de facto non soluat, contractus emptionis non rescinditur, sed potest compelli emptor, vt soluat. Sed in cõtractibus innominatis, si vnus ex contrahentibus non adimpleat, quod promisit, contractum innominatum rescindi; assero ex *l. 1. C. quan. licet ab emptione recedere*, cum communi.

4 ILLICITVM esse contractum, qui Hispanicè vocatur Mohatra, & Italice Stocco; id est quando, quis egens pecunia, emit pecuniâ credita à Mercatore merces, pretio summo, quas infimo pretio, pecunia numerata, reuendit eidem mercatori, cui ad prædictas merces, tali modo reuendendas, emptor coactus fuit, nec aliter mercator ipse, emptori merces suas, pecunia credita vendidisset; affirmo cum communi DD. & ex Bulla Innocentij XI. qui contrariam opinionem, tanquam falsam, temerariam, & scandalosam prohibuit in Bulla citata.

5 NON posse propria authoritate Dominum

rei emphyteuticæ ipsam talem rem sibi vendicare, & eam ingredi, TVTA CONSCIENTIA, eo titulo, quod Emphyteuta, tribus integris annis non soluit canonem, affirmo cum Rebellio de *Obligatione Iustitia par.2.lib.23.12.* Castropal.de *Iust.tract.32.D.10.part.10.num.* 12. & alijs qui citantur à supradictis. Quia hæc expulsio, & si sit conditio contractus Emphyteutici, sapit tamen pœnam criminis commissi, quæ non debet sustineri ante sententiam Iudicis.

CAPVT IV.

DE CREDITORE.

Quid possit, vel quid non possit fieri, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus Casibus pertinentibus ad materiam de Creditore.

1 PRÆFERRI inter Creditores Hypothecarios, siue tacita, siue expressa hypotheca vallatos, creditorem anteriorem ex *l.si pignus* 8.*l.si ex iure* 10.*ff. qui pot.in pign. hab.*quia, qui prior in tempore, potior in Iure.

2 ANTERIOREM creditorem non solùm debere præferri pro sorte principali, sed etiam pro fructibus, & interesse ex *l.quecumque* 5.§. *non tamen in fin.* ibi *eius etiam rei sequela est ff. de inst.act.l. greg.*13. *&* §.*vlt. de pignorib. ex dicta l. quicumque* §.*non tamen* Reg.Capyc.Latr. *Decis.* 16. *tom.* 1. Nam accessorium sequitur naturam sui principalis *cap.acces. de reg. iur. in* 6. & hoc procedit etiam si de interesse non fuerit pactum, quia tunc ab initio censetur hypotheca apposita pro interesse, dannis, & expensis, & præfertur alijs creditoribus *l.stipul.non diuidund.de verb. obli.*

3 CRE-

3 CREDITOREM conditionalem anteriorem præferri posteriori puro; affirmo ex *l. qui balneũ 9. l. potior §. videamus, ff. qui potior.* Quia hypotheca conditionalis retrotrahitur, si sit mista, vel casualis, secus si sit potestatiua.

4 PRÆFERRI creditorem hypothecarium habentem priuatam scripturam debitoris, si illa vallata sit subscriptione trium testium alteri posteriori hypothecario ex instrumento ex *l. scripturas* 12. *C. qui potior in pig. hab.* si testes de veritate deponãt, vel cesset suspicio antedatæ. Præs. de Franch. *Decis.* 95. Card. de Lugo de *Iust. & Iur. disp.* 20. *sect.* 4. §. 2. *num.* 68.

5 SI duo creditores vallati sint duabus scripturis eadem die factis ab vno Notario, præferri debere illum creditorem, cuius scriptura est scripta in protocollo ante aliam; affirmo cum Bart. in *l.* 1. *num.* 18. *C. fac.* vbi Alex. in *addit. in l.* 1. *ff. solut. matr. decis. apud de Mar. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 72. *num.* 2. Quia grauis est coniectura etiam tempore præcessisse hypothecam prius scriptam, quod si scripturæ sic pradictæ scriptæ sint à diuersis Notarijs ex *l. Pater familias in f. ff. de hæredib. insti.* Marta *Dec.* 75. quia in dubijs media via eligi debet; Secus fauore dotis, vel creditoris habentis diem, & horam fus è Andreol. *Controu.* 352. *à num.* 7.

6 VT in scriptura creditoris possit subsistere hypotheca, necessariò in illa exprimendam esse causam debiti: affirmo ex *cap. si cautio de fide instrumentorum l. cum de indebito §. fin. de prob.* & Marin. *loc. cit. num.* 2. Quia debitum posset oriri ex causis iniustis, ex quibus non debetur, & sic causa est exprimenda, vt cognoscatur an Contractus obliget, quæ doctrina valet, etiam si scriptura fuit iuramento firmata, idem de Marin. vbi supra.

7 PRÆFERRI dotem creditoribus anterioribus hypothecarijs habentibus tacitam, excepta illa ex legali administratione dolosa; affirmo ex *l. assiduis. C. qui potior in pign. hab.* secus si creditores haberent expressam anteriorem, vt habet Gizzarell. *Decis.* 1. qui ampliat contra dotem etiam in bonis postea quæsitis, non tamen sic pro credito posteriori doti in bonis donatis contemplatione matrimonij, vel acquisitis ex pecunia dotali, vt habet doctissimus D. de Luca de *Dote discursu* 84. *num.* 8.

8 PRÆFERRI fiscum anterioribus habentibus tacitam hypothecam, affirmo ex *l. 2. C. de priu. fisci, l. dotis sua 9. C. de Iur. dot.* non sic verò concurrente creditore habente anteriorem ex sua prouidentia, nisi in bonis postea acquisitis ex Gizzarell. apud de Luca.

9 CREDITOREM ad refectionem, vel cum hypotheca ad emendam rem, præferri hypothecæ anteriori, etiam expressæ; affirmo ex *l. interdum 5. l. cuius. 6. ff. qui pot. in pig. l. quod quis 19. l. qui in nauim ff. de priu. fiscu.*

10 PRÆFERRI creditorem ex impensis funerum in bonis defuncti, etiam anteriori expressæ hypothecæ, affirmo cum Præs. de Franch. *decis.* 51. ibi Addentes D. Reg. Latr. *decis.* 47. & alijs, quia id exigit religio, & bonum commune, vt habetur ex *l. ne corpora* 38. *ff. de Relig. & sumpt. fun.*

11 PVPILLVM in re empta pecunia pupillari, præferri omnibus alijs creditoribus; affirmo ex *l. si Tutor C. de seruo pignori dat.*

12 POSSE alienari bona subiecta generali hypothecæ, & si alienentur, non remanere actionem in illis, creditori, qui habebat super illa generalem hypothecam ad differentiam specialis

cialis hypothecæ, quæ nunquam cessat; affirmo ex dicta *l. pen. ff. de pign. l. si debitũ C. de dis. nat. pig. & cum l. seq. libro 2. de inst. cap. 28. num. 38.* Molina *disp. 528.* & alijs multis, quia satis est debitorem habere bona inuenta tempore solutionis, & esse leuissimum onus non posse talia bona alienare.

13 PRÆFERRI creditores ex deposito, & solum postponi creditori ex impensis funeris, quod intelligitur, si res depositata non extaret, nam eadem stante, creditor venit, vt Dominus & in deposito præfertur cunctis alijs, per rei vindicationem, affirmo ex *l. si ventri 8. ff. de priuil. cred. & ex l. quod priuil. 8. l. si hominem 7. §. quer.*

41 PRÆFERRI etiam dotem, datam à sponsa de futuro alijs creditoribus; affirmo ex *l. 1. ff. solut. matrim.* quia ad bonum commune spectat fœminas non esse indotatas.

15 NOMINE impensarum funeris venire quicquid ægro necessum fuit tempore infirmitatis, scilicet salarium medici, inseruientium, pharmacopolæ, vestes lugubres, celebritatis insignia, sarcophagi luminaria; affirmo ex *l. si quis 14. §. funeris l. funeris 37.* & cum Gaball. *resol. crimin. censur. 3. cas. 101. num. 43.* & sic creditores ex huiusmodi expensis pro funerali præferuntur anterioribus hypothecarijs, quia pertinet ad bonum publicum, ne miseri languentes deserantur, quod eueniret si tales creditores non præferrentur alijs anterioribus, nam nemo vellet dare pecuniam cum metu amissionis illius.

CAPVT V.

DE DEBITORE.

Quid fieri possit, vel quid non possit, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad materiam de Debitore.

1 SOLVENTEM rem, quā scit esse indebitā creditori, céseri donare, adeoque illam nō posse repetere; affirmo ex *l. 1. si sciens se non debere, soluerit, cessat repetitio l. si is, qui 24. l. quod quis 50. l. indebiti 15. ff. de cond. indeb. l. cuius 53. ff. de reg. iur.* quia impossibile est, velle soluere, scientem se non esse debitorem; ergo dum dat, donare creditur, non soluere, vt habetur ex *l. 7. §. seruus ff. pro emptore l. 9. C. de cond. indeb.*

2 SOLVENTEM indebitum, sed pro causa pia non posse repetere; affirmo ex *l. cùm is 32. si in ea*, ibi, *Relinquitur pietatis causa, ex qua solutum repeti non poterit, ff. de cond. ind. Rom. cons. 428. num. 2.* Molina *disp. 567.* Quia in tali casu, ius præsumit dantem habere voluntatem donandi pro anima sua.

3 DANTEM libertatem mancipio suo per errorem, nimirum quia putabat, se teneri, dum non tenebatur libertatem dare, non posse iterum eum in seruitutem redigere; affirmo cum Francisco Verde. *Lib. 3. sui Tyrociny lem. 34. num. 654.* Qui enim, vt ait ipse libertatem obtinuit, non reintegratur ad seruitutem.

4 SOLVENTEM legata debita naturaliter, sed indebita ex defectu solemnitatis, nō posse ea repetere; affirmo ex *l. regula 9. Ibi: si quis ius*

quod

quod ex causa fideicommissi indebita solutum est, si non per errorem solutum est, repeti non potest.

5 NON posse à debitore liquido solui partem tantummodò debiti inuito creditore; affirmo ex *l. planè 3. v. Quia sæpè ff. fam. ercis. l. cum fundus 31. in fin. ibi. Si ei pretium solidum ff. de reb. cred. l. si seruus*, Quia partis solutio incommodum affert.

6 POSSE tamen à debitore solui liquidum, relicto illiquido, etiam inuito creditore; affirmo ex *l. quidam existimauerunt 21.* vbi Donel. Bart. Ias. *ff. de reb. cred.*

7 SI æs alienum est diuisum inter hæredes, vnum ex illis, posse soluere ratam suam æris alieni creditori, etiam ipso inuito; affirmo ex *l. in executione 85. §. 1. ff. de verb. oblig. l. si testamento 49. §. 1. ff. de fideiuss. l. 2. C. de hæred. act. l. 1. C. si cert. pet.*

8 POSSE fauore libertatis, & fauore fisci solui partem tantummodò crediti inuito ipso creditore; affimo ex *l. cum hæres 4. §. item si decem. 6. ff. de stat. lib. & ex l. placuit 4. C. de collat. fundor. Patrim.*

9 SI soluatur à debitore, qui tenetur ex eadem causa ad sortem, & vsuras, tunc præsumi solutionem factam pro vsuris, non pro sorte principali; affirmo ex *l. fideiussores 69. §. 1. pro Aurelio, verbo, sed quicquid ex bonis ff. de fideius.* quia hoc est ad debitoris vtilitatem; nè nimirum addicatur ad carceres ob vsuras.

CAPVT VI.

DE DEFENSIONE.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad hanc materiam.

1 NVLLO modo licitum esse Religioso, vel Clerico calumniatorem, grauia, crimina de se, vel de sua religione minantem spargere, occidere, etiam si alius modus defendendi non suppetat, vti non videtur suppetere, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel eius Religioni publicè, & coram grauissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur; affirmo cum Caram. in *Theol. praten intentionali num.* 1612. & quamplurimis alijs, quia religiosus, vel Clericus non recuperat honorem gladio, nec vitat inhonorationem, imò turpiùs honorem perdit in superiori ordine virtutis patientiæ, & humilitatis, & opinio supradicta fuit tanquam temeraria damnata ab Alex. VII. in sua Bulla *cap.* 17.

2 SICVTI nullo modo licere interficere accusatorem, falsos testes, ac Iudicem ipsum, à quo iniqua certò imminet sententia si alia via non potest innocens damnum euitare; affirmo cum comm. DD. & contraria opinio damnata fuit ab eodem Alex. VII. eadem Bulla *c.* 18.

3 PARITER Innoc. XI. anno 1679. prohibuit tanquam temerariam, & scandalosam opinionem illam, in qua asserebatur fas esse viro honorato occidere inuasorem, qui nititur ei calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequeat, & idem dicendum, si quis impin-

gat

gat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

4 SIMILITER idem Summus Pontifex eodem anno, declarauit falsas esse, & temerarias illas alias propositiones, quibus docebatur: Quod regulariter occidi poterat fur pro conseruatione vnius aurei; & quod non solùm licitum est defendere defensione occisiua, quę actu possidemus, sed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

5 SICVTI etiam pariter idem Innoc. eadem Bulla damnauit tanquam temerariam, & falsam illam aliam propositionem, in qua asserebatur licitum esse tam hæredi, quàm legatario contra iniustè impedientem, ne hæreditas adeatur, vel legata soluantur, se taliter defendere, sicut, & ius habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem iniustè impedientem.

6 ILLOS, qui tenentur ex iustitia alios defendere, si non defendant non solùm mortaliter peccare, sed etiam teneri ad restitutionem damnorum, quæ orta sunt ex omissione defensionis affirmo cum Filliucio *Tract.29 in 5. prac. decalog. cap.3. num.58.* Vbi docet multa, quæ quia necessarijssima sunt vt sciantur, præsertim ab ijs, quibus dominium supra alios à Domino fuit concessum, vt intelligant beneficium, quo fruuntur nō carere sua pensione, existimaui, hìc expressa verba eius adnotare: Qui tenetur, inquit ipse, ex iustitia alterum defendere, si non faciat tenetur etiam ad restitutionē, vltra peccatum mortale. Ratio patet, quia omittendo, peccat cōtra iustitiam, quæ obligat ad damnum sequutū ex omissione; Tales autem sunt, omnes superiores publica auctoritate constituti ad

G 6 alio-

aliorum gubernationem, vt Principes, Barones, Prætores, Magistratus, Episcopi, item & Parochi in ordine ad spiritualia tenentur defendere subditos, & parochianos suos, sicut Prælati religiosos suos subditos, his adduntur Tutores, & Curatores pupillorum; milites qui ad hoc conducti sunt; denique alij ad hoc explicitè vel implicitè obligati &c. Hæc Filliucius.

CAPVT VII.

DE DENVNCIATIONE.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam ad hanc materiam de Denunciatione pertinentibus.

1 IN *cap.5.* supradictæ Bullæ emanatæ ab Alexandro VII. anno 1665. fæl. mem. reprobatur tamquam falsa, & temeraria opinio illa, quæ asserebat, quod quamuis euidenter, tibi constaret Petrum esse hæreticum, non teneris illum denunciare, si probare non posses, quam propositionem, & opinionem, sanctè, & iustè reprobatam, & damnatam fuisse multis rationibus probat meus amicissimus, & doctissimus Verde in sua *Anacephaleosi tit.9.num. 315.* & præcipuè quia, vt inquit ipse, qui passus est aliquod malum, potest illud denunciare Iudici, etiam si probare nequeat, ergò multò magis, si delictum redundet in damnum communitatis, cum qui offendit totum, offendit partes &c. Ad quod accedit, vt ipsemet Verde subiungit, quod accusator, non denunciator probare debet, vt constat ex *l. vn. cap. qualiter, cap. super his de accusationibus cap. de famosis*

mosis libellis, ergò denunciator, licèt probare non possit, tenetur denunciare *cap. Inquisitionis* §. 1. *de accusationib. l. edicto* §. *id autem ff. de iure fisci*; & hoc ad differentiam accusatoris adstricti ad probandum, vt dixi.

2 IN eadem Bulla Alex. VII. *cap. 6.* damnatur illa alia propositio, in qua dicebatur, quod Confessarius, qui tribuit poenitenti chartam posteà legendam, in qua ad Venerem incitet, non censetur sollicitasse, in confessione, ac proindè non esse denunciandum, & iustissimè hanc etiam propositionem, vt dixi, damnatam fuisse probant DD. communiter, & præcisè supradictus eruditissimus Dominus Verde, qui hoc facit septem rationibus, quæ præcipue ostendunt traditionem illam chartæ esse, & inchoatam sollicitationem, & sollicitationem, ipsam in causa.

3 SICVTI, & illa alia propositio, in qua asserebatur, quod modus euadendi obligationem denunciandæ sollicitationis, erat si sollicitatus confitebatur cum sollicitante, quia hic poterat eum absoluere, absque onere denunciandi, quod quàm audacter, aut temerariè dicebatur Sum. Pontifex Alex. VII. in eadem Bulla *cap. 7.* definit, damnans ipsam propositionem, tanquam temerariam, & falsissimam, quod etiam ostendunt rationes, quas breuitati consulens, prætermitto.

4 POSSE à Parocho, TVTA CONSCIENTIA, omitti denunciationes, quando contrahendum est matrimonium in articulo mortis; affirmo cum Laym. *Lib. 5. tr. 10. cap. 4. n. 11.*

5 FACIENDAS esse denunciationes in vtriusque sponsi parochijs vbi diutius, & principaliorem habuere larem; affirmo cum Sanchez de *Matrimonio tom. 1. lib. 3. disp. 6. num.* 6. &

6. & Coninch. de *Sacram. disp.* 27. *dub.* 5. *num.* 50. quod declaratum etiam fuisse à Sacr. Congregat. Cardinalium testatur, vt asserit Diana *Part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 235.) Dauolos *Part.* 2. *direct. cap.* 16. *num.* 19. Ratio autem esse potest, quia cum denunciationes fiant ad detegenda impedimenta contrahentium, si quæ sint, hoc facilius haberi potest, vbi diutius contrahentes commorati sunt, & difficilius, vbi breui tempore habitarunt, &c.

6 POSSE Episcopum, TVTA CONSCIENTIA, dispensare, vt omittantur denunciationes, non posse verò eius Vicarium, neque omnes illos, qui iurisdictionem quasi Episcopalem habent; affirmo ex quadam declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium, quæ sic decreuit: Non permittitur hæc facultas commendatario, licet eius Abbatia iura Episcopalia habeat, cuius Abbas appellatione Ordinarij venit iuxta Glos. in *cap. fin. de offic. ordin. in* 6. dixit enim SS. Dominus noster, quod ordinarius hic non intelligitur nisi Episcopus, &c. quam declarationem adducunt multi DD.

CAPVT VIII.

DE DEPOSITARIO.

Quid fieri possit, vel quid non possit, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad hanc materiam de Depositario.

1 TENERI depositarium restituere depositum, si hoc pereat suo dolo, & ex culpa lata; affirmo ex *l.* 1. §. *si quis seruum* 11. *l. quod nerua* 32. *ff. de depos.* & *c.* 2. *de deposito. dicta l. quod nerua* 32. *ff. de depos.* quæ doctrina valet

valet etiam in casu, quo depositum fuit factum in commodum deponentis tantùm.

2 TENERI etiam depositarium ad restituendum depositum, si hoc pereat eius mora, vel facto res pereat *l. si in Asia* 12. *§. fin ff. de dep.*

3 EX leui culpa depositarium non teneri, si pro custodia mercedem non recepit, vel ad suum commodum depositum non fiat, vt esset si re vtatur, vel si ad casum fortuitum se obligauerit, vt habetur *ex l.* 1. *§. sæpe* 35. *ff. de dep.* & ex *l. si vt certò* 5. *§.* 2. *de commod.* & ex *l. si quis* 4. *ff. de reb. cred.*

4 DEPOSITVM si regulare est, vt illud vocant aliqui DD. idest, si tradatur pecunia in sacculo clausa, aut æquiualenti modo; affirmo Domino perire, si pereat, & ipsi fructificare, seu crescere, si crescit ipsa pecunia ex voluntate Principis, &c. Si autem est irregulare, & mixtum, idest si deponatur apud tabulam, seu Bancum publicum, & hoc bancum vtatur illo ad faciendas diuersas solutiones, vt fit, eo quod Bancum ipsum habet aliundè vndè soluat deposita, quæ apud illud fiunt, quando hæc petuntur, si pecunia decrescat, banco decrescere, si autem crescat, ipsi banco crescere; assero cum Molina *Tom.* 2. *de Iustitia disp.* 523. Card. de Lug. Bonac. Laym. & alijs citatis à P. Mendo in *Epitome verbo depositum*, quia in primo casu depositi dominium semper est apud Dominum, qui pecuniam deposuit. In secundo casu, cum sit depositum irregulare, & mixtum habet speciem mutui, in quo dominium transit ad ipsum depositarium, qui fit debitor totius quantitatis, quam ipse insumpsit, & quia, qui commodum sentit, debet sentire incommodum.

5 ESSE Depositarium, Tutum in Conscientia, & nullo

& nullo modo peccare, si vtatur deposito, vsu consumptibili verb. grat. vino, frumento, oleo, &c. & huiusmodi rès vendat, vel alio modo consumat; si certus sit se habere alias res, quas reddat æqualis valoris, si depositum poscatur; affirmo cum Dian. *Part. 4. tract. 4. resol. 68.* Layman Nauar. Emanuele, Sà, & alijs apud P. Mendo in *Epit. ver. Depositum*; Quia in tali casu depositum transit in rationem mutui, dummodò deponens det facultatem depositario illo vtendi; quam doctrinam tradidit etiam Lessius *Lib. 2. capit. 27. dub. it. 2. num. 6. 7. & 8.* his verbis: Aduerte tamen in tribus casibus posse depositarium deposito vti. Primo si id illi à deponente est concessum, per hanc enim concessionem depositum transit in mutuum, vel in commodatum hoc ipso, quo vti cæperit; in mutuum quidem si est rès vsù consumptibilis, vt pecunia, triticum, oleum; in commodatum, si non est vsu consumptibilis; secundò, si depositarius bona fide existimet domino id non displicere; tunc enim non peccaret vtendo, nec furti actione teneretur, quamuis postea constaret domino displicuisse, & deberet vsum, domino volente, compensare: quia fur censeri non potest, qui putat se domino non inuito, rem contrectare. Tertio, quando depositum est res vsu consumptibilis, v. gr. pecunia, triticum, vinum, & depositarius certus est, se, quando depositum repetetur, paratum habiturum tantundem eiusdem mensuræ, & bonitatis, tunc non erit peccatum saltem mortiferum, vti deposito, & illud alienare, quia nullum incommodum irrogatur deponenti, imò hoc cedit in eius commodum, quia etiam si res casu, vel culpa leuissima deposita-

positarij deperiret, maneret deponenti salua, aliàs ipsi peritura.

CAPVT IX.

DE DETRACTIONE FAMÆ.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus Conscientiæ Casibus pertinentibus ad hanc materiam.

1 MANIFESTARE peccata alterius alias notoria his, qui illa nesciebant, non esse peccatum graue; assero cum communi; quia iam delinquens amisit ius ad famam suam.

2 ASSERERE de aliquo esse superbum, iracundum, & similia non esse peccatum mortale; teneo cum Syluest. Cord. Nauar. & quamplurimis alijs apud P. Mendo *verbo fama*, quia in tali casu non læditur notabiliter fama. Hæc verò doctrina non currit in Episcopis, & Religiosis, & similibus, quorum fama læderetur notabiliter, si haberentur pro auaris, & iracundis, &c.

3 MANIFESTATIONEM peccati grauis alterius, cui indecorum non iudicatur, nec contra suam famam, vt si dicatur de Iuuene peccare cum fœminis, & similia, non esse famæ detractionem, & peccatum graue; teneo cum Caiet. 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 2. *dub.* 2. & quamplurimis alijs. Quia nisi mala opinio infamiam generet in auditoribus, culpa grauis non agnoscitur in tali manifestatione.

4 SI quis sit infamatus in aliquo graui delicto, v.g. furto, non posse eius famam lædi in altero delicto, v.g. homicidio, &c. Assero cum com-

communi Doctorum, quia talis iam infamatus in vno delicto, retinet ius conseruandæ suæ famæ in cæteris, in quibus eam non amisit.

5 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, manifestari delictum, quod quis audiuit, nisi aliunde illud publicum sit, nec posse à supradicto, qui tale delictum proximi audiuit, dici, illud se audiuisse, quamquam ab ipsomet dicente non affirmetur; teneo cum Sot. *lib.4. de iust. quæst.6. art.3. ad* 4. & quamplurimis alijs, quia etiam in tali modo dicēdi, læditur grauissimè fama alterius, dum sic paulatim fiet publicum delictum, quod aliàs publicum non erat.

6 VNI, vel alteri viro prudenti, & taciturno dicere crimen proximi occultum, non esse detractionem grauem; assero cum Nau. *de Restit. lib.2. cap.4. num.*333. Caietan. & alijs multis, quia in tali casu læditur leuiter proximi fama, nec illi ex hoc graue nocumētum oritur, dummodò talis manifestatio non fiat ex fine grauiter tertio nocendi, sed tantùm ex leuitate.

7 SI quis audiat detractionem, & ad illā nullo modo cooperetur, esto non resistat, nec reprehendat detractores ex negligentia, vel leuitate, non esse, nisi tantum veniale peccatum; teneo cum Cord. *membr.4. de detract. quæst.*4. Nau. & alijs apud P. Mendo *verb. fama;* quia talis auditio materialis est, dum non laudat, nec approbat, nec est concausa, nisi ex officio teneatur audiens ipse corrigere, vel ex eius silentio sequeretur ingens damnum alterius, vel censeretur ab ipso approbari detractionem.

8 NARRANTEM iniuriam sibi ab altero factam, ob solum solatium, aut consilium capiendum, non peccare; affirmo cum communi: quia hic talis vtitur iure suo, & per accidens sequitur detectio criminis alterius, sicuti etiam

esset

esset cum quis culpam grauem alterius detegit superiori, vel ob remedium, vel vt de illo conqueratur.

9 SI quis infamaret aliquem in aliqua re, & deinde ei restitueret famam in aliqua alia re, illum valdè laudando, adhuc teneri famam ablatam in illa alia re restituere; teneo cum Andria *de Restit. quæst. 34. col. 7. num. 4.* Nauar. & alijs. Quia simpliciter hic talis diffamatus in vna re, non iudicatur bonus, non enim fama est sicut pecunia, quæ restituitur, etiam si aliundè fiat compensatio.

10 SI à te infamatus, suam famam recuperauit suismet bonis factis, & gestis te non teneri, TVTA CONSCIENTIA, famam illi restituere; affirmo cum Nauar. *de Restitut. lib. 2. cap. 4. num. 372.* Soto, & alijs. Nam restitutio fit ad resarciendum damnum illatum, sed hoc est iam reparatum; ergo &c. Sicuti si pallium, quod tu abstulisti ab altero, hic sua industria illud recuperasset, tu non tenereris ad illud restituendum.

11 QVAMQVAM minus graue sit mortuum infamare, quam viuum, tamen mortale peccatum esse, & ad restitutionem famæ mortui infamantem obligari; assero cum Less. *lib. 2. cap. 11. d. 21.* Bonacina *disput. 2. quæst. 4. §. 2.* Nauarr. & alijs apud P. Mendo, *verbo, Honor.* Quia defuncti ius exigit, ne contra eius famam extantem apud viuos, sinistrè aliquid concipiatur.

12 ESSE optimum modum restituendi proximo famam, quo vsi sunt, ex consilio doctissimorum virorum aliqui moribundi (quibus non erat spatium, neque opportunitas colloquendi cum omnibus illis, ante quos, vel falsa crimina enunciauerunt de proximo, vel

vera,

vera, sed occulta) nimirum ante aliquot viros prudentes asserere, & efficaciter enunciare se in omnibus, quæ de alijs locuti fuerunt, seu testificati, semper mentitos fuisse, seque velle id cunctis innotescere, eosque deprecari, vt id omnibus, quibus possunt notum faciant; affirmo cum eodem P. Mendo. in *Epit. Verbo honor, & fama*. Quia etiam satisfacit suæ obligationi, qui præstat quantum potest.

13 OB iustas causas, TVTA CONSCIENTIA, posse defectus aliquorum modo vero manifestari; Assero cum P. Bussemb. *l.3. tit.6. cap.2.* & quamplurimis alijs, nimirum, vel causa consilij, vel auxilij capiendi, vel ad impediendum aliquod damnum Tertij, quod eueniret, nisi manifestaretur occultus defectus, v. g. Medici indocti, vel alicuius, qui vult contrahere matrimonium, & nesciuntur eius defectus, ex qua ignorantia damna sequerentur alteri contrahenti, vel famuli, aut famulæ, ne decipiatur, qui vult illos conducere putans esse fideles, & similia. Quia in tali casu, melior est conditio innocentis, cui ex non manifestatione defectus proximi nocentis, sequerentur probabiliter aliqua damna.

14 NON esse peccatum mortale aliquod falsum crimen sibi imponere ad vitanda grauia tormenta; affirmo cum P. Bussemb. *lib.3. tract. 6. cap.1.* Qui multos alios citat pro se, quia non tenetur homo cum tantis cruciatibus vitam suam seruare.

15 NON teneri ad restitutionem famæ, si is, cui detraxisti, tibi similiter prius eam detraxerit, nec velit restituere; affirmo cũ Lessio, Maldero, Diana, & alijs, apud P. Bussemb. *lib.3. tract.6. cap. 1. num.5.* Quia in tali casu potes vti iure compensationis, seu retentionis, dummodo in-

do infamia illata, non redundet in alios.

16 NON peccari contra iuſtitiam, & probabiliter neque contra charitatem ab illo, qui delictum notorium alicuius, ſiue iuris, ſiue facti in vna Ciuitate, publicet in alia Ciuitate, vbi ignoratur tale delictũ, & fama authoris illius, apud iſtos conciues non erat amiſſa; Teneo cum Fagund. de *Præcept. Eccleſ. præcept. 2. lib. 5. cap. 3. num.* 14. Lug. *de Iuſtit. & iure diſp.* 14. *ſect.* 6. *num.* 8. & quamplurimis alijs. Quia author talis delicti ſponte abiecit famam ſuam in committendo publico ſcelere; Et intereſt boni communis ſciri publicos defectus aliquorum, vt ſinguli honorentur pro merito, & ſimul abſterreantur à ſimilibus delictis.

17 A DETRAHENTE frequenter proximum per varias veniales, & leues detractiones peccari in hoc aliquando mortaliter, & teneri ad reſtitutionẽ; affirmo cum Emin. Card. de Lug. *de iuſt. & iure, diſp.* 16. *num.* 46. P. Burgaber. *in cent. 2. ſelec. caſ. conſc. num.* 87. Quia etiam per leues, & plures detractiones fieri poteſt grauis famæ proximi lęſio. Nam ſicut dicere alicui de aliquo viro graui eum eſſe mendacem, ideſt ſæpè mentiri, abſtrahendo, an grauiter, vel leuiter mentiatur, eſſet peccatum mortale ſub onere reſtitutionis, vt docet Leſſ. *lib.* 11. *dub.* 3. Quia notabiliter æſtimatio talis viri in tali detractione imminueretur; Sic quia per frequentes leues detractiones apud quemdam Principem, v.g. valdè imminueretur æſtimatio ſerui, & ſubditi talis Domini, valdè pariter facilè eſſet inueniri, & committi in talibus leuibus detractionibus peccatum mortale.

18 PECCARI mortaliter ab illo, qui falſo crimine nititur elidere detrahentis authoritatem, tanquam ſibi noxiam; affirmo cum Theologorum

rum Communi, ob validas rationes, quas hic non refero, quia contraria propositio, in qua dicebatur sub his expressis verbis; Quidni non nisi veniale sit, detrahentis authoritatem magnam, sibi noxiam falso crimine elidere, damnata fuit ab Innocentio XI. anno 1679.

19 PECCARI mortaliter ab illo, qui imponit falsum crimen alicui, vt suam iustitiam, & honorem defendat, teneo cum communi Theologorum, & contraria opinio, quæ docebat probabile esse non peccari mortaliter in hoc casu, & quæ, subiungebat, quod si hoc non erat probabile, vix vlla opinio erat probabilis in Theologia, reprobata fuit ab eodem Summo Pontifice eodem anno.

CAPVT X.

DE DIVORTIO.

Quid possit, vel quid non possit fieri, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus Casibus pertinentibus ad materiam de Diuortio.

1 POSSE ex causa fornicationis, vel adulterij innocentem coniugem se remouere à Nocente, vt habetur *Matth.* 15. 19. nisi interuenerit condonatio tacita; Et posita certitudine delicti, innocentem coniugem, posse se separare propria authoritate, & TVTA CONSCIENTIA; affirmo cum Abb. in *cap. tua fraternitas, num.* 2. *& cap. vltimo, de diuortijs.*

2 NON licere tamen diuortium inter coniuges, si alter coniugum sit particeps eiusdem criminis, aut si pariter sint adulteri, *l. fin. C. de comp.*

comp. quia tunc *ex cap. ex litteris, de diuortijs, cap. fin. de adult. l. viro, atque vxore, ff. solut. matrim.* mutua compensatione hæc tolluntur, vel si adulter condonet, *l. si maritus is, §. si negauerit, ff. ad l. Iul. de adult.*

3 NON teneri alterum coniugum cum periculo animæ, aut corporis cohabitare cum altero coniuge; affirmo ex *cap. 2. cap. gaudeamus, cap. quanto, de diuortijs, cap. idolatria 28. quæst. 1. cap. final. de conuers. coniug. cap. quanto, de adulter.*

4 SIC non teneri Vxorem cohabitare cum Viro, cuius sæuitiam experta est; affirmo ex *cap. litteras de restit. spol.* nã graue est habere offensum, & offendentem illum, cum quo perpetuò viuas, Abb in dicto *cap. litteras, nu. 7. tom. 3.* & posse extra domum viri alimenta petere, de Franch. *Decis. 244. num. 4.*

5 NON posse sine causa à viro verberari vxorem, ex *l. consensu, §. 1. in fin. tract. de repud. cap. hæc imago 33. quæst. 5.* Quia verbera debent esse procul ab ingenuis, vt benè notat Dominus Franciscus Verde in suo *Tyrocinio ad vniuers. Ius ciuil. lib. 1. de nupt. lem. 5. num. 265.* Et cum causa leuiter a Viro debere verberari vxorem, & præstita cautione de non offendendo; affirmo cum supradicto Verde *loc. cit.*

6 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, secluso scandalo, vxorem, quæ habuit cognitionem adulterij, commissi à viro suo, nulla expectata sententia Iudicis, Diuortium facere, tam quoad torum, tam quoad habitationem; affirmo cum Sanchez *lib. 10. disputat 12. à num. 5.* Palao *disput. 3. de Matrim. punct. 6. §. 4. num. 2.* Quia nullo iure positiuo prohibetur fieri diuortium absque sententia Iudicis; & etiam quia Ius diuertendi non nascitur ex publicitate,

te, sed ex delicto, publicitas autem solùm requiritur ad vitandum scandalum.

7 ATTAMEN vt prædictum diuortium innocens faciat, debet esse certus moraliter de adulterio alterius coniugis, nam ob dubium, vel suspicionem probabilem, nequit alter coniux in alterum quasi sententiam ferre, & iure suo priuare; asserit Castropalaus *loco cit. num.* 7. cum communi Doctorum, Quia licet dicatur in *cap, Dixit Dominus* 32, *quæst*. 1. Vbicumque fornicatio est, vel fornicationis suspicio, liberè dimittitur vxor, nomine suspicionis, non quæcumque suspicio, sed violenta, quæque certitudini morali æquiualet, intelligitur; Quæ certitudo moralis, tunc solùm dicitur in præsenti materia haberi, quando talia indicia haberentur, quæ sufficerent, vt Iudex ijs probatis, posset sententiam diuortij proferre; sic Sanchez *lib.* 10. *disput*. 12. *num.* 40. Et Castropal. *loco cit. num.* 8. quia coniux innocens recedens ab adultero quasi sententiam profert,

CAPVT XI.

DE DONATIONE.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam casibus selectioribus pertinentibus ad hanc materiam.

1 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, Beneficiatum ex redditibus Ecclesiæ augere consanguineos, nec in illos posse transferri bona mobilia; affirmo ex Concil. Trid, *Sess.* 22. *cap.* 1. *de reformat.* & *Sess.* 25. *de reformat. cap.* 1. S. Doctore, & Caietano 2. 2. *quæst*, 180. *art.* 7. *in corpore*, Ambros. *lib.* 1. *officiorum*

rum cap. 3. parum ante medium cap. prabenda distin. 86. Diuus Ambrosius ait hæc est approbanda liberalitas, vt proximos seminis tui ne despicias, si egere cognoscas, non tamen vt ditiores illos fieri velis, eo quod tu potes conferre in opibus.

2 POSSE ab vxore donari, TVTA CONSCIENTIA, aliquid, præsertim de bonis, quorum ipsa habet administrationem, vt sunt paraphernalia *l. velles 6. C. de reuocand. donat.*

3 SICVTI, posse TVTA CONSCIENTIA, donari ab vxore, quando non censetur inuitus maritus, & rogatus concederet; posse etiam ab hac donari, vt faciat, quæ sunt decentia suo statui, & quæ solent facere aliæ fœminæ eiusdem conditionis, nec non ad elargiendas moderatas eleemosynas, pro impediendo damno spirituali mariti, insuper ad consulendum bono familiæ, & filiorum sui mariti prodigi; affirmo cum Molin. *Tom. 2. disp.* 264. *Lessio lib.* 1. *cap.* 12. *disp.* 14. *num.* 84.

4 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, Rectores, & Gubernatores Vniuersitatum donare; affirmo ex *l. non omni* 16. *C. de administ. tur. vel curat. l. tutor ad vtilitatem ff. de administr. tut.* Nouar. *super pag.* 5. *de admin. vniuers. num.* 247. Quia non sunt Domini rerum Vniuersitatum, & administrationem, quam habẽt, non habent ad perdendum, sed ad conseruandum bona ipsarum Vniuersitatum, & donare idem est, ac perdere ex *l. fil. fam. 7. ff. de donat.*

5 POSSE tamen tam Gubernatores supradicti, quam Tutores, TVTA CONSCIENTIA, remuneratorias donationes facere ex *l. si cum plures* §. *pænit. ff. de admin. tut.* nam Vniuersitas, & Pupillus ad hoc tenentur. Tiraquel. in *l. si vnquam num.* 25. *verb. donat. largitur C.*

de reuoc. donat. Caual. *de Tut. num.* 121. *dol.* 74. de Franch. *decis.* 535. *num.* 1.

6 POSSE hæredes donatarij acceptare donationem factam ipsi donatario mortuo, antequam ipsam donationem acceptaret; affirmo ex Molin. *Lib.* 4. *de Primogen. Hisp.* 1. 2. *num.* 6. Sanchez *Lib.* 1. *de matrim. disp.* 6. *num.* 6. Quia omnia iura transeunt ad hæredes, & ius reuocandi Alex. *Cons.* 117. & 137. Gratian. *Discept. forens. cap.* 297. *in fine*; non transire ad hæredes donantis, habetur ex Franch. *dec.* 329. *num.* 2.

7 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, à Donatario peti rem donatam, & competere illi actionem ad petendam ipsam rem donatam, & adhuc non traditam à Donatore; affirmo ex *l. euictare* 16. §. *si seruus ff. de euict. l.* 3. Vbi Bar. *ff. de dol. mali except.*

8 DONANTEM non teneri de euictione donatario, si res donata postquam fuit tradita ab ipso donante donatario, fuerit euicta; affirmo ex *l.* 2. ibi, *minimè donantem hac actione teneri certum est*, vbi Bald. *Cap. de euict. l. cum qui* 22. *ff. de donat.*

9 SICVTI nec teneri donantem ad fructus, si fuit donans ipse in mora soluendi; affirmo cum Alc. *Cons.* 340. Iaso. *Cons.* 174. & ex supradictis. Ratio vtriusque sententiæ est, quia, qui donat rem, præsumitur non velle se grauare, & donatario nulla fit iniuria, cur autem non teneatur ad interesse, est, quia donatio est contractus stricti iuris, & ideo non venit interesse ex more *l. eum qui* 22. *ff. de donat.*

10 NEC teneri in Conscientia hæredes de euictione rerum in specie relictarum Testamento, seu donatarum causa mortis à Testatore; affirmo ex *l. hæres seruum* 58. *ff. de euict.* Quando testator ipse ad euictionem non se obligasset,

obligasset, & ratio est, quia, euictio in contractibus onerosis locum habet, non in lucratiuis ex *l. si mancipium, §. si communi, &c. ff. cit. tot.*

11 IN Donationibus excedentibus summam quingentorum solidorum, hoc est septingentorum scutorum nostri temporis, requiri insinuationem, hoc est declarationem summæ, & voluntatis donantis factam coram Iudice competenti; affirmo ex *l. si quis §. in redditibus C. de donat.* Vbi Bald & Salic. sed hoc intelligendum extra Regnum nostrum, nam in Regno nostro negat de Ponte *Cons. 84. l. 1.* opus esse insinuatione, nam proceditur sola facti veritate inspecta.

12 NON esse verò opus insinuatione in Donationibus remuneratorijs; affirmo ex Gab. de *Donat. cons. 1. num. 60. cum seq.* Decian. *quæst. 32. num. 56. lib. 3.* Suarez ortiz in *verb. donatio num. 301.* Bursat. *Cons. 103. num. 6. lib. 2.* Tiraquell. in *l. si vnquam §. donatione largitus num. 47. C. de donat.* de Grass. *decis. 2. num. 23. de donat.* Curtius iunior *cons. 671. num. 1.*

13 SICVTI, nec opus esse eadem insinuatione in donationibus factis ob aliquam causam, siuè ortis ex aliqua obligatione; affirmo ex *l. Attilius regulus 27. v. meram ff. de donat. non mera donatio, sed remuneratio mercedis.*

14 NEC in donationibus causa mortis, causa dotis, seu propter nuptias *l. sponsalitia largitur, & Arrhas;* Affirmo ex *l. fin. & auth. ibid. C. de donat. ante nupt. auth. vt sponsalitia largitas collat 9.*

15 NEC in donationibus reciprocis; affirmo ex *l. Senatus ff. de mort. caus. donat.* quia in supradictis casibus, Donationes supradictæ in-

ducunt rationem contractus onerosi.

15 SICVTI, nec esse necessariam insinuationem in multis alijs donationibus, vt sunt illæ donationes, quæ fiunt pro redimendis captiuis, vel ad pias causas, vel quæ fiunt à magistro Militum; vel quæ fiunt ad reficiendam, vel combustam, vel collapsam domum; affirmo ex multis legibus citatis ab eruditissimo, Verde in suo aureo Tirocinio *part.1.l.2.lem.27.*

17 NON vitiari totam donationem factam absque insinuatione, sed solum, quod superfluum; affirmo ex *l.data 27.d.l.Sancimus,* §. *si quis autem Cod.de donat.* Nam vtile per inutile non vitiatur.

18 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, superfluum retineri à donatario; affirmo cum Lessio *Lib.2.cap.18.dub.13.nu. 99.* Vsque dum repetatur à donante; quia sic consuetudo interpretata est legem inualidantem donationem, nimirum, vt restituatur si donans repetat, & hoc etiam euenit, si donans ignoret, se posse repetere, quia donatarius non tenetur hoc illi notificare.

19 DONATIONES factas inter coniuges de præsenti esse ipso iure nullas, nec posse fieri has donationes, neque per interpositas personas; affirmo ex *l.2.& l.3.§.sciendum §. si sponsus §.generaliter ff.de donat. inter virum, & uxorem.*Sylu.*v.don.n.2.*

20 QVAM donationem non valere etiam factam ante matrimonium, si in ea facienda respiciatur ad tempus futuri matrimonij; affirmo ex *l.si sponsus 5.in princ.ff.de donat.inter vir. & vxor.*Molin.*disp.* 290. Quia idem est respicere tempus inhabile, ac fieri in tempore inhabili.

21 VALERE tamen donationes inter coniuges cessante fine prohibitionis, vt si donans non

non fiat pauperior, etiam si donatarius fiat ditior; affirmo cum Sylu.*verb.donatio* 2. *num.* 4.

22 VALERE etiam donationem factam a viro vxori, vt eam consumat in operibus pijs, v. g. in fundanda cappellania, & cæteris huiusmodi; affirmo ex *l. si sponsus* 5. *§. concessa ff. eod.* quia tunc licet donans fiat pauperior, donatarius non efficitur ditior.

23 VALERE etiam donationem factam inter coniuges, tum pro refectione ædium consumptarum, tum causa commiserationis, factam, nimirum coniugi exulanti, tum pro dote filiæ communis, tum donationes leues, vt est vsus vestium, &c. affirmo cum communi, nam in his omnibus casibus cessat finis legis prohibentis tales donationes factas inter coniuges Mantic. de *tacit. Conuent. tom.* 2. *lib.* 21. *tit.* 6. *nu.* 12. *& seqq.*

24 VALERE etiam donationem factam à viro senio confecto, seu ignobili viro ad fauorem vxoris iuuenis, seu nobilis; affirmo ex Glos. in *l. si voluntate rei petentis* C. *de dotis promis s.* Bartol. in *l. diuortio. num.* 4. *ff. de verb. oblig.* Molin. *Disp.* 289. §. 3. *si fiat.* Quia tunc constitutio dotis est veluti remuneratio beneficij; quo nobilis non dedignatur nubere seni, & ignobili viro, quem non refert esse ditissimum, dum post eius obitum, adhuc remaneret vxor deterioris conditionis, quia ignobili nupsit.

CAPVT XII.

DE DOTE.

Quid fieri possit, vel quid non possit, TVTA CONSCIENTIA, *in quibusdam pertinentibus ad materiam de Dote.*

1 NON teneri filium dotare matrem: affirmo ex *l. si à matre* 13. *C. de vir. dot. l. tutor secundum dignitatem* 14. §. *in soluendis ff. de admin. Tut.* Et vna ex rationibus est, quia cum fœminæ nouis maritis, bona, & res filiorum addicant, vt ex *l. qua Tutores* §. *lex enim C. de admi. tut.* non sunt obligandi filij, proprijs facultatibus promouere secundas nuptias vt habet de Franch. *decis.* 712. *num.* 2.

2 SI in Testamento relinquatur dos à Patre filiæ, illo medio tempore, in quo non dum hæc nubet, esse alendam à fratre; affirmo ex *l. qui filium* 4. *ff. vbi pupill. educari deb.*

3 SORorem nolentem nubere, sed honestè viuere; posse dotem petere à fratre; affirmo cum Afflict. *lib.* 3. *constit. verbo* 23. *de success. filiorum Comitum num.* 40. Quia dos de Paragio datur loco legitimæ, sine onere, nec debet magis priuilegiari matrimonium, quàm virgininitas, vt benè ait supradictus Franciscus Verde.

4 PRO recuperanda dote non soluto matrimonio, & non facto diuortio, non posse agere vxorem, sed tantum maritum; affirmo ex *l. cum patet* 30. *de iur. dot. l. dotem Ancillam* 9. *C. de rei vendicat.*

5 VIRVM teneri dotem exigere à dotantibus, & non exigentem teneri ad interesse, sicuti

cuti etiam teneri ad faciendas expensas pro conseruatione,& recuperatione dotis, etiam à fratre; affirmo ex *l. in rebus dotalibus ff. de iur. dot.* ibi, *in rebus dotalibus, Virum præstare oportet, tam dolum, quam culpam, quia sua causa dotem accipit.*

6 NON teneri tamen virum exigere dotem ex æquitate, à Patre, & Matre suæ Vxoris; affirmo ex *l. ex diuerso* 18. *ff. solut. matrim.* Quia illos debet habere loco parentum *l. quia parentis* 13. *ff. sol. matrim.*

7 NON posse maritum consumere etiam fructus dotis, nisi moderatè, & non ad malos vsus, affirmo cum Nauar. in *Manual. cap.* 19. *nu.* 155. Molina *de Primog. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 66. Quia fructus Dotis sunt dati pro oneribus matrimonij, & socius, vt est Vir respectu Vxoris, non potest alienare res societatis ludendo, &c. vt habetur ex *l. adeo* 60. *§. pæn. ff. pro socio l. si is cum quo* 20. *ff. com. diuid.*

8 LICET Dos deficiat, Teneri ex charitate Maritum alimenta præbere Vxori, si hæc aliũde non habeat vnde se alat; affirmo cum Domino Verde, qui pro se in hoc citat, & sequitur Onn. *Tom.* 2. *Contract. disp.* 39. *num.* 260. Sicuti teneri Virum ipsum, Vxorem bonis proprijs sepelire, si deficiant alia bona Vxoris, habetur ex *l. Sicut.* 48. *ff. de operibus libert.* & alijs.

9 ETIAM si fiat alienatio dotis consentientibus tam Vxore quàm marito, & alienatio ipsa iuramento firmetur, nullo modo illam valere; affirmo cum Bald. in *l. non dubium* 5 *C. de leg.* Arias *Lib.* 5. *num.* 84. & ratio est, quia quomodo potest firmari iuramento Contractus, qui cum sit contra legem, nullus est; nõ entis enim nullæ sunt passiones; ad quod accedit aurea doctrina supradicti Verde, qui *Lib.* 4. *num.*

979. approbans hanc sententiam, dicit nullo modo posse esse validum iuramentum factum in præiudicium Tertij, & contra bonos mores, vt esset supradictum, nam si alienatio Dotis facta à Viro, & Vxore, eorumque iuramento confirmata valeret, tum filij talium parentum, tum Creditores ipsorum depauperarentur, & contra bonum publicum, mulieres remanerent indotatæ vt ex Auth. *res quæ Cod. Comm. de leg.*

10 DEBITA facta constante matrimonio, non teneri maritum ex bonis dotalibus in Conscientia soluere creditoribus, etiam si sint facta pro alimentis ipsius Vxoris, si ipsemaritus non est soluendo, docent Barbosa *in l. si constante num.* 51. *ff. solut. matr.* Dec. *cons.* 260. & alij. Quia frustratoria essent priuilegia concessa in fauorem dotis, si ex ipsa dote soluenda essent debita contracta cõstante matrimonio.

CAPVT XIII.

DE DVBIO.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus casibus pertinentibus ad hanc materiam.

1 DVBITANTEM an scilicet dederit consensum delectationi morosæ? An detraxerit mortaliter? an retineat alienum? teneri ad peccata illa dubia confitenda: affirmo cum Suarez de *Pœnit. disp.* 22. *sect.* 9. *num.* 7. P. Granaldo *Cont.* 7. *de Pœnit. tract.* 9. *disp.* 7. dicens esse hanc sententiam certam omninò. Cardinal. de Lugo *disp.* 16. *de Pœnit. num.* 63. & alijs communiter, inter quos

quos est P. Thomas Sanchez, qui pro se citat 40. DD. loquens de dubio facti, & iuris, in *Summa lib.1. capit.10. num.66. & 67.* P. Mattheus Moya ex Societate nostra, qui nunc est à confessionibus Reginæ Caroli II. nostri Inuictissimi Regis Matris, qui ad confirmationem huius sententiæ, in suis *Selectis Quæstionibus Tract. 3. de Sacram. Pœnit. Disp. 1. de integr. Conf. quæst. 5. nu. 33.* post quam asseruerit, sententiam contrariam, per triginta fermè annos, valdè probabilem à se existimatam, ab ipso è suggestu non semel discipulis traditam fuisse, hæc habet. Nihilominus re maturius considerata standum censeo pro contraria, & communi sententia adstruente obligationem confitendi peccata dubia; Ad quam hoc vno efficaci fundamento ducor: Quia Sacramentum Pœnitentiæ à Christo Domino institui potuit, cum hac obligatione; quod autem ita instituerit, suadet communis Catholicorum sensus, & traditio à tempore Apostolorum, vsque ad nostra continuata, ratione cuius velut inconcussum dogma præceptum confitendi peccata dubia, æquè ac certa, non tam probarunt, quam supposuerunt Doctores, à quorum sensu recedere non licet, absque expressa alicuius Concilij definitione, vel argumento conuincenti, qualia in præsenti non sunt; Nam omnia à ratione superius petita, facilè corruunt, ex sola traditione, qua docemur preceptum Confessionis ex Christi Domini institutione peccata dubia, æquè ac certa, comprehendere. Nam vt ait August. *l.4. contra Donatistas;* Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, nō nisi auctoritate Apostolica traditū rectissimè creditur, quapropter ad illud infirmandum,

nullum desumi potest argumentum; ex his, quæ circa alterius generis dubia, Doctores tradunt; sicut ex eo, quod in iure sit irregularitas certò imposita in dubio homicidij, nequit in oppositum allegari, quod secus in alijs dubijs contingit; Quia expressa iuris decisio, & determinatio nullum argumento locum relinquit. Hæc P. Moya, qui postea *num.36.* ex doctiss. Cardinali de Lugo *Tom. de Pœnitentia in prolog. ad lectorem*, ait quod non obstante super allata doctrina, scrupulosi cogendi non sunt peccata, de quibus dubitant, confiteri; Quia in eiusmodi personis non sunt reputanda dubia, nec putandi sunt in dubio obligari, quando alij ratione dubij obligandi essent, quinimmò scrupulosis consuli solet, vt omittant confessionem peccati dubij, supponimus enim pro certo non esse peccatum, quia scrupulosi sunt, qui putant esse peccatum, quod tale non est, aut dubitant an sint confessi peccata, quæ ex circumstantijs, quarum recordantur constat esse confessa.

2 IGITVR quia Sacramentum Pœnitentiæ, cum potuerit institui cum obligatione confitendi peccata dubia, & sic de facto institutum esse à Christo, colligitur ex praxi totius Ecclesiæ, quæ est interpres optima legum, qui habet conscientiam dubiorum peccatorum, tenetur ad ea confitenda.

3 MEDICVM, & Chirurgum non posse vti medicamento dubio, si certum habeat; affirmo cum Sanch. Bonac. & quamplurimis alijs; quos citat, & sequitur Busemb. *Lib. 1. tract. 1. cap. 2. dub. 2. in fine*. Quia in dubio tutior via est eligenda.

4 SI dubitas post sufficientem adhibitam diligentiam, an emiseris votum, vel an emiseris

Iura-

Iuramentum, Te non obligari, TVTA CONSCIENTIA, ad illa obseruanda: affirmo cum Layman *lib. 1. tractat. 1. capit. 5. §. 4. numer. 31.* qui quamplurimos DD pro se citat. Quia vt benè docet ipse Layman factum in dubio non præsumitur, sed debet demonstrari, & speciatim in hoc casu, vinculum, siue obligatio voti, iuramenti, & promissionis astruenda non est, nisi liquidò cognoscatur, *arg. l. quidquid ff. de verb. oblig.* quare vt subdit idem Layman, regula illa, quæ in externo foro vsurpatur, quod nemo soluere cogitur, antequam monstretur esse debitorem, etiam in hoc ipso animæ iudicio locum habere debet, si videlicet mens dubia sit, eoque dubio se expedire non poterit, vt libera tunc pronuncietur.

5 CERTVM te de lege, dubium tamen, & quid comprehendatur lege, aut Voto; & sic v. g. certum te voluisse Religionem, dubium autem, vtrùm certam, an vero in communi tantum, non teneri tali voto, quoad partem, de qua dubitas; affirmo cum supradictis ex eadem ratione.

6 SI certus sis de debito, & dubius an solueris, teneri te soluere; affirmo cum Suarez, Vsquez, Lugo, Diana, & alijs quamplurimis quos citat & sequitur idem P. Busemb. *loc. cit. num. 8.* dummodò etiam creditor non dubitet, nam si creditor ipse est dubius an soluerit debitor, puto te non teneri, vt docet Tannerus in 1. 2. *D. Thomæ disp. 2. quæstion. 6. dub. 4. num. 49.* vbi inter alia asserit, quod si vterque scilicet tam debitor, quàm creditor dubitent de solutione, se existimare meliorem esse conditionem debitoris possidentis, quia non est causa cur vtroque æque dubitante, debitor potius, qui possidet, & eo ipse sit melio-

ris conditionis, quam creditor, sequi debeat partem tutiorem, quando vterque simul in hoc casu eam sequi non potest, vel ad maius teneri tantum ad partem, & non ad integram solutionem pro qualitate dubij, vt bene ait Diana *part.4. tract.3. resol.32.* qui citat Layman hæc asserentem *Lib.1. tract 1. cap.5. num.42.* scilicet; se offert ratio item probabilis, quod debitor non teneatur ad solutionem integram, sed tantum ad partem debiti, secundùm dubij proportionem, quia æquitas non patitur, vt debitor sine culpa sua, magno periculo subijciatur, bis soluendi integrum debitum; Creditor autem, qui, & ipse, vt pono, tale dubium non diffitetur, nullo periculo expositus sit.

7 SI dubius es an peccatum quod commisisti sit reseruatum, non est censendum reseruatum, affirmo cum Eminentissimo Card. de Lugo de *Pœnit.d.20.n.18.* qui pro se citat Suarez, Henriquez, & quamplurimos alios. Quia reseruatio non est extendenda ad casus dubios, quam sententiam vocat ipse Lugo, veriorem; non tamen id procedit quando in iure extenditur pœna ad casum dubium, vt irregularitas ad homicidium dubium vt diximus.

8 SI certus es te fecisse aliquam actionem, ex qua ortum est aliquod damnum proximo, sed es dubius, an id euenerit ex culpa graui Theologica, an ex eadem leui? te in Conscientia non teneri ad restitutionem; affirmo cum Eminentissimo de Lugo *Tom.1. de iust. disp.8. sec.4. vsque ad 9.* Quia certa est tua libertas, & incertum, an fueris, causa damni, ex culpa graui.

9 SI certus es te fecisse actionem malam grauem, sed incertus an illa actio influxerit in damnum proximi, adhuc te non teneri ad restitutionem, assero cum Sayro in Clau. *lib.10.*

c.8.

c.8.num.1. Rebell.*p.1.l.2.qu.14.sect.2.num.5.* & 7. Ex eadem supradicta ratione, quia nimirum in tali casu possidet tua libertas, quæ est certa, & incertum, an fueris causa damni.

10 SI dubius sis, an indigeas aliqua dispensatione ad Sacerdotium assumendum, & similia, posse tibi, TVTA CONSCIENTIA, persuadere ea non indigere; affirmo cum Sanchez *l.8. de Matrim.disp.6.num.18.* & alijs. Quia in tali casu possidet libertas tua, dum est dubium impedimentum, & indigentia dispensationis.

11 SI certus sis aliquem, tibi non pauperi, aliquam rem tibi donasse, & dubium insurgat an hæc donatio fuerit remuneratoria, an gratuita, & breuiter ex aliqua circumstantia valida ne vel inualida. Posse, TVTA CONSCISNTIA, tibi persuadere fuisse remuneratoriam, & omni meliori, & valido modo factam; affirmo cum Layman qui *Lib.1.tr.1.c.5. nu.32.* hæc habet; In dubio non præsumitur actum aliquem v.g. Donationis, legati interuenisse, si autem constet tale aliquid actum, potius est, vt validum, quam vt irritum pronuncietur secundùm glossam receptam *l.in contrahenda ff.de reg.iuris.* hæc Laym.

12 SI clam à tuis famulis fuit surreptum vas argenteum v.g.& tibi non constaret manifestè, à quonam ipsorum illud ablatum fuerit; Te non posse, TVTA CONSCIENTIA, à singulis famulis eius valorem exigere pro rata; affirmat ex prædictis Lug. de *Iustit. tom.1. dis.13. nu.22.*

CAP.

CAPVT XIV.

DE DVELLO.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam Casibus pertinentibus ad hanc materiam.

1 COMITANTES Duellantes, seu illos, qui ad pugnam procedunt, vt ipsam pugnam impediant, non contrahere excommunicationem, ait Bonac. citatis à Domino Francisco Verde in *Acenaph. opin. prob. tit. 4. de Duello*.

2 Diana *part. 3. tract. 6. misc. resolut. 1.* ait immunem esse ab excommunicatione spectantem Duellum ex loco occulto.

3 SI ira commoti aliqui ad inuicem se inuadant, & prouocent, non dicuntur duellare, & sic non incurrunt in censuras duelli, quia non deliberata pugna hoc faciunt, adeoque non ex condicto, vt ait Arriaga *Tom. 5. disp. 49. sect. 2. num. 2.*

4 EODEM modo, non incurrere in censuras, & pœnas duelli, ex defectu præmeditationis, & deliberationis, illos, qui ira commoti se inuitant ad perficiendum duellum in diuerso loco, ab illo, vbi de facto reperiuntur, & incepit inter eos, aiunt plusquam 13. DD. apud ipsum Verde *loc. cit.*

5 SVMMVS Pontifex Alex. VII. declarauit temerariam esse illam opinionem, quæ docebat Virum Equestrem prouocatum ad duellum, posse illud acceptare, ne timiditatis notã apud alios incurrat; Quod esse temerarium probant etiam multæ rationes, præcipuè illa, quia bona

na superioris ordinis sunt conseruanda, etiam cum præiudicio bonorum ordinis inferioris, sed vita est bonum superioris ordinis respectu honoris, famæ; ergo vita est conseruanda, cum præiudicio honoris, & notæ timiditatis, ergo, &c.

6 DIANA *part.2.tract.16.res.55.* multos alios pro se citans, ait prouocantem, & pergentem ad locum præfixum duelli, non esse excommunicatum, si alter non veniat, & pugna non sequatur in Bulla Gregorij XIII. sicuti non contrahi excommunicationem eiusdem Gregorij constat, ab illis qui pergunt ad duellum, & per ipsos stat non inire pugnam; quia in pœnis delictum debere esse consummatum ex *l.Papinianus §.meminisse,* aiunt multi, quos sequitur Diana *loc.cit.*

7 ILLOS, qui pergunt ad locum duelli, causa illud inspiciendi, si de facto duellum ipsum non sequatur, non incurrere excommunicationem; assero cum Diana *part.3. tr 6. res.1.* Quia hic casus non est expressus in Bullis P. P. & pœnæ non sunt extendendæ vltra verborum significationem.

8 SIC Audientes, vel legentes scripta, in quibus aliqui se prouocant ad duellum, non incurrere excommunicationem; affirmo cum Diana *loc.cit.* ex eadem supradicta ratione.

9 PARITER ratam habentes prouocationem ad duellum, vel pugnam ipsam, vel aliam actionem expressam in Bullis, factam eorum nomine, non incurrere excommunicationem; assero cum eodem Diana *loc.cit.* Quia dum Pontifices volunt pœnam ad ratihabitionem extendere, hoc solent exprimere; ad quod accedit; quod ratihabitio non comparatur mandato in pœnis, nisi exprimatur.

CAP.

CAPVT XV.

DE EBRIETATE.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad hanc materiam.

1 SI ex vino à te liberaliùs hausto, quandoque nonnihil visus offuscetur, pedes infirmentur, & vacillent, caput giret, lingua titubet, memoria deperdatur, & alia omnia perturbentur, sed ita tamen, vt remaneat in te aduertentia, ex qua possis discernere inter malum, & bonum: affirmo in tali casu te non peccare mortaliter cum Layman *lib. 3. sect. 4. num. 5.* Dicastillo *de Iust. lib. 1. disp. 3. numer.* 1421 Palao *de Iustit. tract. disp. 13. part. 5. num. 3.* & alijs quamplurimis. Quia ex communi Theologorum sententia illa ebrietas est peccatum mortale, ex qua oritur violenta interceptio rationis; sed in hoc casu non supponitur talis interceptio violenta rationis, cum adhuc permaneat aduertentia inter turpe, & honestum, bonum, & malum; Ergo, &c.

2 TE non peccare mortaliter, si consilio Medicorum te inebries, quia aliter mortem euadere non potes; affirmo cum Layman *l. 3. sectione 4. numer. 5.* & ex comm. vt fatetur P. Burgaber. *centuria 3. Select. Cas. Conscientia numer. 99.* Nam, vt supponimus ex communi DD. malitia ebrietatis perfectæ in eo consistit; quod quis sine iusta, & graui causa, & tantum ob voluptatem sciens, & volens priuet se vsu rationis, sed in hoc casu te inebrias

ebrias ad depellendum morbum grauem, ergo &c.

3 SI aliter non potes euadere duellum, vel illum, qui minatur tibi mortem intento ense, nisi bibas, posse te ipsum inebriare, TVTA CONSCIENTIA, & absque peccato, affirmo cum Less. *lib.4.cap.3.dub.4.num.37.* & quamplurimis alijs, quos citat, & sequitur P. Bussemb. *lib.5.cap.3 dist.3.art.2.*

4 TE peccare mortaliter si alium inebries, vel prouoces ad æquales haustus cum aduertentia secuturæ ebrietatis; affirmo cum eodem Lessio *loco citato num.32.*

5 TE posse, TVTA CONSCIENTIA, patraturum aliquod grauissimum malum inebriare, propinando ei vinum fortissimum, vel medicatum, cuius vi ignorata decipiatur, & sic malum illud non committat: assero cum Less. *loco cit. num.* 33. & Dicastil. *lib. 1. de Iustitia, dist. 3. num.*145. Quia in tali casu iusta est causa inducendi supradictum ad ebrietatem; & hæc ipsi inebriato non esset voluntaria; & sic in tali haustu homo iste non esset peccaturus & sic ad eum inuitare, non est scandalum actiuum, seu prouocatio ad peccatum; quod verò inferatur illi damnum ebrietatis, vt malum longè grauius animo illius propositum euitetur, non est alienum à recta ratione; hæc cum Layman, Dicastillus *loco cit.*

C A-

CAPVT XVI.

DE ELEEMOSYNA.

Quid, TVTA CONSCIENTIA, asserendum in quibusdam pertinentibus ad hanc materiam.

1 NON posse asseri, TVTA CONSCIENTIA, vix aliquem teneri ad eleemosynam, quando ad illam teneretur tantum ex superfluo suo statui; affirmo cum communi TT. nec reputaui dignum hìc afferre rationes id probantes, cum contraria opinio, à qua asserebatur, Vix in sæcularibus inueniri, etiam in Regibus superfluum statui, & ita vix aliquem teneri ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui, reprobata, & damnata fuit ab Innocentio XI. anno 1679.

POSSE, TVTA CONSCIENTIA, famulos eleemosynas facere ex bonis Domini, modo dent modicum quid, & non frequenter, quia tunc probabiliter præsumitur Domini consensus, qui quoties adest, etiam si solus interpretatiuus, vel speretur ratihabitio (quæ tunc maximè præsumitur, quando famuli ipsi habent administrationem bonorum) toties possunt serui ipsi eleemosynas elargiri, quod possunt etiam, TVTA CONSCIENTIA, facere, quando Dominus esset irrationabiliter inuitus, quia v.g. res perirent; affirmo cum S. Thoma *in 4. dist. 16. par. 2. art. 5.* Azor. *par. 2. lib. 12. cap. 10. quæst. 2.* & alijs. Quia in supradictis casibus nulla committitur iniustitia; ergo &c.

3 POS-

3 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, Vxorem facere competētes eleemosynas, & quando habet administrationem bonorum, quæ spectant ad ipsam, quia paraphernalia v.g. & extradotalia sunt, vel quando maritus absens est, est prodigus, aut mente captus, vel quando maritus ex auaritia intermittit facere eleemosynas, etiam si diues sit, & adsint iustæ causæ, vel grauis necessitas pauperum id postulet; affirmo cum Layman *lib.3. tract.4. cap.12. num.6.* quia in supradictis casibus, vel præsumitur maritus non inuitus, vel non meritò inuitus.

4 QVANDO vxor ipsa ex propria parsimonia, & quia noluit in sui ornatu, vel ad honestam recreationem, facere aliquas impensas, cumulauit aliquam tolerabilem quantitatem, & hanc vult conferre in aliquos pauperes, v. gr. consanguineos, vel nutricem suam, vel in filios prioris matrimonij, qui miserè vitttitent, & maritus eis succurrere noluerit, posse, TVTA CONSCIENTIA, in supradictis casibus, vxorem supradictam, etiam inuito marito, & respectu filiorum, illis debitum subsidium, afferre, etiam ex dote, aut ex communi lucro acquisitis, dummodo in partitione facienda inter filios, data ab ea filijs supradictis, in partem ipsorum conferat; affirmo cum Layman *loco cit.* qui monet tamen confessarios, ne in eiusmodi rebus, maiorem, quàm par est, fœminis licentiam tribuant.

(?)

C A-

CAPVT XVII.

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

Quid possit, vel quid non possit fieri, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus casibus ad hanc materiam de Emptione, & Venditione pertinentibus.

1 SANCTVS Thom. *Opusc.* 21. quod est ad Ducissam Brabantiæ; à qua de hoc dubio interrogatus fuerat, cum alijs multis, ait TVTA CONSCIENTIA, posse vendi, non solùm à supremis Principibus, sed etiam à Subditis Regis, vti sunt Duces, Marchiones, &c. Officia sæcularia, quia quilibet potest vendere, id quod est pretio æstimabile, & est suum.

2 DE LVGO tamen *tom.* 2. *de iust. disput.* 34. *sect.* 3. aduertit non posse, TVTA CONSCIENTIA, à supradictis vendi prædicta officia sæcularia immoderato pretio, sed iuxta emolumentum officij; si secus enim fieret, facilè daretur ansa officiali electo exigendi à populis plus iusto, sicuti etiam subiungit idem Auctor, nec ab eisdem posse vendi dicta officia, TVTA CONSCIENTIA, indignis, & non idoneis; in tali enim casu si non idoneus officialis damnum faciat illis, quibus præest, tenentur ad restitutionem (in defectu immediati damnificantis) ipsi, qui vendiderunt officium indignis, &c. Quam sententiam sequuti sunt multi, & præcipuè noster P. Azorius, qui *Tom.* 2. *Instit. moral. lib.* 8. *cap.* 7. *quæst.* 3. hæc habet; Coeterum quamuis auctores clament, & conquerantur eiusmodi venditiones

tiones pœnitus detestantes, & damnantes, videmus tamen eas, in Principum Curijs fieri, quia ipsi Principes contendunt tales venditiones Reipublicæ vtiles esse, eo quod emptores metu pœnæ ne officium amittant, simul & pretium, quod dederunt, coguntur suo munere rectè fungi, & Principes possunt ipsos emptores facilius ab officijs amouere, & pœnis coercere, quam si gratis ea officia contulissent; Iure nemo condemnat tales venditiones, cum iusto, & moderato pretio fiunt, & cum officia venduntur ijs hominibus, qui apti, & idonei sunt, & cum probabilis spes est eos benè officio functuros, & certo, ac definito pretio taxatur, id quod emptores sint accepturi pro labore, & opera sua in officio obeundo, alioquin enim ipsi emptores, suo arbitratu pretium augerent, &c. hæc ille. Itaque licet auctores concedant posse vendi huiusmodi sæcularia officia, tamen in hoc cautè procedendum esse, asserunt & hoc fieri non debere, nisi attentis omnibus circumstantijs supradictis; Vnde alij apud Dianam *part. 3. tract. 5. miscellan. resolut.* 108. docent, quod quamquam considerata natura rei, hæc officia vendi possint, hoc non obstante, non expedit ea vendere ob multa incommoda, quæ inde sequi solent, ideò plerumque hoc est illicitum, atque perniciosum, nam venduntur, vt plurimum indignis, & quia ex tali venditione homines magis prouocantur ad acquirendas pecunias, quam ad studia litterarum, & probitatis; Ad quæ additur, quod qui hæc officia emunt, vt pretium recuperent, quod soluerunt, non administrant ea, vt debent, sed multa iniustè extorquent, vnde non immeritò talis venditio pestis reipublicæ cen-

censenda sit; hæc Diana ex multis Auctoribus, quos ipse citat, & sequitur; Quod totum volui hic adnotare, vt intelligant pœnitentes, quod quando consulunt Theologos an aliquid fieri possit, vel non, TVTA CONSCIENTIA, aduertant ad omnes circumstantias, quibus vallata est quodammodò illa doctrina, quæ illis traditur, nam ex vulgato axiomate, bonum ex omnibus circumstantijs, & malum ex singulis defectibus, & sic in casu proposito; Quando quæritur vtrùm officia sæcularia, v. g. & præsertim baronalia vendi possint à Baronibus? & Theologus respondet, quod vendi possint, seruatis tamen omnibus prædictis circumstantijs; si Baro vendat officium, non curando in illud vendendo obseruare circumstantias supradictas, intelligat nihil illi prodesse traditam doctrinam; Ad cautelam conscientiæ meæ signanter volui hoc declarare: sunt enim multi, qui vellent panno conscientiæ Theologi, & Casistæ proprias conscientias abstergere; nam dum faciunt quod iste indistinctè, & festinanter proferat illud; Hoc potest fieri, fieri hoc non potest, non raro contingere potest, vt ipsi remaneant dealbati super niuem, casista autem super carbones denigratus.

3 CARDINALIS de Lugo *loco cit. disput.* 56. asserit si distribuenda erit à te pecunia, vel aliquod officium, te nihil, propter electionem, quam posses pro tuo libito facere vnius, potius quam alterius, TVTA CONSCIENTIA, posse accipere, ratio est, quia si secus faceres, non dares totam summam distribuendam, vel assignatam exercenti officium illud, ergo &c.

4 SICVT iniustus, iniquus, & vsurarius est ille contractus, in quo fieret hoc pactum, v. g. vt

v. g. vt inquit Syluester *verbo vsura 2. quæst. 5.* Do' tibi has merces, nunc cum currit mensis Ianuarij, soluendas mense Augusti, pretio quod tunc curret, si tunc pluris valebunt, quàm nunc; quod si minoris valebunt, soluas pretio, quod nunc currit; ita iustum esse, affirmo hunc alium cum Tamburino *in explicatione Dec. de empt. & vendit. lib. 8. tract. 3. cap. 7.* §. 7. Molina, Lessio, Fagundez, quos ipse citat, & sequitur, v. g. Do tibi nunc mille aureos soluendos, tempore messis, in tritico, pretio tunc currenti, idest illo pretio, quo eodem tempore messis triticum venditur, pretio taxato, siue à Principe, siue prudentis arbitrio, dixi iustum esse hunc contractum, & minimè Vsurarium, & iniquum, quia supponitur ad hunc contractum non cogi venditores tritici, imò supponitur illos, frumentum, vel res suas offerre vendendas illo tempore, vt sic habeant nunc pretium, vel partem eius ad sua debita soluenda, atque ad emendas, parandasque res sibi necessarias; supponitur etiam in tali contractu non emi merces viliori pretio anticipato, ob dilationem rei tradendæ, sic enim profectò esset vsura implicita; supponitur etiam, quod venditores in tali casu, quia rogant emptores propter suas necessitates, vt emant anticipatò, & adesse difficultates, & pericula, ne res empta tali modo, consignetur emptori, suo tempore, ab illis minui aliquando pretio rerum suarum.

5 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, vendi res maiori pretio, credita pecunia, quam venderentur numerata; affirmo cum S. Thom. *Opusc. 67. & 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 2.* Syluest. *verbo, Vsura 2.* §. 1. Soto *de iustitia, & iur. lib. 6. quæst. 4. art. 1.* & quamplurimis alijs. Quia si hoc

censenda sit; hæc Diana ex multis Auctoribus, quos ipse citat, & sequitur; Quod totum volui hic adnotare, vt intelligant pœnitentes, quod quando consulunt Theologos an aliquid fieri possit, vel non, TVTA CONSCIENTIA, aduertant ad omnes circumstantias, quibus vallata est quodammodò illa doctrina, quæ illis traditur, nam ex vulgato axiomate, bonum ex omnibus circumstantijs, & malum ex singulis defectibus, & sic in casu proposito; Quando quæritur vtrùm officia sæcularia, v. g. & præsertim baronalia vendi possint à Baronibus? & Theologus respondet, quod vendi possint, seruatis tamen omnibus prædictis circumstantijs; si Baro vendat officium, non curando in illud vendendo obseruare circumstantias supradictas, intelligat nihil illi prodesse traditam doctrinam; Ad cautelam conscientiæ meæ signanter volui hoc declarare: sunt enim multi, qui vellent panno conscientiæ Theologi, & Casistæ proprias conscientias abstergere; nam dum faciunt quod iste indistinctè, & festinanter proferat illud; Hoc potest fieri, fieri hoc non potest, non raro contingere potest, vt ipsi remaneant dealbati super niuem, casista autem super carbones denigratus.

3 CARDINALIS de Lugo *loco cit. disput.* 56. asserit si distribuenda erit à te pecunia, vel aliquod officium, te nihil, propter electionem, quam posses pro tuo libito facere vnius, potius quam alterius, TVTA CONSCIENTIA, posse accipere, ratio est, quia si secus faceres, non dares totam summam distribuendam, vel assignatam exercenti officium illud, ergo &c.

4 SICVT iniustus, iniquus, & vsurarius est ille contractus, in quo fieret hoc pactum, v. g. vt

v.g. vt inquit Syluester *verbo vſura 2. quæſt.5.* Do tibi has merces, nunc cum currit menſis Ianuarij, ſoluendas menſe Auguſti, pretio quod tunc curret, ſi tunc pluris valebunt, quàm nunc; quod ſi minoris valebunt, ſoluas pretio, quod nunc currit; ita iuſtum eſſe, affirmo hunc alium cum Tamburino *in explicatione Dec. de empt. & vendit. lib.8. tract.3. cap. 7.§.7.* Molina, Leſſio, Fagundez, quos ipſe citat, & ſequitur, v. g. Do tibi nunc mille aureos ſoluendos, tempore meſſis, in tritico, pretio tunc currenti, ideſt illo pretio, quo eodem tempore meſſis triticum venditur, pretio taxato, ſiue à Principe, ſiue prudenti s arbitrio, dixi iuſtum eſſe hunc contractum, & minimè Vſurarium, & iniquum, quia ſupponitur ad hunc contractum non cogi venditores tritici, imò ſupponitur illos, frumentum, vel res ſuas offerre vendendas illo tempore, vt ſic habeant nunc pretium, vel partem eius ad ſua debita ſoluenda, atque ad emendas, parandaſque res ſibi neceſſarias; ſupponitur etiam in tali contractu non emi merces viliori pretio anticipato, ob dilationem rei tradendæ, ſic enim profectò eſſet vſura implicita; ſupponitur etiam, quod venditores in tali caſu, quia rogant emptores propter ſuas neceſſitates, vt emant anticipatò, & adeſſe difficultates, & pericula, ne res empta tali modo, conſignetur emptori, ſuo tempore, ab illis minui aliquàndo pretio rerum ſuarum.

5 NON poſſe, TVTA CONSCIENTIA, vendi res maiori pretio, credita pecunia, quam venderentur numerata; affirmo cum S. Thom. *Opuſc.67. & 2.2. quæſt.78. art.2. ad 2.* Syluest. *verbo, Vſura 2.* §.1. Soto *de iuſtitia, & iur. lib.6. quæſt. 4. art. 1,* & quamplurimis alijs. Quia ſi hoc

hoc posset fieri ex triplici ratione, & capite fieri posset, sed ex nulla harum trium rationum, & capitum, TVTA CONSCIENTIA, supradictus contractus fieri potest, ergo &c. Quod sic probatur, nam si dicatur, quod pretium rerum sit maius, quando credita pecunia res venditur, hoc negatur, quia merx, siue numerata pecunia ematur, siue credita, semper est eadem, adeoque eiusdem valoris, & pretij; quod si maior valor rei augeatur à mercatoribus, quia venditur ab ipsis pecunia credita, iniustè, & illicitè fit hoc, & cum præiudicio Reipublicæ, vt benè asserunt Doctores ex supradicta ratione, dum semper remanet eadem res. Si verò dicatur secundò, quod ideò licitè ematur maiori pretio res pecunia credita, quia cessat lucrum venditori, hoc etiam est falsum, nam tunc cessat lucrum venditori, quando dum vendit pecunia credita, essent alij, qui vellent suas merces emere pecunia numerata, quam venditor ipse posset statim implicare in emendis alijs rebus, & sic verisimiliter lucrifacere, & emptor rogaret importunis precibus ipsum venditorem, ne vendat alijs pecunia numerata, sed potius sibi, qui pecunia credita vult emere. At in casu nostro non supponitur adesse emptores, qui velint emere pecunia numerata, quæ possit denuò à venditoribus implicari in alijs mercibus, &c. Nec vendunt pecunia credita, vt faucant amicis, & proximis, sed vt sibi ipsis, & suæmet vtilitati consulant, quia aliàs vendere res suas non possent. Neque dici potest, quod contractus supradictus licitus sit, ex eo, quia ex tali venditione credita pecunia, oriantur damna, & pericula non recuperandi suum ipsi venditori, nam vt benè dicit Medina

dina *cod.de reb.res.qu.*38. Licet verum sit, quod quando timentur damna, & pericula huiusmodi, aliquid exigi licitè possit supra iustum pretium; tamen quia non semper in praxi, experiuntur hæc damna, & pericula illi, qui vendunt pecunia credita, non potest licitè constitui pretium maius ordinario, & iusto rebus omnibus, pecunia credita emptis.

6 TENERI Venditorem manifestare defectum rei, quam vult vendere, siue talis defectus in substantia sit, siue in qualitate, siue in quantitate, quod si non manifestet, contractum reddi illicitum; affirmo cum doctissimo Magistro Soto (viro planè eruditissimo, cuius scripta miram redolent eruditionem ad suas sententias elucidandas, & confirmandas) *Lib.6. de Iust.& Iur.quæst.2. art.2.* & quamplurimis alijs.

7 SIC iniustum esse illum contractum, in quo venditor, ea versutia verborum vtitur, vt vitium contectum relinquat, vt esset, si venditor nolens manifestare vitium occultum sui equi. v.g. dicat emptori: Vendo tibi equum meum, qui scatet omnibus morbis, & malis, quibus scatebat equus Gonnellæ, volens in aceruo malorum fictorum, verum vitium contegere; affirmo cum eodem Soto *loco cit.*

8 PARITER iniustum esse; assero illum contractum, in quo venditur aliqua res, cuius à venditore non detegitur defectus occultus, qui vergit in damnum emptoris, etiam si à venditore ipso extenuetur pretium talis rei, & non vendatur pluris, quam cum tali defectu, & vitio valet; affirmo cũ prędicto Soto *c.l.*

9 VNDE nec esse iustum contractum illum, quo quis venderet equum militi, quo vti non possit in bello, ex eo, quia timidæ natu-

ræ est,& ad strepitum ictus, v. g. bombardæ fugam arripit, affirmo cum eodem *cit. loc.* Et ratio omnium prædictorum est, quia quamuis solus is, cui ex proprio munere, vel officio incumbit, teneatur proximum à periculo, & damno eripere, & ei succurrere, si est constitutus in extrema necessitate; Tamen nemo potest, TVTA CONSCIENTIA, proximo ipsi periculi, vel damni occasionem præbere, vt accideret, si venditor vænum exponeret rem vitio affectam.

10 QVAMQVAM iustum esse assero contractum, in quo cauentur illa tria, nimirum periculum, damnum, & quod res sit vsui emptori, cum eodem Soto teneo, & sic si vendidi rem meam defectuosam, v.g. equum, qui & si habeat aliquem defectum à tali emptore, non timetur vllum periculum, vel damnum ex prædicta emptione, & equus ipse est illi, vsui, iustum esse contractum, dixi, si talis equus vendatur non pluris, quam valet cum tali defectu. Tamen si creditur, ab isto secundo emptore venditum iri equum ipsum, & quia vitium ignorat, tantum eum petiturum, quanti absque vitio equus ipse venderetur, tunc à primo venditore teneri admoneri istum secundum venditorem de vitio equi, ne decipiat secundum emptorem; affirmo cum eodem Soto *loc. cit.* respondens ad argumentum Conradi.

11 EX supradictis doctrinis, affirmo vendentem vinum, aut quid simile, non posse, TVTA CONSCIENTIA, aquam illi miscere, nisi in eo casu, in quo etiam si hoc fiat, vinum venditur iusto pretio, quia nimirum hoc tale vinum, adhuc aqua mistum, retinet eamdem qualitatem bonitatis, ac est illud, quod eodem pre-

pretio, quo tu illud vendis venditur in eodem oppido. cum absque ista mistione, excedat hoc in bonitate illud, quod sine aqua venditur, quam sententiam docent, & sequuntur Bonacin. Lessius, & alij apud Medinam de *Bulla Cruciata disp.34.num.* 216. Quia in tali casu, etiam seruaretur æqualitas.

12 POSSE te vendere rem, quam scis intra paucos dies, vel etiam vnum, minoris valituram, sine iniustitia, hodie pretio currenti maiori, & è contra emere currenti pretio minori rem, quam scis pluris valituram. Aio cum Molin. de *Iust.& Iur.disp.*354. Sanctus Thom.2.2. *quæst.77.art. 3.ad* 4. vbi S. Doctor, quamuis dicat, quod contrarium esset maioris virtutis, tamen ad hoc, ex iustitiæ legibus non teneri. Lessio *lib.*2 *cap.*21.*dubit.*5. Layman. *lib. 3. de Iust.tract.*4.*cap.*17.*num.* 9. quia tanti quanti nunc valet res, ex communi æstimatione iustè venditur, & emitur, nec illa scientia debet obesse scienti, nam vt inquit supradictus Layman, rerum pretia, non ex priuata vnius, vel alterius hominis notitia, aut affectione, sed vt dictum est ex communi, Ciuium æstimatione, ac sensu accipiēda sunt, iuxta *l.pretia.ff. Ad leg. Falcidiam*; Imò addit Molina *loc. cit.* neque contra charitatem talem peccaturum, vtitur enim iure suo, vendendi merces pretio iusto currenti.

13 TE non posse vti supradicta doctrina, TVTA CONSCIENTIA, si ad hoc sciendum corrumpis muneribus consiliarium v.g. Principis, vt tibi reuelet futuram taxam, ait Less. *Lib.*2.*cap.*21. *dub.* 5. nam in hoc intercederet dolus, quod etiam asserendum docet Lessius ipse *loc. cit.* si tu fuisti causa, cur magistratus alios excluderet iniustè, nam tunc, sicut

& in præcedenti casu, tenereris de damno tum exclusis, tum Reipublicæ, in supplementum tamen principalis authoris.

14 TE posse in subhastatione tanti rem emere, vel vendere quantum potes extorquere sine fraude, & etiam infra, vel supra dimidium, quo res valeret extra subhastationem; assero cum Gordano in *Theol. Moral. tom.* 1. *lib.* 4. *quæst.* 5. *cap.* 8. *num.* 38. Villalobos in *Summ. tit.* 2. *tract.* 21. *diff.* 5. *num.* 9. quos citat, *&* sequitur Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 12. Quia etiam si in hoc modo vendendi, vel emendi esset aliquis excessus, censetur liberaliter donari, dum nulla necessitas cogat eligere hunc vendendi, & emendi modum, ad quod accedit Doctrina supradicti Gordoni, qui *loco cit.* hæc docet. In subhastatione, inquit ipse, licitum erit emere viliori pretio, quàm sit commune fori, imò iustum pretium tunc censetur, quod vltimò offertur, sed fraudes abesse oportet, alioqui rescindi poterit venditio; fraus erit, si venditor, vitium rei venditæ sciens taceat, vel occultet; secundò, si venditor aliquos supponat qui pretium augeant, vt res pluris, quàm valet vendatur, aut si aliquos subtrahat ab augendo, vt res minoris ematur ab amicis, & consanguineis: Tertiò, si uenditor captato tempore, quo sunt pauci emptores rem hastæ subijciat; emptor quoque fraudem committet, si impediat ne alius augeat, ut ipse vilius emat, aut si ob inuidiam augeat, ut alius carius inde emat, hæc Gordonus, & Diana, qui cum Villalobos asserit, quod iustum pretium in isto modo uendendi, ex praxi omnium etiam timoratorum est, quanti minoris, uel quanti maioris emere, uel uendere potes.

15 TE committere iniustitiam in supradicto modo uendendi, uel emendi communiter aiunt DD. si per metum, uel fraudem, uel etiam per preces auertas alios offerentes, uel si sis uenditor supponas alios fictos Emptores, uel eligas tempus ineptum ad proclamationem, quando scilicet est rara frequentia ementium, uel quid simile facias, ut modo dictum est. Sicuti è contra te nullam committere iniustitiam si roges amicos ne offerant supra certam summam, ut tu pretio infimo iusto emere possis; assero cum Diana, uiro illo uerè eruditissimo, & de re morali tã benemerito, qui *p.1.tract.8.res.76.* Bon. Reginaldum, Rodriquez, Petrum à Nauarra & alios pro se citat, & ratio primæ partis huius sententiæ est, quia in supradicto contractu, si aliàs fieret, tolleretur substantia subhastationis, quæ solum dat licentiam emendi, vel uendendi, quanti potes, sincerè, & sine fallacia; secunda uerò pars probatur à Petro Nauar. qui *Lib.9.de restitutione cap.2.nu.*84.*&* 85. ait: non enim meo iudicio, quodcumque monopolium mercatorum, ut non nisi certo pretio emant, est iniquum, si re uera illud est iustum pretium; atque idem est dum quis in publica licitatione rogat amicum, uel amicos, ne plus dent certa quadam quantitate, ut ipse iusto pretio rem habeat, iuxta illud forum, uel cum uolens officium emere rogat alios emptores, ne uelint plus dare, quod in uectigalium, uel aliorum prouentuum emptione, contingere solet; Isti enim caritatem non inducunt, sed utuntur industria, & diligentia, ut res sibi iusto pretio detur, timentes in emendo augmentum magnum in pretio. Hæc ille.

16 SI frumentum Pistori v.g. uendidisti supra taxam, & pistor idem frumentum, etiam

ſupra taxam vendidit Populo, te debere reſtituere Populo ipſi, non autem Piſtori, aio cum Tamb. in *Explic. decal. lib. 8 tit. 3. cap. 7. §. 5. nu. 7.* Quia iſtæ venditiones quamquam phyſicè numero diſtinctæ ſint, tamen moraliter vniuntur in vna eademque materia, quæ eſt idem frumentum venditum piſtori, & ab iſto, populo, ſicut plures blaſphemiæ prolatæ ſub vno calore iracundiæ, vna ſunt, moraliter blaſphemia, vnde quia moraliter ſupradictæ duæ venditiones, in ordine ad reſtitutionem faciendam, non cenſentur duæ, ſed vna venditio, ex æquitate illi reddendus eſt exceſsus, qui damnum paſsus eſt, ſicuti ſi quis vulneret Caium, & delictum imputetur innocenti, qui cogatur à Iudice expenſas medicorum ſoluere Caio, nocens innocenti debebit reſtituere, nō autem Cajo, quia is plenè eſt ſatisfactus, ita etiam in caſu noſtro, quia ſi ibi eſt una vulneratio, hic ſunt duæ venditiones, quę moraliter faciunt unam, ut probatum eſt.

17 DIXIMVS cum S. Thoma, & alijs, & nunc iterum dicimus, non poſse abſolutè rem carius vendi, quia credita pecunia venditur, & non numerata, ex rationibus ſupradictis, tamen, ſi verè, & practicè times, & non tantum ſpeculatiuè, & in concauo Lunæ, vt ſolet dici, emptorem ſine difficultate, & expenſis non ſoluturum, te poſse, TVTA CONSCIENTIA, aliquid ſupra iuſtum pretium exigere Iudicio, & arbitrio prudentum, aſsero cum Leſſio *capit. 21. dubit. 6.* qui plures Doctores pro ſe citat. Quia ſubire hæc pericula eſt, omnium ſententia, pretio ęſtimabile, & ſic ſi fideiuſsor, TVTA CONSCIENTIA, licitè poteſt accipere ratione periculi, & oneris, quod ſuſcipit, ſoluendi nimi-

rum

rum in defectu principalis, cur non, & in casu nostro, in quo venditor ipse suscipit in se periculum, quod susciperet fideiussor? debes tamen, ne in supradicto contractu iniustitiam committas ex Mol. & Less. monere emptorem, te propter dictum periculum plus ab illo exigere: quia forsitan hic nollet sic emere: sicuti, & aduertendum etiam est ex ipso Lessio *loco cit.* primò debere esse verum periculum, vt modò diximus, & secundò venditorem non posse cogere emptorem, vt se potius quàm alium pro periculo suscipiendo accipiat. Tertiò non posse plus exigere, quàm ipse libenter alteri daret ad simile periculum redimendum, si necesse foret.

18 SI vendas domum v.g. mille aureis Titio, & hos mille aureos non soluat ipse Titius pecunia numerata, pro dilatione solutionis, te posse exigere pensionem v.g. quinquaginta aureorum, TVTA CONSCIENTIA, & absque iniustitia; assero cum Molin. *tom. 2. dist.* 368. §. *in eodem Corollario.* Sanchez *lib. 1. con. c. 7. d.* 21. *n.* 3. alijsque, quos sequitur, & cit. Dian. *part.* 4. *tract.* 4. *Misc. Res.* 139. cum quo concordat de Lug. *Tom. 2. de Iust. disp.* 25. *sect.* 8. *num.* 140. Quia cum Tibi non soluatur rei tuæ pretium, potes nolle dare ius percipiendi fructus, quamuis des Titio domus proprietatem, si ergo reseruas tibi fructus, prout multi, vel pauci producentur, tamquam tuos, iure tuo accipies; non verò tanquam rem Emptoris, quos deinde fructus potes eidem Emptori locare pro tanta pensione annua determinanda iudicio prudentis, quod pactum iustum erit; si in determinanda solutione talis annuæ pensionis, habeatur respectus ad periculum, quod potest esse, tam pro venditore, quàm pro emptore,

ptore, nam aliquo anno solent esse fructus vberiores,& aliquo steriliores.

19 IN quo, illud obseruandum censeo ad tollendum omnem scrupulum (quem quidam DD. videntur habuisse, in supradicto contractu) nimirum, quod etiam si in tali casu venditor,& vendat domum,& tradat eam emptori, potest sibi licitè reseruare fructus, vel redditus ipsius domus à se venditæ, donec soluatur pretium illius, & hoc licet emptor non sit in mora soluendi pretium statuto tempore, & licet venditor ex pretio statim soluto, nihil lucraturus esset, quia in nostro casu hæ vsuræ non dantur, vt lucrum pretij non soluti, nam hoc esset vsura, sed dantur in compensationem, & vt seruetur æqualitas; cum enim venditor impleat tradendo rem, debet emptor uicissim implere tradendo pretium, vel implenti soluere fructus rei receptæ, & nondum solutæ, ne sequatur inæqualitas, quæ enim æqualitas seruaretur in hoc contractu, Deus bone, si emptor, simul,& semel possideret rem,& rei fructum,& pretium?

20 TE tutum esse in Conscientia, si verbi gratia das domum Antonio, & tu ab illo accipis mille aureos cum pacto, vt quisque fruatur datis, donec alteruter reddat acceptum, aio cum Bonacin. *disput.* 3. *de con. quæst.* 2. *punct.* 7. §. 1. *num.* 7. Azor. *part.* 3. *lib.* 9. *cap.* 20. & alijs. Quia in hoc contractu nulla videtur iniustitia, dum supponitur, tantummodò reddituum, vel fructuum te posse recipere ex illis mille aureis æquiualentibus pretio domus tuæ, si illos exponas negotijs, quantum potest accipere fructuum à domo, ille cui eam dedisti, & sic vt benè ait de Lug. *Tom.* 2. *de Iustit.* *dis.*

disp.25. sect.8. num.136. iustificari potest contractus supradictus, & non aliter, quod est idem, ac dicere; quod ratione lucri cessantis, licitus est talis contractus, nam etiam in mutuo aliquid accipi potest ratione lucri cessantis, vt benè obseruat Bonac. *loc. cit.* qui addit, etiam licitum esse eumdem contractum ratione pacti retrouendendi, qui est in fauorem vtriusque contrahentis, nam per illum, tradens pecuniam obligat se ad rem acceptam restituendam, quoties, qui pecuniam accepit, restituet ipsam pecuniam, & è contra, quem contractum licitum esse, tenent Couarruuias, Medina, & alij apud Azorium *l.c.*

21 EMPTOREM posse emere vilius, TVTA CONSCIENTIA, quam res valet, si hæc non sit sibi commoda, vel illam emat in gratiam venditoris, affirmo cum Caiet. quem refert, & sequitur Busemb. in *Medulla Theolog. de Empt. dub.8. art.1.* Bonac. de *Contract. disp.3. quæst.2. punct.4. num.21. & 23.* quia supradictæ circumstantiæ, & similes, faciunt rem viliorem.

22 TE tamen grauiter peccare; assero ex Lessio *lib.2. cap.21. dubit.9. num.76.* contra charitatem; si quando pauperes extrema inopia affecti, res suas coguntur vendere, nimis viliter emas ab eis. Idem docet Bonac. *loc. cit*

23 POSSE emptorem, TVTA CONSCIENTIA, minoris emere, ex eo, quod simul emat multa; assero cum Bonac. *loc. cit. punct.4. numer.21.* & alijs, quia in hoc casu venditor liberatur multis curis, & redditur expeditus ad alia comparanda, vnde fit, quod meritò pretium talium rerum simul emptarum decrescat.

24 POSSE te, TVTA CONSCIENTIA,

emere, anticipato pretio, frumentum v.g. lanas, vinum, caseum, & huiusmodi multò minori pretio, quàm valeant tempore traditionis; assero cum Molin: *tom.2. disp.388.* Bonacin. *disp.3. de contrac. quæst.2. punct.4. num.* 20. & quamplurimis alijs, quos citat, & sequitur ipse Bon. quia venditores supradictarum rerum, nunc passim quando pretium recipiunt, supradictas res offerunt vendendas, vt sic habeant earum pretium, vel partem eius, ad sua debita soluenda, ad emendas, & parandas res necessarias, & sic res ipsę oblatæ, & venditæ, supradicto modo, euadunt vltroneæ, vnde meritò vilescunt; ad quod accedit, quod venditores ipsi, aliquas sentiunt commoditates, vt innuimus, ex tali anticipata receptione pretij, & Bonac. *loc. cit.* docet alias quatuor causas, cur licitè possit fieri supradictus contractus, his expressis verbis: Hinc sequitur excusari posse multis de causis emptores lanarum, qui eas emunt minori pretio anticipata pecunia; primò excusari possunt à ratione periculi, cui se exponunt non recipiendi lanas. Secundò ratione lucri cessantis, si eo tempore, dum carent pecunia, potuissent ea vti ad cambia, aut alia ratione lucrari. Tertiò, quia magnam lanarum quantitatem simul emunt, quando autem magna mercium quantitas simul emitur, vilescit earum pretium, vt docet experientia. Quartò, quia modus vendendi, numerata pecunia inducit raritatem emptorum, & multitudo venditorum minuit pretium, hæc Bonac.

25 VENDI posse, TVTA CONSCIENTIA, res secundùm pretium taxatum à lege vel magistratu, quod si nullum est secundùm illud, quod morali æstimatione hominum imponitur,

tur, & hoc ipsum non consistit in indiuisibili, sed diuiditur in infimum, medium, & summum, & sic licet, nunc summo, nunc infimo nũc medio emere, & vẽdere Com. docet DD.

26 NON licere tibi vendere rem tuam vltra pretium iustum, hoc solo titulo, Quia vides rem ipsam valdè vtilem esse emptori; assero cum Bonac. *loc. cit. num.* 27. qui multos pro se citat Less. *Lib.* 2. *cap.* 21. *dubit.* 4. *num.* 31. Vbi hæc habet, aduerte tamen, non posse rem pluris vendi, ob singularem aliquam vtilitatem, vel necessitatem emptoris, (vt multi absque vlla Conscientia faciunt) ita D. Thomas hoc art. & comm. DD. Ratio est quia nemo potest vendere id quod est alterius; illa autem vtilitas est ipsius emptoris, non venditoris, & prouenit ex aliqua alia circumstantia, cuius venditor non est causa, hæc Less.

27 POSSE tamen, TVTA CONSCIENTIA, te vendere rem carius, quam valet, si adsint alij boni tituli, & de hoc moneas emptorem, v.g. si adesset lucrum cessans, aut damnum emergens, aut incommodum, aut molestia, quæ tibi superueniret ex rei venditione, aut affectus singularis in eam, vel si res sint nouæ, raræ, & singulares, & similia; teneo cum Bonacin. *loc. cit. nu.* 15. quia si de supradictis moneatur emptor, & nihilominus carius, quam res valet, emere velit, nulla fit ei iniuria.

28 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, eos qui rem minutatim, & in parua quantitate vendunt, aliquantò carius vendere, quam qui eas vendunt in magna quantitate; teneo cum Bonacin. *loc. cit. num.* 41. Busenb. *loc. cit.* vbi citat, & sequitur alios pro se; quia venditores debent ad eas conseruandas maiores labores, & expensas impendere.

29 POSSE, te TVTA CONSCIENTIA, emere creditum minoris, quam valeat; præbendo anticipatè pecuniam, si eiusmodi creditum, siuè maturum, siue immaturum, sit difficile, litigiosum; vel exigendum cum expensis; assero cum Molina *disp.361.* quem sequitur Lessius *l.2.c.21.dub.9.n.74.* Ratio est quia supradicta minuunt, secundùm communem æstimationé, & prudentum bonum iudicium, rerum pretia.

30 TE verò non posse vendere, TVTA CONSCIENTIA, tuum creditum, quod scis debere solui ab illo, qui soluendo non est; assero cum Barth. à S. Faust. in *Sp Conf.p.2. de emp. & vend.d.5.qu.25.* quia non est vendibile moraliter tale creditum, cùm nullam habeat æstimabilitatem intrinsecè.

31 TE, TVTA CONSCIENTIA, posse minoris emere creditum illud, quod moraliter scis te exacturum absque vlla difficultate, & periculo, aiunt Layman *lib.3. tract.4.capit.27. num.33.* & Lessius *Lib.2. cap.21. dubit.9. num. 74.* Vbi dicit hanc sententiam veriorem esse, & illam probat validissimis rationibus, aduertit tamen in tali emptione peccare aliquando mercatores contra charitatem, si miseris militibus, qui, ob magnam inopiam, coguntur sua credita vendere, rationabile pretium dare nolint, cum ipsi tam ingens lucrum inde reportent; sic etiam docet huiusmodi Chirographa, non posse emi tali pretio à debitore, vel eius ministris, quorum officium est ea soluere, quia ipsi sunt causa malignæ solutionis, qua in re, interdum grauiter peccatur à receptoribus, & quæstoribus Principum, secus tamen, si quæstor causa non sit, & scandalum absit. Ratio autem supradictæ sententiæ est, quia credita communi æstimatione, minus

æstiman-

æstimantur, quàm ipsa pecunia numerata; tum quia credita ipsa, toto illo tempore, quo non soluuntur, sunt intrinsecè inutilia, tum quia communiter homines coguntur vendere credita huiusmodi, & sic euadunt merces vltroneæ, quæ vilescunt saltem pro tertia parte.

32 SICVTI posse, TVTA CONSCIENTIA, vnum, vel plures mercatores conspirare, vt ipsi soli aliquid vendant, modò hoc faciant intra iustum pretium, & ex authoritate Principum, vel magistratus, ita illicitè hoc facere, si propria authoritate, vnus, vel pauci pretia constituant, emendo v. g. merces certi generis, vt frumentum, vinum, oleum &c. vt ipsi deinde arbitratu suo vendant carius, & esse huiusmodi obnoxios obligationi restitutionis, docent communiter DD. quia in tali modo agendi peccatur contra iustitiam.

33 SI cum indigeres pecunia præsenti, emisti à mercatore v. g. Pannum creditò sub rigoroso pretio v. gr. quinquaginta aureorum, & mox mercator idem emit à te eundem pannum pretio infimo, sed numerato v. g. 40. & Tu remansisti consequenter debitor in rigoroso illo pretio 58. aureorum; licitè, & TVTA CONSCIENTIA, hoc fieri; assero cum Less. *Lib. 2. cap. 21. disp. 16.* modo in supradicto contractu intercedat vera emptio, & venditio, nec palliare volueris mutuum, & eius vsuram, & venditio ipsa libera sit, & nullo modo coacta. Ratio est, quia tum prior, tum posterior venditio iusta est, quia supponimus illas factas intra latitudinem iusti pretij, & quia sicuti potest tertius quilibet mercator eum pannum infimo pretio emere, vt omnes tenentur concedere; ita etiam ille idem; Mercatorem verò talem, minimè posse,

TVTA

TVTA CONSCIENTIA, obligare talem vendentem ad sibi reuendendum, aio cum communi, nam tunc imponeretur emptori ipsi, onus pretio æstimabile, hoc est obligatio reuendendi, & sic timorati mercatores solent mittere eiusmodi emptores ad forum, vt si ibi inueniat, qui velit emere, vendat, si verò non, redeat ad ipsum, ad quem accedit, quod opinio huic contraria, damnata fuit ab Innoc. XI. anno 1679. vt supra diximus.

34 AD hoc, vt possis, TVTA CONSCIENTIA, vendere, vel emere cum pacto retrouendendi, debere te accuratè obseruare, quod hoc pactum est onus quoddam pretio æstimabile, vt is, qui illud subit, debeat id deducere de pretio, seù valore rei, nam si res valeret mille v.g. quando absolute venditur, certè minus valet, si venditur cum illo onere eam retrouendendi; assero cum Molina *d.375.* qui dicit hanc esse communem sententiam DD. Less. *Lib.2.cap.21.dubitatione* 14. & alijs.

35 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, famulum, cui fuit tradita res vendenda à suo domino decem aureis v.gr. si illam vendat sexdecim, quatuordecim &c. sibi attribuere aliquid; affirmo cum Salas *de contract. empt. & vend. dub.45. numer.1. & 2.* qui quamplures alios DD. pro se citat, quia in supradicto casu, etiam si dominus determinauerit pretium hoc censetur fecisse, ne minoris famulus venderet rem suam, non quod illi cesserit reliquum, nisi hoc exprimat saltem tacitè, nam nemo censetur suam rem prodigere.

36 VERVM in eo casu, quo determinauit Dominus pretium, posse famulum, TVTA CONSCIENTIA, statim pro se rem emere determinato pretio à Domino, & deinde licitè il-

lam

lam vendere pluris, seù summo iusto pretio in suam vtilitatem; affirmo cum eodem Salas *loc.cit.* quia verè iste talis venderet rem factam suam. Verùm illud aduerto, quod famulus supradictus verè, & non fictè emere debet, quod tunc eueniret, quando animum sincerum habuisset exponendi se periculo, si fortè minoris rem venderet, subeundi damnum illud.

37 POSSE tamen hunc famulum, TVTA CONSCIENTIA, si Dominus determinauit pretium pro se, & illud plus, quod vendere potest, remittit ipsi famulo expresse, iustè illud accipere; vel si gratis suscepisses vendendam rem alterius docet Salas, *loc. cit.* Te posse pro tuo labore aliquid illi proportionatum accipere, quia etiam si, vt inquit ipse Salas, dixeris te gratis venditurum, in hoc casu mendax fuisses, non iniustus, nemo enim tenetur gratis seruire, sicuti etiam vt docet Salas *loc. cit. numer.* 5. si ille, cui fuit tradita res vendenda, maiorem diligentiam adhibuit, quam deberet, vt si iussus vendere in hac ciuitate, vbi non inuenit vltra decem, profectus est in aliam, vbi inuenit duodecim, potest illa duo sibi retinere, quod potest etiam facere, si alia industria, non debita, rem meliorauit; vt inquit Sà *verb. vendit. num.* 11. his verbis, si pluris vendidisti, quam rei Dominus constituerat, teneri ei totum reddere, nisi tacitè donauerit, vel opera tua illud, quod amplius est, meruerit; vel industria partum sit.

38 SI tibi commissum fuit, vt aliquid emeres, & hoc octo aureis emisti, quod poteras emere decem, non posse te illa duo in tuam vtilitatem accipere; assero cum Tamburino *Lib.* 8. *in decal. tract.* 3. *cap.* 7. §. 9. quia eo ipso, quod acceptasti emere, acceptasti simul

te

te vtiliter gerere rem tui principalis.

39 POSSE tamen sartorem ementem Pannum, TVTA CONSCIENTIA, pro se accipere excessum pretij, quem illi remittit de pretio consueto mercator, propter amicitiam, vel ad hoc, vt frequentet suam officinam; affirmant aliqui, quia verè in supradicto casu mercator de suo, illum excessum, supra consuetum pretium sartori remittit; verùm in hoc aduertendum est; quod docet Salas *loc. citat. num. 6.* his verbis: Sartores, qui pro alijs emunt, & dicunt illis mercatores, se in ipsorum gratiam minoris rem vendere, quàm essent vendituri, nihil posse sibi retinere, quia mercatores falsò hæc dicere solent, vt alliciant sartores ad emendum ab illis; Itaque cum hæc quæstio dependeat à facto, si Sartor in facti contingentia, verum esse id, quod non tam asserit, quam supponit Salas, deprehenderit, nihil poterit ex tali emptione conradere, & sibi applicare.

40 QVAMQVAM in foro externo non detur actio contra vendentes, vel ementes, si non sit defectus, vel excessus vltra, vel infra dimidium, quia leges ciuiles, vt docent Iuristæ, voluerunt resecare lites, tamen non posse te, TVTA CONSCIENTIA, siue emere, siue vendere vltra, vel infra rei valorem, absque peccato iniustitiæ, affirmo cum Lessio *Lib. 2. cap. 21. dubit. 4. num. 21.* Tamburino. *Lib. 8. tract. 3 cap. 7. §. 11. numer. 1.* & communi, quia nemini licet in conscientia, proximum decipere ne in vno obolo quidem.

41 SI res vendita fuit duobus, & vterque affirmet rem sibi traditam fuisse, & non sit certum vtri priori tradita fuerit, adiudicandam esse priori, sed si tu soluisti prius pretium, & prior

& prior nihil, te illi præferendum; assero cum Lessio *lib. 2. cap. 21. dubit. 19.* tunc enim præsumitur tibi posteriori factam traditionem; adesse verò alios casus, in quibus etiam si res sit tradita secundo emptori, præferendum esse primum emptorem; affirmo cum eodem Lessio *loco cit.* & Tamburino *lib. 8. tract. 3. cap. 7. §. 11. num. 2.* Primò, quando prior iam soluit pretium. Secundò, quando intercessit pactum de non vendendo rem alteri, vel ipsa res fuit priori emptori in securitatem contractus, hypothecæ nomine subiecta. Tertiò, quando in prima emptione fuit apposita clausula constituti, idest, quando venditor constituit se possidere rem illam nomine emptoris. Quartò, quando prior emptor est locus pius. Quintò, quando emptor secundus emit rem, sciens esse venditam alteri.

42 TE non posse, TVTA CONSCIENTIA, rem, v. g. vlnam Panni, quæ summo pretio valeret quinque, & infimo quatuor, vendere, pro quatuor, & postea non tradere emptori integram vlnam ipsius panni eo prætextu, vt Tibi reserues eiusmodi partem, pro eo, quod deest ad pretium rigorosum; affirmo cum Molina *disput. 351.* (Qui contrariam sententiam vocat falsam, & eam, quæ sternat viam peccatis, atque iniustitijs) & alijs; Quia sic mercator non staret contractui, & pacto facto cum emptore, in quo conuenerunt, vt iste solueret quatuor, & ille daret integram panni vlnam, & sic illum deciperet.

43 POSSE te tamen ad te indemnem seruandum, si cogeris rem tuam vendere minoris, quàm valeat, aliquid diminuere de pondere, vel mensura, & non teneri ad restitutionem; affirmo cum doctissimo Soto, Rebuff. alijsque quam-

quamplurimis, quos citat, & sequitur Salas *dub.35.num.4.* quia tunc vteris iuste lege compensationis; Verba Salas, quæ *loc. cit.* habet, hæc sunt: Secunda difficultas est, an sit peccatū mortale dare quantitatem minorem pro maiori, si seruetur iustum pretium? Respondetur non esse peccatum saltem mortale cum onere restituendi, præsertim si fiat ex aliqua iusta, & rationabili causa, vt si quis, quia non posset vendere vinum pretio iusto, vel propter iniquitatem Iudicis malè taxantis illud, vel propter emptorum malitiam, qui conuenerunt inter se, vt pauci emerent ad remittendum pretium, aut non emerent nisi minori iusto pretio, vel propter aliam rationabilem causam, minueret mensuram, aut parum aquæ misceret, & venderet pro puro, & pro mensura completa, modò non dicat mendacium, quod si dicat, non erit perniciosum, nec mortale, neque obligans ad restitutionem; hæc Salas.

44 POSSE te, TVTA CONSCIENTIA, vendere argentum mistum cum illo genere metalli, quod dicitur lega, sicuti etiam posse te, TVTA CONSCIENTIA, vendere ferrum mistum cum aliquibus granis arenæ, vel æs mistum cum modico ferro, modò tria serues. Primò, vt misceas solùm id, quod est necessarium arte. Secundò, quod est consuetum. Tertiò, in parua quantitate; assero cum Azor. *part.3.lib.8.de Empt.& Vendit.cap.23. quæst.3.* & alijs, quia supradicta ita communiter venduntur, & æstimantur in foro.

45 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, Pharmacopolam supponere alias res pro illis, quæ ordinantur à Medico pro infirmo, quando illas in promptu non habeat, modò illas, quas de facto tradit infirmo, sint eiusdem virtutis, qua

qua pollere supponuntur illa, quæ præcipiuntur in recepta à Medico, aio ex Salas de *Emptione, disputat. 35. num. 1.* quia in isto casu non erit ægrotus rationabiliter inuitus in ea re emenda, quodè contraria ratione te non posse facere; assero cum eodem, & Tolet. Val. Ledesm. & alijs, quos ipse Salas sequitur, si traderes nimirum vnum pro alio Electuario, vel aliam rem medicam, quæ non sit profutura infirmo, sicuti esset illa, pro qua supponitur, nam tunc deciperes ementem, dando aliam substantiam minoris virtutis, ac est illa, quæ petitur, & præcipitur à Medico, & accipis certum pretium pro incerto medicamento cum periculo valdè offendendi salutem ægroti.

46 SI in contractu bonæ fidei, quem celebras emptionis, vel venditionis interueniat dolus, seu error substantiæ, vel accidentium, ita vt dolus, vel error prædictus det causam contractui, hoc est, si error prædictus, vel dolus non adesset, nulla ratione fieret contractus. Contractum istum esse inualidum in vtroque foro, aio cum de Lugo *tom. 2. de Iustitia disput. 22. sect. 7. num. 142.* Molin. *disput. 259.* & alijs, quia vbi deficit consensus, deficit contractus, sed in supradicto contractu deficit consensus, cum supponitur, vt diximus, hunc nullatenus adfuturum, si error, vel dolus non interueniret. Ergo &c.

47 SI verò, vt inquit idem Molin. *loco cit.* dolus causam dedit contractui stricti iuris, contractus, etiam si in foro Conscientiæ, sit ipso iure nullus, in foro fori non est talis, sed venit rescindendus exceptione, seù oppositione per eum, qui dolum est passus, quod dolo fuerit inductus ad ita contrahendum, vt ha-

b.tur

betur ex *l. si dolo, C. de rescind. vendit. ex l. 3. §. vltimo, ff. pro socio,* & ex *l. dolo, vel metu, C. de inutilibus stipulat.* quod tamen discrimen inter vtrumque contractum bonæ fidei, scilicet & stricti iuris, solùm habet vim in foro exteriori, in quo voluit ius prouidere de maiori, magisque præsentaneo remedio in contractibus bonæ fidei, quàm in contractibus stricti iuris.

48 POSSE te, si es deceptus in supradicto contractu bonæ fidei, non verò decipiens, habere electionem, TVTA CONSCIENTIA, vel relinquendi contractum huiusmodi, vel eidem standi, cum compensatione illius damni, quod in tali contractu innocens subijsti; quæ doctrina valet, etiam si deceptio fuerit vltra, aut infra dimidium; assero cum supradictis Doctoribus, quia fauendum est innocenti; eo quod in odium dolosi talis contractus sit ipso iure nullus, non verò in odium eius, qui dolum est passus, vt benè Molina *loco cit.*

49 SI verò dolus non daret causam contractui, sed incideret in contractum, quia nimirum contrahens, & laborans illo errore, contraheret quidem, sed non tanto pretio, idest emisset v. g. illam vestem, etiam si sciuisset factam ex vili panno, sed viliori pretio, contractum supradictum esse validum in vtroque foro, assero cum Lessio *lib. 2. cap. 17. disput. 15. num. 28.* Molina *disput. 352. §. 4. conclus. 4.* Quia in supradicto contractu adest consensus ad rem, seù ad substantiam illius, quamuis non ad accidentia, ergo validus est contractus; teneri tamen decipientem reducere contractum ad æqualitatem, & resarcire omnia damna decepto, assero cum eisdem Doctoribus supradictis.

50 SI

50 SI dolus fuit in qualitate, siue in accidentibus, & hic error, seù dolus ipse inductus fuit à tertio, & inscijs contrahentibus, siue dederit, vel non dederit causam contractui, contractum esse validum in vtroque foro, affirmo cum supradictis Less. Tab. & Mol. supra citatis: sicuti etiam assero cum eisdem, in tali casu posse deceptum agere contra tertium decipientem de damno, & dolo, non posse uerò illum relinquere contractum, quia quando in contractibus onerosis, siue dolus est inductus à tertio, siue ipse contrahens semetipsum decipit, adest sufficiens consensus ad contrahendum, quamquam seruari debet indemnis in eis, in quo deceptus fuit.

51 SI dum uendis rem etiam non tuam, taces uitium intrinsecum, & notabile illius, siue de illo interrogatus fueris, siue non; contractum talem esse irritum, assero cum S. Thoma 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 3. quia in tali casu dolus daret causam contractui, & emptor deciperetur in re graui, & sic restitui debet ipsi, etiam in foro Conscientiæ, pretium rei.

52 SI uerò ab emptore, qui, etiam si rei tuæ uitium sciuisset, empta fuisset, affirmo cum Dicaitil. *lib.* 2. *de Iustitia, & Iure tract.* 9. *num.* 35. ualidum esse contractum, quia in tali casu supponitur consensus implicitus ementis, quamquam isti daretur actio, tum in foro externo, tum in foro Conscientiæ, ut reddatur illi excessus pretij, si fortè fuerit; aduerto tamen in tali casu monendum esse emptorem, post emptionem de illo uitio, tum ne ipse emptor uendat eamdem rem alteri, tamquam non uitiosam, & sic maiori pretio, tum ne ipsa res uitiata inferat aliquod damnum ementibus illam, & nescientibus illius uitium, ut si

esset

eſſet equus calcitroſus, vt ſupra etiam innuimus.

53 SVPRA diximus, quod ſi res vendatur miſta (vinum v. g.) & ea res vtilis ſit ad quod emitur, tantumque de pretio detrahetur, quantum par ſit propter miſturam, tunc vendentem ad reſtitutionem non teneri, eo quod pretium iuſtum non exceſſerit, peccare illum tamen, affirmo cum Molina *diſput.*354.*in fine*, niſi neceſſitate compulſus id efficiat, vt quia aliter extrahere pretium iuſtum rei non poteſt, vt diximus, v. g. vini, niſi parum aquæ illi admiſceat, vel niſi res cum ea miſtura re vera valeat, quod pro ea datur, nec emptor pro eo pretio empturus eſſet meliorem; Verum vt benè monet ipſe prudentiſſimus Molina *diſputat.* 354. arcendi ſunt venditores ab eiuſmodi fallacijs, ac deceptionibus.

54 ET quia, mi Lector candidiſſime, vt ſuperius innui, vellem tecum vnà viam ſalutis inuenire, & Deo dante, Tutam, tum meam, tum tuam Conſcientiam ſeruare, non omittam, quod circa has venditiones, Doctiſſimus verè, & prudentiſſimus vir Molina, qui tot annos cum ſumma laude, & plauſu Hiſpaniarum omnium, Theologiam docuit, adnotauit in ſuis tam ab omnibus laudatis diſputationibus *de Iuſtitia, & Iure*, videlicet, quod ad ſeruandam iuſtitiam, & TVTAM CONSCIENTIAM, in ſimilibus contractibus obſeruanda neceſſariò eſſe monita, quæ ſequuntur. Si v. g. ſutor, inquit ipſe *loco cit.* calceos conficiat ex parte debiliori corij, ſanè non tenetur ea de re admonere emptorem, tum quòd vitium ſit manifeſtum; tum etiam quoniam res ſuo modo, vtilis eſt ad vſum pro corij qualitate; neque calcei omnes eſſe poſſunt ex corio firmo:

mo: ſatis ergo erit ſi moderetur pretium pro calceorum qualitate; Si tamen corium eſſet aduſtum, eaque de cauſa, calcei citò eſſent rumpendi, vitiumque lateret emptorem, cuius non eſt adeò corij qualitatem agnoſcere, teneretur non ſolùm admetiri pretium cum calceorum qualitate, ſed etiam admonere emptorem calceos quidem, plus alioquin valere, ſed quòd corium aduſtum ſit aliquantulum, minuſque durabit; ſe remittere ita de pretio; Ratio autem eſt, quoniam ea qualitas, ſi calcei citius multò, ob eam ſint rumpendi, reddit illos minus vtiles notabiliter ad vſum, ad quem emuntur, ſupra id, quod calcei ex natura rei ſolent habere; eodem modo mercator, qui pannum multum aduſtum vendit, citòque rumpendum, non ſolùm tenetur minuere de pretio pro panni qualitate, ſed etiam tenetur monere emptorem eſſe aduſtum, eaque de cauſa, ſe tantùm detrahere de pretio conſueto: Galeri item, non omnes adeò contexti euadunt, vt æqualiter vtiles ad vſum ſint; Quando ergo defectus admodum notabilis non eſſet, quia re vera galerus durabit, ſed non quantum alij, aut non tanto tempore ſplendorem retinebit, quantum alij, non tenetur artifex detegere vitium, ſed ſolùm moderari pretium iuxta vitij qualitatem, ſi autem vitium eſſet notabile admodum, quod valdè inutilem redderet galerum ad vſum, teneretur non ſolùm adimere pretium rei ad qualitatem, ſed etiam dicere ſe tam viliori pretio vendere, quod non tantum durabit, &c. Ducor autem ad hæc ita aſſerendum, primò, quoniam res hæc moraliter eſt accipienda, & quoniam ſi artifices quoſcumque defectus rerum, quas vendendas exponunt, manifeſtare tene-

tenerentur, id ſanè eſſet in notabile ipſorum detrimentum, quibus multum de pretio iuſto detraheretur, deterritis emptoribus vitiorum manifeſtatione; eſſetque imponere graue admodum iugum commercijs hominum, quod neque timorati ferre poſſent; imò ipſis eſſet valdè nociuum, qui detegendo vitia, pauciſſimos haberent emptores, multumque illis de pretio detraheretur, cum tamen, è contra, parum timorati, vitia ſilendo multos haberent emptores; ſecundò, quoniam licet obligatio detegendi vitium, ipſis rerum naturis nitatur, id tamen ſuauiter eſt accipiendum; & prout commercia hominum, ipſorumque fragilitas poſtulat, multumque pendet à diſpoſitione humani iuris: Ius autem ciuile (attende Lector) non tantùm onus ceruicibus hominum imponere intendit, vt omnia vniuerſim rei vitia manifeſtare teneantur, ſed ſolùm grauia, quæ rem minus vtilem notabiliter efficiunt, vt ex *toto tit. ff. de ædil. edict.* conſtant hæc ex Molina.

55 TENERI Venditorem ad tradendam rem venditam, ſi poteſt, quod ſi ſit in mora, eam tradendi teneri ad intereſſe; affirmo ex *l. ſi traditio* 4. *l.* 10. *C. de act. empt.*

56 DEBERI fructum rei emptæ, ante traditionem emptori; affirmo ex *l. fructus*, 13. *C. de Euict. l. poſt perfectam* 16. *l. fructus* 13. *C. de act. empt.* Quia ſicuti venditor lucratur fructus pretij, ita emptor rei, cuius damno detrimentum rei cederet, vt habetur ex *Textu in l. Iulianus* 14. §. *ſi fructibus in fin.* §. *ſi quid ſeruo* 18. *ff. de act. empt.* & etiam ſupra diximus.

57 SI pendente conditione appoſita in venditione, res vendita in totum pereat, extingui venditionem defectu rei, licet deinde purificetur

rificetur conditio, affirmo ex *l. 5. C. de peric. & commod. rei vendi.* quia non potest retrotrahi conditio ad tempus contractus, re non extante, cessat enim fictio, si medium tempus non sit habile, quia per medium tempus, velut successiuè deberet retrotrahi, & non potest ob instans desinitionis rei, quoniam tunc esset contractus nullius rei, ergo perempta re, quæ nequit retrotrahi successiuè ad tempus contractus, & sic non perit emptori, vt bene docet meus Don Franciscus Verde in *Lib. 3. de Empt. & Vendit. Lem. 36.* qui non est in mora, nec est dominus rei emptæ. Si vero deterioratur res empta, pendente conditione, Emptoris damno cedere; affirmo ex *l. necessario 8.* ibi, *sanè si res extat licet deterior effecta, potest dici damnum esse emptoris.*

57 PERIRE rem venditori, si hic sit in dolo, vel culpa, vel mora; affirmo ex *l. 4. ibi per Venditorem steterit l. lectos 12.* Hinc obseruat Molina *disput. 354.* quod quando contractus est nullus, ob non detectum vitium occultum rei emptæ, si hæc pereat; perire venditori, & nihilominus eum teneri reddere pretium, quod pro illa accepit, & solum accipiet, quod ex ea superfit, vnà cum emolumentis, quæ fortè ex illa emptor percepit, deductis expensis, & valore industriæ, nam ex tali contractu, vtpote nullo, non emptor, apud quem non potuit transferri dominium, sed venditor emansit dominus, & sic re pereunte ipsi venditori perit.

58 SI verò fortuitò res pereat non perire venditori, habetur ex *l. hoc ita 2. in fin. ff. de action.* Nam semper in mora est emptor, si vterque simul sit in mora, emptori perire rem, si vnus post alium, nimirum, si vnus velit dare

modò, modò alter nolit recipere, tunc perire rem illi, qui vltimò est in mora; affirmo ex *l. illud sciendum 18. §. quod si per emptorem ff. de peric. & commod. rei vend.*

59 SI pereat equus v. g. & equus sit venditus in genere, nimirum si venditor dicat: Vendo tibi vnum equum ex meis, venditorem, adhuc debere rem venditam tradere; affirmo ex *l. in ratione 30. §. in verte ff. ad l. falcid. l. inced. 11. c. si cert. pet. l. quod te 5. ff. de reb. cred.*

60 SI res vendita sit cum hac conditione, vt intra certum tempus vel diem, res vendita degustetur, si ante diem præfixum pereat, vel deterioretur, Venditoris damno cedere; affirmo ex *l. si quis vina 4. ff. de pæn. & commod. rei vend. l. 2. cap. eod. tit. cit.*

61 HABENTEM raras res, & peregrinas, & nulli illas exponentes venales, non posse TVTA CONSCIENTIA (etsi posse carius vt diximus) easdem vendere, quocumque potest prætio, sed debere uendere illo solo pretio, quod spectatis circumstantijs, arbitrio prudentis, censetur iustum, teneo cum Nauar. *cap. 23. enchirid. num. 78.* Eminentiss. Caiet. 2. 2. *qu. 77. art.* 1. Molin. *d.* 384. Less. *lib. 2. de Iust. & Iur. cap. 21. du. 3.* Salas *de emptet. vendit. dub.* 4. & alijs; Quia in his rebus, quæ legitimum aut vulgare pretium non habent, illud censetur iustum, quod communiter iustum existimatur, nam ex communi æstimatione oritur quædam quasi lex, à qua dependet constitutio ipsius pretij, quod, valdè absurdum esset pendere ex proprio iudicio venditoris, & ex nimio affectu emptoris, vt resoluitur in *l. pretia vend. ff. ad legem falcidiam.*

62 POSSE TVTA CONSCIENTIA emptores inter se conuenire de non emendis mercibus,

cibus, nisi iusto pretio, si videant venditores conspirasse de non vendendo, nisi pretio excedente, assirmo cum Soto *de Iustit. lib. 2. quaest. 2. art. 3. in fin.* & alijs; Quia id est vim vi repellere, quod licitum est vnicuique.

CAPVT XVIII.

DE EPISCOPO.

Quid liceat Episcopis facere, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam casibus iuxta quaedam Decreta Summorum Pontificum.

1 NON posse limitari facultatem audiēdi confessiones ab Episcopis, neque quoad tempus, neque quoad loca in propria Diœcesi; neque quoad genera personarum, illis Religiosis, qui in examine idonei reperti fuerint generaliter ad audiendas confessiones; Declarauit Clemens X. in sua Bulla emanata anno 1670.

2 REGVLARES praeuio examine approbatos simpliciter ad audiendas confessiones, non posse ab ipsomet Episcopo, qui illos approbauit (secus verò approbatos ab eius Vicario, siue antecessore) iterum examinari, aut suspendi à facultate audiendi confessiones, vel reuocari licentias illis concessas, nisi nouae superueniant causae, quae concernant ipsas confessiones, statuit idem Clemens in *supradicta Bulla*.

3 NEC posse ab Episcopo adimi facultatem omnibus simul Religiosis Confessarijs vnius Conuentus, inconsulta Sede Apostolica; declarauit idē Sūmus Pontif. Clemens in *eadē Bulla*.

4 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, Episcopum, vel alium Prælatum, & Officialem aliquid sibi applicare, & quoquo modo, siue ab ipsis Prælatis, siue ab eorum consanguineis, vel familiaribus participari, quouis colore, etiam paupertatis, aliquid ex testamento, quod iuxta Decreta, & Sacros Canones possunt Prælati ipsi, in illis Diœcesibus, vbi viget consuetudo, condere pro anima illorum, qui ab intestato decedũt; sed totum debere ab ipsis applicari vsibus, & operibus pijs nec posse propter adimpletionẽ talis dispositionis retardari sepulturam, vel exequias defuncti, declarauit Summus Pontifex Innoc. XI. in Bulla emanata anno 1678.

5 SICVTI nec posse, TVTA CONSCIENTIA, retardari sepulturam, quorumcumque defunctorum, siue sint incolæ loci, siue sint aduenæ, & exteri, ob non solutionem emolumentorum, quæ ab ipso Episcopo, siue eius Vicario, vel à Curato, aut Capitulo quomodolibet prætenduntur, iuxta vsum loci, & regionis, sed deberi reseruari illæsas rationes, & iura super hæreditatem, & bona defuncti, tempore suo exercendas, absque eo, quod possit fieri sequestrum cadaueris, & ob talem causam, molestiam dari consanguineis defuncti, idem Summus Pontifex declarauit eodem anno 1678.

6 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, ab Episcopo, eius Vicario, Ministro, vel familiari quocumque exigi, vel aliquid accipi, sub quocumque colore, ac prætextu, etiam spontaneæ donationis, siue:

Pro licentia, & facultate prędicandi in quocumque tempore.

Siue pro licentia, & facultate valendi in festis

ſtis opera ſeruilia exercere.

Siue pro reuiſione computorum locorum piorum.

Siue pro recognitione, approbatione, & publicatione reliquiarum, Indulgentiarum, & aliorum priuilegiorum.

Siue pro licentia quæſtuandi, vel pro atteſtatione paupertatis, vel alterius requiſiti, pro qua ſolummodo à Cancellario poſſe accipi vnum iulium, vel æquiualens.

Siue pro licentia non reſidendi per aliquod tempus, vel pro dimiſſorijs, in quibus conceditur facultas abeundi de vno in alium locum.

Pro monitorijs excommunicationis, vel reuelationis, excepto vno ſolo iulio pro Cancellario.

Pro declaratione incurſus in cenſuras, ſiue pro earum abſolutione, exceptis duobus iulijs, qui debentur Cancellario pro labore in conficiendis ſcripturis.

Pro facultate exercendi Pontificalia.

7 PRO exequutione Breuium Apoſtolicorum, aut licentiæ Sacræ Congregationis, pro alienandis bonis Eccleſiaſticis, aut ob impoſitionem cenſus, nihil poſſe accipi, niſi à Cancellario, qui poteſt exigere mercedem proportionatam ſuo labori, dummodò hæc non excedat ſummam vnius aurei, ſiuè decem carolenorum: ſicuti etiam nihil poſſe accipi, TVTA CONSCIENTIA, pro defendenda immunitate Eccleſiaſtica, ſiuè reſpectu perſonarum, ſiuè locorum, ſed omnia præſtari debere gratis, & ſine ulla penitus mercede, tam in his vltimis caſibus, ſicut etiam in ſupradictis omnibus (vt ad notauimus) Declarauit Summ. Pontifex Innocentius XI. in Decreto emanato anno 1678.

8 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, ab Episcopo, siuè eius Vicario, vel quocumque alio officiali aliquid accipi, & participari, neque indirectè ex mulctis, seu compositionibus & pœnis pecuniarijs, sed debere illas integras vsibus pijs applicari: Declarauit idem Summus Pontifex Innocentius XI. in supradicto Decreto.

9 NON posse ab Episcopo exigi sub quocumque colore, & etiam colore donationis spontaneæ, charitatiuum, vt vocant subsidium, nisi semel, & pro vna uice tantum nimirum in primo ingressu Episcopi in suum Episcopatum, & hoc iuxta Taxam antiquam, & quæ est in vsu ab hinc quadraginta annis, nec posse attendi olitum magis modernum, post supradictum tempus introductum, & aliquid exigi, vt dictum est, sub quouis alio prætextu, etiam uoluntariæ donationis; declarauit idem Summus Pontifex in supradicto Decreto, sicuti etiam in eodem Decreto, sanciuit in Visitatione debere inuiolabiliter seruari Decretum Concilij Tridentini.

10 ET specialiter ab ijs, qui concurrunt ad impensas, quæ fiunt pro uictu, non posse aliquid accipi, etiam si sint res comestibiles, sicuti nec posse exigi aliquod emolumentum, pro actibus iurisdictionis, decretis, & præsentatis Scripturarum, siue pro reuisione Decretorum Visitationum antecedentium, & eorum obseruantia, dum ab illis, qui visitantur, subministrantur imhensæ pro victu.

11 IDEM Summus Pōtifex an. 1679. damnauit propositionem illam, in qua docebatur, quod cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles,

les, ipsi iudicauerint ad Ecclesias promouent, Concilium, uel primò uidetur, per hoc digniores, non aliud significare uelle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparatiuo, pro positiuo; uel secundò, locutione minus propria, ponit digniores, ut excludat indignos, non uerò dignos, uel tandem loquitur tertiò, quando fit concursus.

CAPVT XIX.

DE EVCHARISTIA.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA in quibusdam casibus pertinentibus ad materiam de Eucharistia.

1 PECCARI mortaliter etiam remoto scandalo, ab eo, æditio, qui ob notabilem culpam, & negligentiam, lampadem non accendit coram tabernaculo, ubi asseruatur Sanctissima Eucharistia, uel extincta, non denuò accenditur, ita ut per integrũ diem lumen accensum non sit coram eodem tabernaculo; affirmo ex Lug. de *Euch. disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 77. & ex Fagund. *lib.* 3. *cap.* 22. *in* 1. *praec. eccl. num.* 19. qui dicunt ita strictè requiri lumen in sacrificio Missæ, quod si lumen extinguatur ante consecrationem, nec haberi possit; relinquendam esse Missam, etiam si necesse esset consecrare ad dandum uiaticum moribundo, ergò cum hoc asseratur præcipuè, ne Sacramentum Eucharistiæ existat sine lumine, (quamquam hoc simul sit etiam propter sacrificij celebrationem) tamen dicendum erit saltem, quod non licebit sine graui culpa esse hoc Sacramentum per integrum diem in taberna-

tabernaculo, sine lumine, cum hic defectus sit in re graui, & contra antiquissimam consuetudinem Ecclesiæ, tum celebrandi cum lumine, tum illud apponendi coram tabernaculo.

2 NON licere, neque per vnum diem asseruari Eucharistiam, intra Clausuram Monialium affirmo ex *Tridentino sess. 25. cap.* 10. Vbi hæc verba habẽtur: Quod verò Sanctissimum Christi Corpus intra Chorum, vel septa Monasterij, & non in publica Ecclesia conseruetur, prohibet Sancta Synodus, non obstante quocumque indulto, aut Priuilegio, quem locum Concilij ita declarauere Cardinales, Teste Ioanne Soteallo: Eucharistia non in Choro Monialium reseruetur, sed in Choro exteriori; non obstante quacumque consuetudine contraria.

3 LICERE Confessario Monialium ingredi septa Monasterij ad ministrandam Eucharistiam Moniali ægrotanti, quoties eam ipsa petierit; affirmo ex concessione facta ab Alexandro VI. Monialibus Sanctæ Claræ his verbis: Pro administratione Sacramentorum, tempore necessitatis, & alijs rationabilibus causis occurrentibus prout secundùm Deum expedire iudicauerint, clausuras interiores ingredi possunt Confessores, & sic tenent Sanchez. *Tom. 2. Sum. lib. 6. cap.* 16. *num.* 43. Alter Sanchez *Select. disput.* 22. *num.* 22. Quorum primus in *cit. loc.* Hæc habet verba: Nec strictè hanc indigentiam sumendam existimo, sed quando ad veram; & propriam consolationem, confiteri Monialis desiderat, quia iustum est tristitiam infirmæ, tam salutari medicina leuari. Ergo, vt benè notat Quintanaduegna, concedendum illi erit hoc leuamen, quoad Eucharistiam.

4 PEC-

4 PECCARE mortaliter illum, qui Euchariſtiam, uel defert in proceſſione, uel quomodocumque tangit ſpecies Sacramentales, dum non eſt in gratia; affirmo cum Bonacin. *Diſput.4. quæſt.5. punc.2. num.1.* qui citat Reginaldum *Lib.29. num.56.* Suarez *Diſput.72. ſect.4.* quos ſequuntur Lug. *Diſputation.8. de Sacramentis ſect.9.* & quamplurimi alij apud Dian.2. *part. tract.13. reſ.23.* Quia ſi maxima irreuerentia fuit, vt notant DD. tangere Arcam Teſtamenti, etiam, dum cauſa pietatis id fieret, quantò maioris irreuerentiæ piaculum committet ille qui tangit Santiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & quanto maius ſupplicium merebitur ipſo Oza, qui morte mulctatus fuit, eo quod contingere aoſus fuit ſupradictam arcam, poſtquam vxoriæ rei operam dederat, vt aiunt Sacri expoſitores.

5 TENERI Parochum Sacram Euchariſtiam ad domum ægroti deferre, eique illam adminiſtrare, quoties ægrotus ipſe exiſtimauerit neceſſariam omnino eſſe Euchariſtiæ ſumptionem ad vincendam aliquam tentationem grauem, ſiuè ad vitandum aliquod peccatum, vel occaſionem proximam illud committendi; affirmo cum Lugo qui hanc ſententiam docet cum communi *diſp.16. de Euchariſt. ſection.2. num.28* Quia, vt ipſe Cardinalis de Lug. ait *num.28.* Fruſtra videretur præceptum dirigi ad Subditos, qui (vt ſupponitur in ſupradictis caſibus) iure diuino tenentur ac communionem, cum ipſi non poſſent ſibi Euchariſtiam accipere, ſed debuit ad Paſtores dirigi, quibus ſic congruit, vt ſumant, & dent cæteris.

6 TENERI etiam Parochos in Conſcientia, cum celebratur aliquod ſolemne feſtum Chri-

sti Domini, vel Sanctissimæ Virginis, vel alterius Sancti, & cum aliquot dies, puta quindecim, plus minusue, elapsi fuerint post antecedentem communionem, sacram Communionem ægroto concedere, nisi aliquid obstet, puta moralis impossibilitas, aut magna difficultas deferendi Eucharistiam ad domum ægroti; assero cum Suarez *Disp.72. sect.3. cit. à* Bonac. *de Euch. disp.4. quæst.5. punct.1. num. 16.* Nau. *cap. plac. de pæn. dub.6. num.*152. Quia in supradictis casibus non nimis frequenter, sed certè rationabiliter communionem petit ægrotus, ratione supradictarum magnarum sollemnitatum, in quibus maior pars fidelium communicare solet, quod etiam videtur innui à Paulo V. in *Rituali tit. de Com. Infirmorum nu.2.* ubi sic ait, Hortetur Parochus infirmum, ut sacram Communionem sumat, etiam si grauiter non ægrotet, aut mortis periculum non immineat, maximè si festi alicuius celebritas id suadeat, neque ipse illam ministrare recusabit.

7 ITEM teneri Parochum ministrare communionem ægroto, si occurrat solemne Iubilæum, v.g. duarum Hebdomadarum, aut simile; pro quo obtinendo, ea requiratur; affirmo cum Patre Quintanaduegna in *Lib. de Iubilæo duarum hebdomadarum cap.5. nu.2.* quia tunc iure, & rationabiliter petit ægrotus Sacram Communionem, si quidem Pontifex hortatur, vt illud iubilæum obtineatur ob graues fines, & sine Communione obtineri nequit, nec hæc commutari possit in aliud opus pium, cum præstari nequeat, vt docet idem Author *loc. cit.* Quod confirmatur ex sententia Nauar. Soti, Azorij, & aliorum DD. citat à supradicto Authore à quibus docetur teneri

Paro-

Parochum per se, vel per alium audire confessiones subditorum, cum ipsi petierint, ratione alicuius festi, Iubilęi, indulgentiarum, &c. sic proportionaliter dicendum de Communione, si non adsit maior difficultas, vel irreuerentia.

8 TENERI Parochum deferre Eucharistiam moribundo, etsi festinare debeat ob timorem periculi, ne decedat infirmus absque Viatico, dummodo talis festinatio tam magnam irreuerentiam non afferat, ex qua oriatur periculum decidendi in terram, vel Sacramentum ipsum, vel Parochum cum ipso Sacramento; affirmo cum P. Quintanaduegna *Tract.* 4. *Sing.* 8. Quia licet aliqua irreuerentia oriatur ex festinatione supradicta, non est talis quæ possit excusare à præcepto sumendi Sacramentum, sicuti, & si aliquid irreuerentiæ sit, quod à Sacerdote non ieiuno celebretur Missa, tamen potest eam celebrare ad Communicandum alium, vel se ipsum in mortis articulo, vt docet Layman *Lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. *numer.* 20.

CAPVT XX.

DE EXTREMA VNCTIONE.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam Casibus pertinentibus ad hanc materiam.

1 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, à Parocho ministrari hoc Sacramentum illi, qui ob subitum casum nullum signum doloris dedit, nec Sacramentum vllum petijt; affirmo cum Barbosa *de Offic. Parochi cap.* 22. *num.*

11. & comm. DD. quia qui Christianus est, & in Ecclesia vult viuere, & mori, non præsumitur malus, nisi probetur, sed supradictus supponitur, quod fuit Christianus, & in Ecclesia voluit viuere, & mori, & aliud de ipso probari non possit, ergo voluit etiam in articulo mortis iuuari; ergo, &c.

2 PVERIS septennio egressis, & vsum rationis habentibus, etiam si nec recipiant, nec apti sint recipere Eucharistiam posse, TVTA CONSCIENTIA, administrari Sacramentum Extremæ Vnctionis; affirmo cum Layman *Lib.6. tract.7. cap.4. nu.2.* Sà *Verb. Extrema Vnctio.* & alijs communiter. Quia pueris huiusmodi valet hoc Sacramentum, & ad remissionem peccatorum, & ad sanitatem corporalem acquirendam, & ad concipiendam spem diuinæ Misericordiæ, sicut etiam ad infirmitatem æquo animo sustinendam, & tentationes dæmonis superandas.

3 POSSE sub conditione (si capax es) ministrari hoc Sacramentum pueris, casu, quo dubitetur an habeant vsum rationis; affirmo cum P. Dicastill. *Tract.7. dis.1. dub.10. nu.152.* Diana *3. part. tract.4. res.169.* & alijs, quia in tali casu nulla irrogaretur iniuria Sacramento, & maxima lucra euenire possent puero, si vsum rationis fortè haberet.

4 SI timeat Parochus, quod Oleum consecratum non sufficiat, posse ab illo, TVTA CONSCIENTIA, misceri oleum consecratum cum non consecrato, dummodò oleum, quod additur non consecrato, sit minoris quantitatis; affirmo cum Henriquez *lib.3. cap.8. n.2.* in cuius Glossa dicitur: vt cum fit paulatim additio aquæ benedictæ, & multis alijs, quos citat, & sequitur Leander *tract.4. de Extr. Vnct.*

disp.2.

disp.2. quæst.8. Quia in tali casu, vt inquiunt DD. cit. extrema olei consecrati, ita permiscetur cum extremis oleị non consecrati, vt simul vtrumque consecratum censeatur.

5 PAROCHVM, aut Prælatum Religionis teneri sub peccato mortali Sacramentum extremæ Vnctionis suis subditis ministrare; affirmo cum Henriq. *Lib. 3. de Conf. & extrem. Vnct. c. 10. n. 2.* & alijs; Quia ex officio, tam Parochus, aut Prælatus supradictus tenentur saluti suorum subditorum consulere.

CAPVT XXI.

DE FESTO.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus casibus pertinentibus ad obseruationem festi, seu ad abstinentiam à labore in die festi.

1 ESSE licitum discedere à proprio loco, in quo celebratur festum, & ire ad alium vbi non celebratur, ad exercenda opera seruilia, docent Castropalaus *tract. 3. de legib. disp. 1. punct. 24. §. 5. num. 4.* Trull. *lib. 3. in dec. cap. 1. dub. 3. num. 4.* & quamplures alij. Quia præceptum de obseruando festo non prohibet discedere à loco, in quo festum obligat, & ex alia parte extra illum locum non obligat, ergo licitum erit cuilibet recedere à proprio loco, in quo est talis dies festiua est accedere ad eum locum, in quo festiua non est, & TVTA CONSCIENTIA, laborare.

2 ESSE etiam licitum, quando vrget præceptum in proprio loco festi, discedere ab hoc loco,

loco, & ire ad alium, vbi festum tale non seruatur, vel ieiunium, etiam cum intentione se eximendi à præcepto non ieiunandi, vel non laborandi; docent Sanchez *lib. 3. de Matrim. disput. 18. num. 29.* Suarez *tom. 1. de Relig. libr. 2. cap. 13. numer. 4.* Castropalaus *tract. 3. de leg. dis. 1. par. 24. §. 5. num. 4.* & quamplures alij. Quia quando quis discedit à loco suo, vbi seruatur festum, aut ieiunium, & proficiscitur ad alium, vbi horum præceptorum nullum viget, utitur iure suo, neque enim præceptum, quod in alio loco viget, obligat ibi vicinos persistere, sed solùm obligat, ut dum ibi adsunt, seruent illud, at postquam ab illo exierint, iam cessat eius obligatio. Insuper, qui hoc facit, fugit præceptum; sed fuga præcepti, non est contra præceptum; ergo est licita per se, aut indifferens, ita ut esse possit bona, uel mala, ex fine adiuncto. Quibus si addas, quod hæc fuga præcepti si esset illicita, ideò illicita esset, quia fit cum intentione non seruandi præceptum; sed ex hac parte non est illicita, quia illa intentio non tendit formaliter ad inobseruandum præceptum, vbi uiget, sed ad fugiendum præceptum, transferendo se ad locum, ubi non viget, ergo, &c.

3 DISCEDENTEM mane à loco, ubi est dies festus ad laborandum ad locum ubi non est, teneri, prius quam exeat, missam audire, tenent Suarez *Lib. 2. de Festis capit. 5. circa finem numer. 9. &* 10. Trullench. *lib. 3. in decal. capit. 1. dub. 3. numer. 4.* & quamplures alij. Ratio autem prædictorum DD. est: Quia dum es in loco, ubi est dies festus, afficeris præcepto, & obligatione audiendi sacrum; contracta autem obligatione non potes illam uitare pro libito,

libito, sed eam debes necessariò adimplere, quia est præceptum affirmatiuum, quod obligat impleri, quam primum possit, neque suppetit postea via implendi, quod benè confirmatur ex illo; quia si stans in illo loco scires impediendum fore audire sacrum necessariò hora nona v. gr. teneberis hora octaua sacrum audire, & impedimentum præuenire, quia generaliter hoc obseruandum est in quolibet præcepto, quo semel fuisti ligatus, nimirum si scias impedimentum tibi apponendum, teneris ante implere: & sic in præsenti, si scis tibi apponendum impedimentum ne audias sacrum, & hoc à tua voluntate, debes, antequam impedimentum apponas, sacrum audire.

4 PEREGRINOS teneri ad obseruanda festa, & ieiunia propria illius loci, ad quem diuertunt permanenter, per aliquod breue tempus; assero cum Suarez *Tom. 1. lib. 2. de Festis capit. 14. num. 2.* qui docet contrariam sententiam non esse probabilem practicè, & esse etiam contra rationem, imò, & contra communem sententiam Trullench. *loc. citat. num. 5.* Castropalao *Tractat. 3. de leg. disp. 1. punct. 21. §. 3. num. 11.* & ratio supradictorum DD. est: Tum quia hoc probat consuetudo, causa uitandi scandali, rationabiliter introducta, & saltem consensu tacito Prælatorum probata; Tum quia sicut peregrini leuantur oneribus patriæ, ita par est grauari oneribus loci, in quo uersantur, qui enim sentit commodum, debet sentire incommodum, ut ex *reg. qui sentit. de regulis iuris in 6.* & valde absurdum esset, ut loquar cum Suarez *cit. loc.* quod isti tales non teneantur legibus patriæ toto illo tempore, & quod etiam non teneantur uiuere secundùm

cundùm legem illius loci, in quo habitant; Tum quia isti tales peregrini etiam (vt loquar cum eodem Suario) *loc. cit.* per talem inhabitationem acquisiuerunt quasi domicilium sufficiens ad obligandum eos legibus loci, vbi de facto inueniuntur.

5 DIXI permanenter per aliquod tempus; Nam Suarez ipse *loc. citat. num.* 8. subdistinguit duos alios modos habitandi in aliquo loco, & primus est: Quando quis peruenit ad locum, vbi per aliquot dies moretur, & recreetur, vel negotietur, ita vt ille sit quasi terminus peregrinationis, & viæ, licet quis in illo paruo tempore commoratus sit. Secundus modus est, quando præsentia in tali loco, solùm est in transitu, tanquam in hospitio viæ, prandendo, vel pernoctando, & statim discedendo sine alia mora, quando verò præsentia est prioris modi, dicendum omnino est, illam sufficere ad inducendam obligationem seruandi festum, ieiunium, &c. vt dictum est, secus autem si præsentia sit secundo modo; ita etiam Trullench. *loc. cit. nu.* 6.

6 DOCERE alios, etiam lucri gratia, in die festo, posse fieri, TVTA CONSCIENTIA, docent Suarez *Tom.* 1. *de rel. lib.* 2. *de festis, cap.* 3. *nu.* 9. Trullench *lib.* 3. *in dec. c.* 1. *dub.* 8. *nu.* 4. & quamplures alij. Quia alios docere, est exercere actum liberalem, qui nequaquam est actus prohibitus in die festo, nec extrahitur à sua conditione, etiam si fiat ob lucrum.

7 SICVTI scribere in die festo licitum esse, etiam si fiat ob lucrum, docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 4. *ad* 4. Fagund. de *Præc. Eccl. l.* 1. *cap.* 11. *nu.* 3. *&* 4. Quia scribere non est opus seruile, sed liberale, ergo quamuis fiat ob lucrum, erit licitum.

7 SICV-

7 SICVTI etiam licitum esse Notarijs facere scripturas in diebus festis; affirmant Fagundez *loco cit.* & alij ab ipso citati, quod asserunt etiam in trãscriptione, & etiam si hæc fiant ob lucrum, quod speciatim tenet Suarez *tom.1. de Relig. lib.2. de festis, cap.25. num.4.* quia vt diximus, hæc minimè sunt opera seruilia; ergo licita, & alioquin non prohibita, nam supponimus has scripturas esse testamenta, donationes, & similia, non verò scripturas continentes examinationem testium.

8 NON posse à Typographis ordinari, & componi characteres, aut litteras in festis, aiunt Suarez *lib.2. de festis, cap.25. num.8.* Trullench. *loc. cit. num.7.* & alij, quos sequitur Leander *tract.5. de obser. fest. disp.4. quæst.18.* quia huiusmodi ordinatio litterarum cum in prudentum æstimatione nihil differat ab alijs operibus seruilibus, quæ in festis prohibentur, ea etiam erit illicita.

9 NON posse pingi, TVTA CONSCIENTIA, in festo, docent Suarez *tom.1. de Relig. lib.2. cap.26. num.5.* Fagundez *lib.1. de Præcept. Eccles. cap.15. num.10.* & quamplures alij, quia probabilius est, quod actus pingendi sit seruilis, ergo prohibitus in festis.

10 ESSE licitum venari, & piscari in die festo ob animi recreationem; affirmat Trullench. *lib.1. Decal. cap.1. dub.1. nu.8.* qui multos alios pro se citat, quia hæ actiones non sunt seruiles (vt tenent aliqui) si tamen venatio, & piscatio huiusmodi fiant ex officio, & lucri causa, ita vt quis operas suas locet ad venandum, & piscandum, Trullench. *loc. cit.* existimat verius esse, quod sint opus seruile, & mechanicum, adeoque prohibitum in die festo; quod si alicubi videbatur fieri passim per totum diem sine

seru-

scrupulo, excusantur propter consuetudinem, scientibus Pastoribus, introductam.

11 ESSE licitum molere in festis, etiam in molendinis, quæ molunt opera bestiarum, tenet Leander *loco cit. tract.* 1. *disput.*4. *quæst.*43. citans pro se alios, quia idem, & non maior labor impenditur in molendinis aquæ, quã venti; Ergo si in istis est licitum molere in festis, vt supponimus, etiam erit in illis.

12 POSSE à mulionibus, TVTA CONSCIENTIA, duci animalia onusta de vno loco ad alium, siue incæptum sit iter ante festum, siue non, tenet Diana *part.* 1. *tract.* 15. *resol.*36. qui dicit in hoc, ad minus non peccari mortaliter propter materiæ paruitatem; Ratio est, quia sic introductum est per consuetudinem receptam, & quia eadem est ratio, quantum ad propositum de continuatione itineris, ac de incæptione ipsius itineris, cum in vtroque casu eadem reperiatur defatigatio, siue labor.

13 NON excusari à mortali illum, qui per spatium trium horarum laboraret in festo, docent communiter Doctores, teste Leandro *loco cit. disputat.* 6. *quæst.*5. Quia certum est ferè apud omnes, quod supradictum spatium trium horarum non sit exiguum, sed grauis materia respectu integri diei.

14 EXCVSARI verò à mortali eum, qui per duas horas integras laborat in die festo, docent Diana *part.* 1. *tract.*15. *resolut.* 36. & alij quamplurimi citati à supradicto Leandro *loco cit. quæst.* 6. Affirmans ex mente doctissimorum hominum, præsertim à se consultorum, esse iam probabilissimam sententiam.

15 SICVTI non peccare Artifices, & pauperes operarios, qui nisi laborent in festis, non pos-

possunt familiam sufficienter substentare, sic etiam excusari à peccato laborantes in die festo ne lædatur notabiliter eorum status, vel vt seponant dotem filiæ; quia aliter seponere eam non possent, nisi subtrahendo necessaria familiæ, docent quamplurimi Doctores apud supracitatum Leandrum *loco cit. quæst.* 14. Quia & lex abstinendi ab opere seruili non obligat cum detrimento notabili proprij status, & quia ex vna parte, dos pro filia est omninò necessaria, ne decidat à suo statu, & ex alia parte, Pater non tenetur subtrahere necessaria familiæ, ergo ratione necessitatis excusabuntur à peccato, si supradicti opus seruile exerceant.

16 SICVTI etiam à peccato excusari filiam familias, quæ pro acquirenda dote, quæ solet dari, laborat in festis, nec illis suppetit alius honestus modus eam acquirendi, ob eamdem supradictam rationem prædicti Doctoris docent.

17 EXCVSARI seruas à peccato, quæ pro resarciendis proprijs vestibus laborant in festis; docent Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 1. & alij, quia in tali casu supponitur illis non vacare aliud tempus eas resarciendi.

18 NON licere in diebus festis laborare præcisè, ob causam vitandi otij, docet Pater Sanchez *lib.* 5. *cons. cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 13. Vbi asserit verius esse non excusari laborantes in die festo ad vitandam otiositatem, quia hæc potest vitari exercendo aliud opus bonum licitum, &c. Trull. *lib.* 3. *in decal. cap.* 1. *dub.* 8. *nu.* 6. & alij. Quia otium illud in festis ordinatur ab Ecclesia, & à Deo, ad vacandum ipsimet Deo, quod fit tum audiendo Missam, tum cessando ab operibus seruilibus, ergo contra hunc

finem

finem expreſsè facit,qui vt euitet otium huiuſmodi,exercitatur in operibus ſeruilibus.

19 EXCVSARI ſeruos, filios, vxores, & alias perſonas ſubiectas, quæ compulſæ iuſto metu, à parentibus, vel dominis, laborant in die feſto; affirmo cum Fagundez in 1.*præcept. Eccl. cap.*14. *num.*6. Sanchez *tom.*2.*conſ.lib.*5.*cap.*2. *dub.* 18. *num.* 16. & alijs quamplurimis, quia hæc ratio vitandi damnum notabile excuſat ab obſeruatione feſtorum, modò non compellantur prædicti ad id faciendum in contemptum fidei, & religionis; quia tunc deberent potius mortem ſubire, quàm id facere; quam doctrinam tradidit etiam Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.*2. *cap.*32. *num.*4. cuius verba ſunt hæc: Ex hoc capite excuſant multi famulum, qui cogitur præcepto domini ad laborandum in die feſto, nec poteſt illi non parere ſine graui incommodo, quia vel priuaretur ſtipendio, vel alimento neceſſario, vel domo excluderetur. & famulatu priuaretur, cum graui iactura, quia non ſperat aliud commodum facilè inuenire, quod intelligitur, vt ſubdit idem Suarez, ſi coactio illa facta à Domino ſeruo, non fiat in contemptum feſti, aut Religionis, tunc enim propter nullum metum licet agere contra legem Eccleſiaſticam, vt dixi.

20 RATIONE conſuetudinis, poſſe excuſari à peccato Barbitonſores, qui per totum diem feſtum, vel per maiorem partem illius tondent barbas, & capillos; affirmant Filliucius *tract.*27.*c.*10.*num.*228. Leand. *loc.cit.quæſt.*37. Quia optimè poteſt hæc conſuetudo introduci, vt fuerunt introductæ aliæ contrariæ. Ergo vbi hæc conſuetudo introducta, & recepta fuit, ratione illius excuſabuntur à peccato Barbitonſores tondentes per totum diem feſtum,

& Fil-

& Filliucius *loco cit. num. antecedenti*, expressè ait ratione consuetudinis aliqua licere in die festo, quæ alioqui prohibita essent, quam doctrinam, & sententiam ipse dicit communem in materia de legibus, & sic speciatim asserit ex hoc capite, *ex Suario*, Barbitonsores esse excusatos, præsertim quia vix, nisi cum magno ipsorum damno possunt repellere venientem diebus festis, siue quia alij præstò essent, qui ob huiusmodi lucrum simile seruitium erga eos præstarent, siue quia singuli sæpè habent necessitatem, vt tondeantur, siue quia sæpè excusari possunt ob materiæ leuitatem, quod idem dicendum de ijs, qui in domibus Principum id seruitij præstant; aduertit tamen in fine ipse Filliucius, & bene, eiusmodi consuetudinem non esse ampliandam, nec extendendam, sed potiùs restringendam, nam consuetudo relaxans disciplinam odiosa est.

21 EXCVSARI etiam Sartores, qui perficiunt vestes in die festo, ex eo, quia timent aliquod damnum notabile, aut acerbas reprehensiones, & iniurias si non perficiant, docet Leander *loco cit. quæst.* 44. qui pro se citat, & sequitur Pasq. *decis.* 290. *num.* 4. *&* 5. Quia præceptum obseruationis festorum non obligat cum tanto damno, & incommodo.

22 NON excusari à peccato eos, qui in diebus festis exercent opera seruilia, ne amittant occasionem acquirendi lucrum notabile, quod alias possent acquirere, tenent Suar. *tom.* 1. *de Rel. lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 9. Filliucius *Tractat.* 27. *cap.* 11. *num.* 223. & alij quamplurimi, quia actio laborandi in festis ob acquirendum aliquod tale lucrum magnum, non est licita, ex eo quod supponatur permitti in *cap. licet, de ferijs*, nam hoc non est verum; dum in illo *Cap.* expres-

expressè agitur de lucro publico, & transitorio, & quod solummodò occurrit in vno anni tempore, & non de alio; quæ circumstantia cùm non inueniatur in omni alio lucro priuato, & transitorio, fit vt in hoc eodem lucro non habeat locum, ob rationis identitatem, supradictum *Cap.* licet; Rursus non est licita ratione necessitatis, vt supponitur, nec ratione vitandi damni emergentis; ergo ex nullo capite est licita actio laborandi in festis, ob acquirendum priuatum aliquod lucrum, nisi alias id sit necessarium ad vitæ substentationem, aut ad vitandum aliquod graue nocumentum futurum, & tunc necessariam esse Prælati dispensationem; asserit idem Suarez *loco cit.* his verbis: Imò neque ordinariè videtur ex illo solo capite (nimirum vtilitatis cessatione) resultare sufficiens causa dispensationis, nisi vel persona sit alias indigens, ita vt vtilitas in aliquam necessitatem transeat: vel vtilitas, quæ cessat, tanti momenti sit, vt prudentis arbitrio existimari possit eius amissio non mediocre nocumentum.

23 OBLIGARE in Conscientia sub mortali peccato præceptum seruandi festa, etiam præscindendo scandalo, & etiam si absit contemptus; Affirmo cum communi Theologorum, & Doctorum ob euidentissimas rationes, quas non oportet adducere, cum etiam contraria opinio reprobata, & damnata fuerit ab Innocentio XI. anno 1679.

C. A.

CAPVT XXII.

DE FIDE.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam Casibus pertinentibus ad materiam de Fide.

1 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, asseri, quod Infidelis excusetur ab infidelitate, si non credit, ex eo, quia ad non credendum ducitur opinione minus probabili; assero cum communi Theologorum, & contraria opinio, tanquam scandalosa damnata fuit ab Innocentio XI. anno 1679.

2 NEC posse, TVTA CONSCIENTIA, teneri opinionem, quæ docebat, quod Fides non censetur cadere sub præcepto speciali, & secundùm se; assero cum communi Doctorum, & contraria opinio damnata fuit ab eodem Innocentio XI. eodem anno.

3 NON posse asseri, TVTA CONSCIENTIA, sàtis esse semel, in vita actum Fidei elicere: teneo cum communi Doctorum, & opinio contraria ab eodem Summo Pontifice, prædicto anno damnata fuit.

4 INTERROGATVM à publica potestate, non posse tacere, TVTA CONSCIENTIA, sed debere ingenuè confiteri Fidem; assero cum communi Theologorum, & opinio, quæ docebat, quod quamquam laudabile esset fidem ingenuè confiteri interrogatum à Iudice, quia hoc est Deo, & fidei gloriosum, tamen quod absque peccato poterat prædictus interrogatus non confiteri fidem, & tacere, damnata fuit ab Innocentio XI. eodem anno.

5 BE-

5 BENE posse voluntatem efficere, vt assensus fidei sit magis firmius in seipso, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium; assero cum communi Doctorum, & opinio contraria ab eodem Innocentio damnata fuit, qui pariter damnauit illam aliam opinionem asserentium, quod posset quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

6 ASSENSVM Fidei supernaturalem, & vtilem ad salutem non posse stare cum notitia solùm probabili reuelationis, & multo minus cum formidine ad oppositum, & qua quis formidet ne non sit locutus Deus; affirmo cum communi Doctorum, imò contraria sententia damnata fuit tanquam temeraria ab eodem Innocentio eodem anno.

7 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, teneri, quod solùm videatur necessaria necessitate medij Fides vnius Dei, non autem explicitè quod sit Remunerator; assero cum communi Doctorum, & contraria opinio tanquam scandalosa, & temeraria, damnata fuit ab eodem Innocentio eodem anno.

8 NEC posse, TVTA CONSCIENTIA, asseri, quòd sufficiat ad Iustificationem Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, vel simili motiuo. Teneo cum communi Doctorum, & opinio contrarium asserentium, reprobata fuit ab eodem Innocentio anno prædicto,

C A-

CAPVT XXIII.

DE FILIIS FAMILIAS.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad hanc materiam.

1 FILIVM familias, etiam si possit donare cum consensu patris, non posse tamen testari, etiam cum consensu patris de peculio aduentitio, & profectitio; affirmo ex *l. 3. C. de testa, & l. Marcellus, & l. si debitor ff. de mort. caus. donat. & ex l. 3. ff. de vulg.* Nam cum testari pertineat ad ius publicum, nequit esse in bonis patris, adeoque licet hic possit dare bona sua, nullo modo potest dare ius publicum, quod non est bonum suum, & sic pacta priuatorum non possunt tollere, aut dare ius publicum, & habetur ex *l. pacta priuatorum ff. de pact. l. neque pignus 43. ff. de regul. Iuris l. nam quod ff. ad Trebell.*

2 IN Ciuitate verò hac Neapolitana, posse filios familias testari de aduentitijs habitis ex linea materna intra fines Ciuitatis, licet ipse testetur extra districtum; affirmo ex *Consuet. quæ incipit Filius famil. vel Filia fam. tit. de Filijs fam.* testari volentibus, & cum Franch. *Decis.* 546. & alijs. In hac autem consuetudine non comprehendi exteros existentes in hac Ciuitate; affirmo cum Molfesio *Part.* 1. *rub. de bonis* 24. *num.* 2.

3 POSSE verò Filium familias testari cum consensu Patris ad pias causas; affirmo cum Bal. *in l.* 1. §. *sed. & si filius ff. de leg.* 3. Alex. in *l. Seruius*, & pluribus alijs, quos citat, &

L sequi-

sequitur doctissimus Verde in suo *Tyrocinio li. 2. de Testa. tit. 12. lem. 8. num. 937.* quia ius positiuum nequit impedire actum pietatis ex *cap. licet ex quadam, de testibus*; Ergo non potest impedire Testamentum filij ad pias causas, qui verè est actus maximè pietatis, charitatis, & religionis, quibus accedit Thesaur. *Dec. 150. num. 4.* Clar. §. *testament. 95. num. 17.*

4 PECCARE mortaliter filium, qui posset absque grauiori suo incommodo, aut maiori bonorum suorum detrimento liberare Patrem vel Matrem à pœnis Purgatorij, in quibus moraliter potest certus esse adhuc detineri; affirmo cum Azorio. *Tom. 2. de Iust. moral. lib. 1. cap. 3. q. 9.* & alijs, quos refert Diana *par. 9. tract. 9. resol. 60.* quia cum præceptum sit in Decalogo Honora Patrem, & Matrem, tuam, vi huius præcepti, ex comm. DD. tenetur filius opem ferre parentibus constitutis in graui necessitate, sed grauissima est hæc, in qua supponimus parentes supradicti filij constitutos, vt sunt Purgatorij flammæ; Ergo, &c.

5 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, filium familias, qui multum lucratus est ex bonis paternis, sua industria, in domo paterna, dum alij fratres, vel otiantur, vel ad studia incumbunt, aliquod salarium, siue mercedem exigere, & aliquam partem lucri, tali modo, factam sibi retinere; affirmo cum Lessio *Lib. 2. cap. 12. dub. 13. num. 80.* Nauarro *cap. 17. num. 144.* P. Burgaber in *Cent. 2. select. cas. consc. num. 80.* qui affirmat hanc doctrinam esse etiam Bartoli. Quia cum lucrum supradictum non tantùm proueniat ex bonis Patris, sed etiam ex industria ipsius filij, benè potest numerari partim inter profectitia, partim inter aduentitia bona.

6 PRO-

6 PROPOSITIONES illas in quibus asserebatur, licitum esse filio cupere mortem Patris, non quidem vt malum Patris, sed vt bonum cupientis, quia nimirum ei obuentura est pinguis hæreditas, & quod licitum est filio gaudere de parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes diuitias, inde ex hæreditate consecutas Innocentius XI. anno 1679. tanquam scandalosas, & temerarias reprobauit, & damnauit.

CAPVT XXIV.

DE FVRTO.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad materiam prædictam.

1 SI surripis ab aliquo exigua, quamvis non habeas animũ perveniendi ad quantitatem notabilem, & grauem, & perpetrãdo talia furtula pervenias de facto ad quantitatem grauem, in ista vltima acceptione te peccare mortaliter, aiunt DD. si tamen aduertas te iam peruenisse in isto vltimo furtulo ad notabilem quantitatem, apud Tamburinum in *Explic. Decalog. lib. 8. tract. 2. capit. 3. §. 1. num. 2.*

2 SI commisisti furtula, & peruenisti iam ad vltimum furtulum complens quantitatem notabilem, sed in ista vltima exigua acceptione non meministi, vel non aduertisti ad præcedentia furtula, te non peccare mortaliter aiunt ijdem DD. apud eundem Tamb. *loco citato*, & ratio est quia non vnitur moraliter hæc vltima acceptiuncula, seu furtulum, cum præce-

dentibus ratione inaduertentiæ, & sic damnum notabile proximi in hoc casu, tibi non est voluntarium, atque adeo, nec mortale, teneri te tamen ad restitutionem, sub graui, quando aduertis, vt per se patet.

3 SI minutula furtula supradicta non fiant à te tempore continuato, sed committantur magnis interpositis interuallis, nimirum, si inter furtulum vnum, & aliud intercedant quatuor anni, vt ait Rebellius, vel vnus tantummodo annus, vt ait Sanchez, quamquam alij, Teste eodem Tamb. minus tempus assignent, te non peccare mortaliter aiunt DD. supradicti apud ipsum Tambur. *loco cit.* & ratio est, quia si magnum intercedit tempus inter vnam acceptiunculam, & alteram nequeũt conflare hę acceptiunculæ, & furtula vnum notabile damnum proximo, qui non censetur in hoc casu grauiter fuisse inuitus.

4 SI furatus es à multis quantitatem notabilem, tali vero modo, vt à singulis paruulā quātitatem subripueris, te peccare mortaliter cum obligatione restitutionis, etiam sub mortali, aiunt DD. communiter apud eumdem Tamb. *loc. cit.* & ratio est inter alias, quia licet leue nocumentum attuleris illis Dominis, à quibus leue quid subripuisti, tamen graue detrimentum fecisti communitati, & Reipublicæ, quæ rationabiliter grauiter inuita est, & nullo modo vult, vt tu diteris furando à singulis leuia, & sic alãtur latrũculi in Ciuitate, quod valde dissonũ est rationi, & perniciosum Communitati.

5 DIANA *p. 2. tract. 15. res. 34.* citans multos alios ait posse dari, Eleemosinæ causa, ab vxore viri diuitis, singulis annis, vigesimam partem annui lucri, quod vt in praxim securius, reducatur, optimum est, si prudentiæ con-

confessarij res tota committatur.

6 SI à Patre, mediocriter pecunioso, filius furetur pro honestis recreationibus octo, vel nouem reales, sed non sæpius, quàm bis in anno, non peccare mortaliter; ait Dicast. *Lib. 2. de Iust. tract. 2. quæst. 9. dub. 8. num. 183.* Less. vero dicit *Lib. 1. cap. 12. num. 67.* quod si filius furetur duos, vel tres aureos à Patre diuite, eum nō peccare mortaliter, secus tamen, si illos furetur à Patre artifice, & non diuite.

7 SALAS autem apud de Lugo *Tract. 1. de Iust. disp. 16. sect. 4. §. 1. num. 76.* docet non peccare mortaliter filium vnicum; qui furaretur 20. vel 30. aureos singulis annis, à Patre, qui haberet mille, & quingentos aureos annuos.

8 NVLLO modo peccare, domesticos, si à Patre familias nolente dare necessaria ad honestam illorum substentationem, furentur ea ipsa, quæ necessaria sunt iuxta conditionem eorum, competentiaque ad victum, & vestitum, quia, & si in his inuitus esset ipse Pater familias, irrationabiliter inuitus esset, Tamb. *loc. cit. cap. 3. num. 5.*

9 NVLLO modo esse permissum, TVTA CONSCIENTIA, furari in graui necessitate; affirmo cum comm. Theologorum, ob multas rationes, quas hìc non refero, dum contraria opinio, quæ asserebat permissum esse furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam graui, iam damnata fuit ab Innocentio XI. anno 1679.

10 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, famulos, & famulas occultè subripere ab heris suis ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt; affirmo cum comm. DD. Quia com-

penſatio non poteſt fieri , niſi à liquido ad liquidum; & ob alias rationes, quas hìc non oportet referre, dum contraria opinio damnata fuit à ſupradicto Innoc. eodem anno.

CAPVT XXV.

DE GABELLIS.

Quid poſsit, vel quid non poſſit fieri, TVTA CONSCIENTIA, in quibuſdam pertinentibus ad materiam de Gabellis.

1 DARI obligationem in conſcientia, ſoluendi tributa iuſta; aſsero ex D. Paulo ad Rom. *cap.* 13. Card. de Lug. Leſs. Molina; & comm. quia eorum ſolutio pertinet ad iuſtitiam commutatiuam, iuxta quam publica onera à Principe ſubſtinentur. Quam obligationem ſoluendi Gabellas ſupradictas, aſſero dari etiamſi dubitetur, an ſint iuſtæ cum Azorio, Bonac. & quamplurimis alijs apud P. Mendo in *Epit. verb. Gabellæ*, quia in dubio eſt præſumendum eſse iuſtas, cum in tali dubio, præſumendum ſit in fauorem Principis, qui eſt in poſseſſione imponendi tributa; Nec eſt facile poſse proferri ſententiam de iniuſtitia tributorum, & ſic in dubio, an poſſint Principes aliqua tributa imponere? debere hæc ſolui; affirmo cum Padre Buſenb. & alijs, apud P. Mend. in *Epit. loco citato*.

2 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, ſi concurrant conditiones requiſitæ ad iuſtam compenſationem, læſum à Rege, hanc ipſam compenſationem facere non ſoluendo Gabellas, etiam ſi hæ locatæ ſint alicui priuato; aſsero

cum

cum Sylu. *verb. Gabella 3. quæ. 9.* & alijsquamplur. apud P. Mendo *loc. cit.* quia semper hæ locantur minoris, habito respectu ad fraudes.

3 AD quæ, necessariò addendas putaui, mi carissime Lector, Doctrinas sequentes, quibus in hac materia possunt vti Confessarij, ne vt dixi superiùs, pœnitentes nostris consultationibus (quæ interdum sunt ex ingenio, & non iuxta sapientissimorum DD. benè digesta dicta) confisi faciant, TVTA CONSCIENTIA, id, quod volunt, & interim Conscientia nostra, non solùm parum Tuta remaneat, sed potius obstricta, (quod Deus auertat) ad reddendam rationem pro animabus illorum; & eò magis volui in hoc cautius procedere, quò audio, non solum ab aliquibus permultas fraudes indistinctè fieri in hac materia, & fronte conscientiæ ita perfricta, vt aiunt, vt videatur, fraudes supradictas ab eis haberi, pro licita industria, & pro hæreditario capitali suarum domorum; sed etiam eos asserere, hoc facere freti doctrinis Confessariorum, qui dicunt eis hoc posse fieri, TVTA CONSCIENTIA.

4 AVDIAMVS igitur, quæ præcipuè ad instructionem tum Confessariorum, tum pœnitentium, sapientissimè inter alia adnotauit P. Ludouicus Molina *disp. 674. num. 9.* Meæ partes, inquit ipse, hoc loco non sunt definire, quæ tributa in particulari iusta sint, & quæ iniusta, neque vtrùm omnia simul iusta sint, an non? sed an sit aliquis excessus, quem Principes moderari, & auferre teneantur, quoniam neque, si id vellem definire possem; eo quod neque origines, & causas singulorum sciam, neque Reipublicæ necessitates in particulari, & quantum cuique eorum sit necessa-

rium,vel quousque, vnaquæque prouincia, ex diuersis,quæ eidem Principi parent, teneatur ad eam contribuere, eivè necessitati subuenire, maximè si ad commodum alterius Prouinciæ, & non ad suum proprium, spectat; neque item sciam, quo modo, & in quibus expendantur tributa, quæ à Populo colliguntur; & vtrùm cessauerint causæ, ob quas tributa aliqua fuerunt imposita,an non? sed potius vel eædem perseuerent,vel aliæ æquales, aut maiores superuenerint, & num Principes exequantur, ad quæ tributa sunt imposita,vel non; neque summam tributorum omnium intelligam, & cæterorum redditúum coronæ regni, &c. Deinde subiungit idem Molina *loco citato*. Neque facilè, etiam his omnibus cogitatis, & examinatis, idoneus ad id sufficienter definiendum iudicabitur, quo fit vt nullum tributum in particulari, neque omnia simul sumpta huius, vel alterius Prouinciæ condemnem,&c. Ex qua doctrina, clarè colligitur, quod si Vir tam doctus,tam prudens, & tam accuratus, tam difficile putauit statuere, & decernere hoc punctum, quod vt videmus tam aliunde intricis plenum est: Quomodo nos tam faciliter definiemus iustitiam, vel iniustitiam tributorum, & quę,TVTA CONSCIENTIA,fraudari possunt,& quæ non?

5 DEINDE ad praxim Confessariorum adnotat ipse Molina *loc. cit.* quod quando Rex donasset, aut vendidisset tributa, ita vt dominium aut quasi dominiū eius iuris tributorū,in alterū transtulisset,tunc, quia nō regi deinceps deberentur tributa, quæ oppidaniillius loci debent,sed deberentur illi alteri, vtique oppidani illi,non possent facere compensationem

eorum,

eorum, quæ Rex ipſis debet in illis tributis; ipſi igitur confeſsarij videant, ſi pro illis facit hæc doctrina, quando à pœnitentibus interrogantur, an poſſint fraudare gabellas, ad faciẽdam compenſationem cum ipſo Rege, qui eas vendidit, vt fecit v. gr. in hac Ciuitate Neapolis, tot viduis, pupillis, locis pijs, & breuiter, tot, qui non habent alios redditus, vnde alant ſe, & familiam? & nunc ob fraudes, non ſolùm recipiunt ab vnoquoque centenario, tolerabile pretium correſpondens illi, quo illos emerunt, etiam ſi ſupponerentur cariſſimo, & ſupremo pretio emptæ, ſed neque illud accipiũt correſpondens, etiam ſi venditæ fuerint viliſſimo, & infimo pretio, dum iam tales redditus, ob tam magnum numerum eorum, qui tam liberè, & abſque conſcientiæ ſcrupulo gabellas fraudant, redacti ſunt ad non gradum.

6 INSVPER aduertit idem Molina dicta *diſp. 674. num.* 12. quod debent attendere Confeſſarij, & qui ad Caſus Conſcientiæ reſpondent, ne ſi mercatores aliquid de tributis aliquando defraudent, quod iuxta hactenus dicta reſtitutioni non ſit obnoxium, illud, poſtea, vendendo merces, recuperent ab emptoribus, ſed tantò vilius eas vendant, quantum ex tributis defraudauerint, alioquin ipſi non ſoluerent id tributi Principi, & nihilominus illud recuperarẽt in pretio ab emptoribus, quod eſt manifeſta iniuſtitia, niſi mercatores ſufficientem rationem reddant, qua ea iniuſtitia purgetur; Vnde infertur quid dicendum, ſi contingeret caſus; quem ſępè cõtingere audiui, ſcilicet, quod quis introducat in ciuitatem occultè merces, abſque eo, quod ſoluerit pro eis gabellas, & poſtea illas vendat, ac ſi ſoluiſset medietatẽ v. g. gabellarũ, aut quid ſimile? nã vel iſte iudicat gabellã quã

 frau-

fraudauit esse iustam, & tunc non poterat, TVTA CONSCIENTIA, illam fraudare, vel non soluit tributum ipsum, quia iudicauit illud esse iniustum, & tunc, qua conscientia illud exigit, ab emptoribus suarum mercium, pro quibus, vt dictum est, nullum tributum soluit?

7 OBSERVAT etiam sapientissimus Molina, *loc.citat.* qui ad omnia aduertit, quod quando facta est conuentio cum publicano, vel cum ipsis emptoribus Tributorum, etiam si de eorum iustitia, aut iniustitia, neutra ex parte, omninò constabat; tunc quia id est velut quædam transactio, maximè si in ea transactione aliquid de tributo fuerit remissum, soluendum esse in Conscientia, quod inter vtrumque fuerit conuentum, cum semper contractibus iustis standum sit.

8 ET denique ad praxim, & hoc ad Conscientiæ forum, aduertit idem Molina *loc.cit. num.*10. Quod si Confessarius in multitudine Tributorum (attenta præsumptione iuris, & DD.) dubius fuerit an sit aliquis excessus iniustus, is ante factum, inclinet populum ad solutionem, præsertim quando solutio ab illo exigitur: post factum verò, non cogat illum restituere, quando, quæ defraudauit, attenta qualitate personæ, & negotiorum eius, non excedunt id, quod, comparatione talis personæ suspicatur, aut dubius est esse excessum in tributis populo impositis; quia in dubio melior est conditio possidentis; & quia confessarius, præcipiendo, in eo euentu, restituere, exponeret se periculo auferendi, quod suum est, ab eo, cui ita præciperet restituere, ita Syl.*verb. Gab.*3.

C. A-

CAPVT XXVI.

DE HOMICIDA.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad hanc materiam.

1 QVAMVIS quisque teneatur vitam suam conseruare, quia homo non est dominus vitæ suæ, & suorum membrorum, tamen posse te, TVTA CONSCIENTIA, in aliquibus casibus vitam tuam non tueri, quamuis possis; Nimirum permittendo te occidi, si non es persona publica, Republicæ, vel alijs valdè vtilis, vel ne quis moriatur in peccato graui, vel non mutando stationem in periculo communis prælij, etsi certus sis te occidendum, non arripiendo fugam à carcere aperto, etsi certò scias capite plectendum, vel abstinendo à cibo tibi clanculum oblato, dum es damnatus ad famem moriendum; Permittendo alteri tabulam in naufragio à te prius occupatam, vndis te committendo; alteri cedendo cibum, dum es constitutus in extrema necessitate, sinendo te mori; obijciendo te telo, & offerendo ad mortem, ad Principis, vel amici vitam conseruandam, etiam si hunc, non iniustè ad mortem damnatum conspiceres; Affirmo inquam te in supradictis casibus esse Tutum in Conscientia, & minimè peccare cum Lessio *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 6. *num:* 27. Dian. *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 28. 41. & 42. & alijs. Quia non est prohibitum homini, ne vitam suam, periculis vnquam exponat, sed tantum ne ex intentione illam,

quasi exosam auferat, & ne absque causa, illam exponat, aut conseruare omittat, tunc enim censeretur illam ex intentione perdere, sicut prohibitum est ne se quis ex intentione polluat, aut absque iusta causa eius periculo se exponat, vt inquit Lessius *loc. c.* qui multos DD. citat, & sequitur pro hac sententia.

2 TIBI non licere vitam tuam notabiliter abbreuiare non moderatis ieiunijs, vigilijs, & cęteris huiusmodi corporis afflictationibus, dum præuideas talem effectum sequuturum, etiam si illum non intendas; assero cum Nauarro *cap.* 15. *num.* 12. Vbi docet hanc esse sententiam etiam D. Hieronymi in *cap. non mediocriter de Consec. dist.* 6. dictum est signanter, *si prauideas*, quia ex eodem Nauarro assero, quod non videtur esse mortale, imò neq; veniale, si quis faciat supradictas abstinẽtias, &c. putans eas nõ esse indiscretas, ratio supra d. sentẽtiæ est, quia omnes tenemur ex Charitate, nos ipsos conseruare, & contrarium affectum non habere.

3 TIBI non licere Aggressorem vitæ tuæ prævenire, antequam actum moralis, aggressionis incæperit; affirmo cum eodem Nauarro in *cap.* 15. *nu.* 3. Lessio *Lib.* 2. *cap.* 9. *dubit.* 8. & alijs; quia ante aggressionis actum, non infertur illa vis, quæ sit repellenda.

4 ESSE tibi illicitum furiosum v.g. inuasorem vitæ tuæ interficere, quando potes incolumis aufugere; assero ex Nauarro, & Suar. *cap.* 15. *num.* 5. & communi DD. quia tunc solùm nobis inest ius, vitam propterea defendendi, etiam cum inuasoris morte, quando alia via illam tueri non possimus.

5 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, asseri à viro quantumcumque honorato occidi posse Inuasorem, qui nititur calumniam inferre,

ferre, etiam si hæc ignominia aliter vitari nequeat; Nec, quod occidi possit, TVTA CONSCIENTIA, ille, qui post quam impegerit alapam, vel fuste percusserit, fugeret; affirmo cum commun. DD. & contraria opinio iam damnata fuit ab Innoc. XI. anno 1679.

6 NON posse occidi furem, TVTA CONSCIENTIA, si aliter non possit conseruari vnus aureus; affirmo cum comm. DD. rationes id probantes hìc non refero, nam contraria opinio, quæ asserebat regulariter posse occidi furem pro conseruatione vnius aurei, damnata fuit à supradicto Innoc. XI. anno supradicto.

7 NON esse licitum, TVTA CONSCIENTIA, defendere, defensione occisiua, illa bona, ad quæ ius tantùm inchoatum habemus, & quæ defacto non possidemus, sed tantum possessuros speramus; & contraria opinio iam reprobata, & damnata fuit à supradicto Innocentio XI. eodem anno.

C A P V T XXVII.

DE HORIS CANONICIS.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam Casibus pertinentibus ad hanc materiam.

1 RECITANTEM priuatim Diuinum Officium non teneri, TVTA CONSCIENTIA, ita illud exprimere, vt seipsum audiat; affirmo cum Bonacina *Disp.* 1. *de Horis Canon. quæst.* 3. *punct.* 2. §. 1 *nu.* 24. qui pro se citat Nauarrum de *Orat. cap.* 20 *num.* 14. Suarez, & quamplurimos alios.

2 NAM,

2 NAM, vt ait Bonac. *loc. cit.* Nullo iure probatur recitantem officium teneri ita proferre verba, vt seipsum audiat, cum præceptum obliget ad dicendum, non ad audiendum Officium, quod confirmatur, quia oratio ore, & voce fieri potest, etiam si non audiatur ab ipso recitante, & ex se fit quidam sonus formatus ex allisione aeris ad labia, & dentes: Tum quia sequeretur surdastros teneri officium alta voce recitare, aut dici non posse orationem vocalem facere; item sequeretur eum, qui seipsum, ex aliquo accidente audire nequit, ob strepitum malleatorum v. g. non satisfacere præcepto.

3 POSSE te, TVTA CONSCIENTIA, secunda hora post meridiem, recitare matutinum, & laudes diei sequentis; affirmo cum P. An. Escobar in *Theolog. Moral. lib.* 28. *sect.* 2. *de* 1. *precep. probl.* 41. Qui etiam affirmat hanc doctrinam valere, etiam si non sint recitatæ Vesperæ, & Completorium, ad non incurrendum peccatum mortale, etiam si hoc fiat absque vlla causa, cum Sanch. *Tom.* 2. *cons. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 37. *nu.* 11. Tamburino in *Decal. lib.* 2. *cap.* 5. §. 5. *nu.* 2. *&* 3. Quia verè secunda hora post meridiem dicitur tempus vespertinum, ergo pertinens ad sequentem diem.

4 ATTENDENTEM quantum moraliter potest, vt audiat, & percipiat ea, quæ alter chorus concinit, & non valentem nihil ex ijs percipere, ob defectum, & culpam ipsorum sociorum, & chori, non bene canentium, &c. assero satisfacere suæ obligationi, nec teneri, TVTA CONSCIENTIA, ad recitandum ea, quæ non percepit; assero cum Tambur. *Lib.* 2. *de Hor. Can. cap.* 1. §. 4. *num.* 12. qui alios pro se citat, quia hic talis, hoc modo

præ-

præſtat id quod poteſt, nec per ipſum ſtat, quin audiat ea, quæ dicuntur à ſocijs, cum qua attentione, & recitatione ſuæ partis, cenſetur in re morali facere communem eam ſociorum recitationem.

5 RECITANTEM omnes horas Canonicas, ſiue ſummo mane, ſiue ſerò nocte abſque iuſta cauſa, non peccare mortaliter; affirmo cum Sanchez *lib.2. conſil. cap.2. dub. 36. num.1.* & alijs, quos citat, & ſequitur ipſe Sanch. Quia ſubſtantia præcepti conſiſtit, vt horæ canonicæ, à media nocte vſque ad aliam mediam noctem, dicantur, & quamquam recitentur poſt miſſam, prædictæ Horæ Canonicæ, quoniam nullum habet Miſſa ordinem ad horas, etiam ſolùm peccari venialiter, ſi hoc abſque ratione aliqua, & immoderatè fiat, tenent communiter DD. teſte Burgaber. *Cent.1. Select. Caſ. Conſcient. num.39.*

6 SI timeatur aliquod impedimentum, vt conuenientibus horis recitetur officium, melius eſſe, vt anticipetur recitatio, quàm poſtponatur; affirmo ex eodem Sanchez *loc. c.* Quia primũ eſt prouidentiæ, ſecundum eſt negligentiæ.

7 QVAMQVAM ex *cap. ſolent. de conſecr. diſt. 1.* iubeatur, quod Veſperæ dicantur ante prandium, poſſe priuatim dici, etiam poſt prandium; affirmo ex eodem Sanchez *loc. cit. nu.5.* qui multos citat pro ſe.

8 TENERI Subdiaconum ad recitandas horas reſpondentes horæ, in qua ordinatus fuit; affirmo cum Bon. de *Horis Can. Diſp.1. qu.1. punc. 5. nu.9.* qui pro ſe citat Suar. Azor. cum comm. quia tunc fit ſubditus, tum iuri Eccleſiaſtico, tum generali conſuetudini Eccleſiæ &c.

9 TE non peccare mortaliter, ſi omittas vnum pſalmum, vnam lectionem, vel tertiam

partem

partem paruæ horæ; affirmo cum Busemb. *l.4. cap.2. art.2. de Horis Can.* quia talis pars officij non censetur pars notabilis.

10 LABORANTEM dolore notabili v.g. capitis, sicuti non tenetur ad recitandum officium, sic nec teneri audire alium illud recitantem; affirmo cum comm. Quia infirmitas grauis absolutè liberat ab obligatione officij.

11 SI coniungas cum recitatione officij aliquas actiones, quæ notabiliter eam non impediunt, v.g. induendi, abluendi, &c. te non peccare nisi venialiter, si fiat sine causa; affirmo cum eodem Busenb. *loc. cit. art* 4. *nu.* 7.

12 SI non recitasti, ex errore de festo duplici, vel semiduplici, die proprio, debere te in illo anno, diem festum talem duplicem, vel semiduplicem omittere; affirmo cum Quintanaduegna *Tract.* 8. *Sing.* 9. quem citat, & sequitur Busemb. *loc. cit.* Ratio est, quia onus officij est alligatum illi diei, ergo si illa dies euolauit, euolauit pariter & onus.

13 SI è contra recitasti hodie officium de festo, quod debebas in aliquo ex diebus sequentibus recitare, te debere recitare in illo die sequenti, iterum de eodem festo; affirmo cum eodem Quintanadu. ibid. *Sing.* 10. Quia festum possidet proprium officium eo die, ergo non debet omitti propter errorem ante factum die præcedenti.

14 SI recitasti hodie per obliuionem Vesperas, vel Matutinum diuersum ab eo, quod erat cras recitandum, debere te in tali casu recitare reliquum de officio proprio quod currit; asero cum Tamb. *Lib. 2. in Decal. cap.* 5. §. 2. *nu.* 31. vbi enim comprehenditur error, ibi corrigendus est, nec obligaris ad repetendum illud matutinum quod erat recitandum, & quia bona fides

te

te excusat, & quia per æquiualentiam iam soluisti pensum.

15 SI recitas cum socio, te non obligari, nisi proferre alternatim versus Psalmorum, cæterum sufficere, quoad Responsoria, Antiphonas, Capitulum, Orationes, ac Lectiones, vt illas audias à socio, eas proferente; affirmo cum eodem Tamburino *loco citato* §. 3. *num.* 10. quia etiam in Choro obseruatur hæc praxis.

16 SI interrumpas officium, ita vt vnum Nocturnum, vel etiam vnum dumtaxat Psalmum, hoc manè, v. g. recites, & posteà antequam spiret tempus recitandi, nempè media nox sequens, recites aliam partem, non esse te reum culpæ mortalis, sed tantùm venialis, si nulla adsit talis interruptionis causa, quæ si adsit nullo modo, te peccare; affirmo cum Lessio, Layman, & alijs, quos citat Bonacina *disput.* 1. *de Horis Canon. quæst.* 3. *punct.* 2. §. 1. *num.* 28. quia iam persoluitur officium intra latitudinem temporis, in quo vrget præceptum, & ex alia parte non apparet, quod sit irreuerentia grauis id facere in officio; sicut esset in oratione, quæ sit admista cum Sacrificio, vt esset in Missa, quam interrumpere graue esset.

17 SI inuertas ordinem Officij, recitando, v. g. prius Primam, quàm Laudes, si hoc facias cum aliqua causa, nullo modo te peccare, si absque vlla causa, te tantùm peccare venialiter; Affirmo cum Bonacina *disp.* 1. *de Horis Canon. quæst.* 3. *punct.* 4. *num.* 2. & alijs; quia ordo non est de essentia officij, quam sententiam sequitur Bussemb. *loc. cit. num.* 4.

18 OBLIGARI in Conscientia recitare reliquas horas illum, qui non posset recitare Matutinum, & Laudes; assero cum communi DD.

ob

ob multas rationes, quas non iudicaui oportere hic referre, dum contrariam opinionem, à qua docebatur, quod qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, ex eo quia maior pars trahit ad se minorem, reprobauit Innocentius XI. anno 1679.

19 RECITANTEM priuatim horas Canonicas, si non stet, aut genuflectat, cum Rubricæ id iniungunt, non peccare; assero cum Bonac. *de Hor. Canon. disput.7. quæst.3. punct.6. num.1.* & alijs, quia Rubricæ in Choro tantùm obligant, extra Chorum autem non sunt receptæ, vt obligantes sub culpa.

CAPVT XXVIII.

DE IEIVNIO.

Quid possit, vel quid non possit fieri, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus casibus pertinentibus ad materiam prædictam de Ieiunio.

1 ABSTINENTIAM à carnibus esse de substantia, & essentia ieiunij, ex institutione Ecclesiæ, à qua ipsum Ieiunium ecclesiasticum pendet, docent D. Thomas 2. 2. *quæst.*137. *art.* 8. *ad* 3. Filliuc. *tract.* 27. *part.*1. *num.*52. Fagund. *lib.*1. *in* 4. *Præcept. Eccl.cap.*2. *num.*2. Layman, & quamplures alij. Quia essentia Ieiunij Ecclesiæ attendenda est, secundùm institutionem eiusdem Ecclesiæ à qua dependet, sed sic est, quod Ecclesia omninò præcipit Ieiunium cum abstinentia à carnibus, ergo hæc abstinentia erit de essentia ipsius.

2 POS-

2 POSSE in die Ieiunij, coquos prægustare carnes, TVTA CONSCIENTIA, docet Fagundez *lib.*1. *in* 4. *Præcept. Eccl. cap.* 2. *num.* 7. & communis, quia paruitas materiæ excusat eos à mortali, vt supponimus, & necessitas adimplendi suum munus excusat etiam eos à veniali.

3 EXCVSARI à peccato comedentem carnes in die Ieiunij, si nullum alium haberet cibum, præter carnes ipsas, dummodò in dicto casu, ea pars talium prohibitorum ciborum, solum comedatur, quæ est necessaria ad tollendum graue damnum, quod est succurrere propriæ vitæ; affirmant Fagundez *loco citato num.*8. & quamplures alij, quia lex prohibens carnes, cum sit positiua, & humana non obligat cum detrimento vitæ, aut salutis.

4 DISCEDENTEM à loco, vbi illa die, nec ieiunatur, nec prohibentur carnes, posse vesci illis, priusquam discedat, quamuis vesperè sit peruenturus ad locum, vbi ieiunatur, tenent communiter Doctores, inter quos Lessius *lib.* 4. *de Iustitia, cap.* 2. *dub.* 8. *num.* 55. & quamplures alij, quia licitè potest iste talis sequi consuetudinem, & leges loci, in quo reperitur, nec tenetur leges proprias alterius loci tunc obseruare. Vnde *loco cit.* inquit Lessius; qui manè discedit ex oppido, vbi non est ieiunium, potest comedere etiam carnes, vt alij, etiam si vesperi, vel meridie peruenturus sit ad oppidum domicilij, vbi ieiunatur, hoc tamen loco non poterit carnibus vesci, quia in loco domicilij statim eius legibus tenetur, poterit tamen cœnare, quia ieiunio semel violato non tenetur à cœna abstinere, quod si nondum violatum est, tenetur illud seruare, & à secunda refectione abstinere.

5 SI-

5 SICVTI discedentem à loco proprij domicilij, vbi est ieiunium, peruenturus ad locũ, vbi non est ieiunium, non posse carnibus vesci quidem in hoc loco proprij domicilij, nam quamdiù ibi est, obligatur abstinere à carnibus, sicut & alij. Posse tamen, TVTA CONSCIENTIA, sumere ientaculum; affirmat Lessius *loco cit. num.* 58. si certus sit hic talis se peruenturum ad locum illi præcepto non subiectum, vbi quia potest secundò, & tertiò comedere, in illo die non tenetur abstinere à secunda refectione; ergo benè poterit primam refectionem sumere manè antequam discedat.

6 NON peccare mortaliter contra præceptum abstinentiæ à carnibus in die ieiunij, comedentem ex dispensatione carnes, si comedat carnes, v.g. sale conditas, & alias huiusmodi nociuas sibi, affirmant Sanchez *lib.* 4. *sum. cap.* 11. *num.* 57. & alij quamplurimi; quia Ecclesia per dispensationem omninò tollit prohibitionem omnium carnium, & sic si supradictus comederet nociuas carnes, contra temperantiam peccaret, non contra præceptum abstinendi à carnibus.

7 SICVTI etiam, TVTA CONSCIENTIA, à dispensato ad comedendas carnes in die ieiunij, posse etiam simul comedi pisces, secluso periculo alicuius damni, communiter docent Doctores, inter quos Azor. *lib.* 7. *cap.* 10. *quæst.* 5. Fagundez *lib.* 1. *de* 4. *præcept. Ecclesiæ cap.* 2. *num.* 18. Trullench. *lib.* 3. *in decal. cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 10. Quia qui dispensat ad comedendum carnes, nullo modo prohibet comestionem piscium, ergo cum aliàs eorum comestio sit licita in ipsis diebus, in quibus prohibentur carnes, licitè poterunt simul carnes, & pisces comedi, secluso timore alicuius dam-

damni, quod posset prouenire comedenti, ex piscium comestione.

8 SICVTI etiam, TVTA CONSCIENTIA, posse à dispensato ad comedendas carnes in die ieiunij, comedi etiam oua, & lacticinia, habet communis sententia. Quia cui conceditur maius, censetur concessum minus in eodem genere; Ergo cui conceditur caro, quod est maius, concessa debent censeri oua, & lacticinia, quod est minus.

9 POSSE in die ieiunij pro collatione serotina, sumi quantitatem vnciarum octo cibi, docent nunc communiter Doctores, inter quos Fagundez *in 4. præcept. Eccl. c. 4. num.* 13. vbi sic habet; Sæpissimè in nostra Societate ex doctissimo Suario relatum audiui, vncias octo ex pane, & fructibus capi posse pro collatione serotina absque fractione ieiunij, & defraudatione illius; sic ille, quia tota ista cibi quantitas nullo modo excedit terminos refectiunculæ, & alias est necessaria ad nutriendum aliqualiter naturam, vt ministret illi vires ad vacandum suis functionibus, ad capiendum somnum necessarium, & tandem ne potus stomacho noceat.

10 NON frangi ieiunium ab illo, qui excederet supradictam quantitatem 8. vnciarum in collatione serotina, per vnam, vel duas vncias, tenet Dian. *par. 9. tract. 6. res.* 15. vbi plures affert DD. pro se, & speciatim Sanchez, Pellizarium, & Turrianum *par. 1. sum. c. 246. dub. 27. nu.* 2. quia excessus prædictus non est valdè notabilis, ergo nec mortalis, & consequenter qui istas, vnam, vel duas vncias, videlicet, adderet, non frangeret ieiunium, licet venialiter peccaret.

11 OBLIGATVM ex voto, aut pœnitentia ad ieiunandum certa die, si in ipsa incidat Vigilia Natiuitatis satisfacere vtrique obliga-

gationi sumendo collationem duplò maiorem iuxta consuetudinem diei, docent Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 11. num. 65.* & alij quamplurimi; quia cum obligatio ad ieiunium sit determinata pro illa die, intelligitur implicitè esse iuxta consuetudinem diei eiusdem.

12 POSSE totam illam quantitatem vnciarum 8. panis crudi, aqua, vel vino madefieri, & sic madefactam sumi in collatione serotina, supponit Pasq. *in tract. de ieiun. decis. 106. num. 3.* Verùm non ob hoc, TVTA CONSCIENTIA, & benè argui, vt monet etiam Filliucius *tom. 2. tract. 27. num. 31.* ab illo, qui diceret; possum quatuor, vel etiam octo vncias panis, vel alterius similis materiæ, & quantum aquæ libuerit pro collatione serotina sumere; ergo ex aqua, & pane illo possum conficere iusculum coctum, & illud totum sumere, TVTA CONSCIENTIA, in collatione serotina; non benè arguere istum talem, vt dixi, nec, TVTA CONSCIENTIA, posse hoc fieri; affirmant, & docent communiter Doctores; quia vt benè dicit Filliucius *loco cit.* agente igne per concoctionem, plurimum mutatur materia subiecta, ita vt aqua illa, quæ separata, & non cocta cum pane, &c. quia retinebat qualitatem potus, licitè sumi poterat etiã in magna quantitate, accedente autem coctione cum pane, euadit cibus, & ita existimatus iudicio peritorum, qui dicunt experientia constare ex octo vncijs panis, v. g. cum aqua, vt modò diximus, coctis, fieri pulmentum ponderis quadragintaquatuor vnciarum; quod vtique posset deseruire non solùm pro cœna talis argumentantis, sed etiam possent ex illo, eius socij plenè refici; vnde quis non videt, & quis, dum sumus in re morali, aliud iudicium non

non format de isto tali modo faciendi, ac de illo, in quo sumeretur debita quantitas panis madefacti cum vino, vel aqua, quæ sine illa coctione adhuc retinet qualitatem potus, deseruientis ad vehiculum ipsius panis, quod est proprium munus potus?

13 TVTA CONSCIENTIA, posse te comedere pro collatione serotina in die Ieiunij herbas crudas, siue elixatas, pisciculos, qui sint sale cocti, & fructus, siue recentes, siue siccos, dummodo quod accipitur pro ientaculo supradicto, conflatum ex pane, vt sit, & prædictis, non excedat quantitatem octo vnciarum; docent plures apud Diana *part. 9. tract. 6. resol. 8.* Layman *lib. 4. Theol. Moral. tract. 8. cap. 1. num. 9.* Azor. *tom. 1. lib. 7. cap. 8. pag. 7.* & alij. Ratio est, quia non est certum esse introductam consuetudinem de sumendo ientaculo prædicto sub stricta necessitate, vt nimirum ieiunantes non possint assumere pro collatione nisi tales, vel tales cibos quadragesimales, ergo nec nos astringere illos sub peccato debemus, & eo magis, quo teste Pasqual. *tract. de Ieiun. decis.* 112. constat de consuetudine contraria, & etiam timoratæ conscientiæ virorum, qui absque scrupulo solent huiusmodi cibos in collatione adhibere.

14 POSSE te, TVTA CONSCIENTIA, in die ieiunij sumere potionem aquę cum sacchаro mistæ, sentiunt communiter Doctores apud Antonium de Leone *quæst. de Cocol. part. 2. §. 6.* teste Leand. *decis. 5. quæst. 4.* dummodo vt solet fieri non infundatur valdè maior quantitas sacchari in aqua; Ratio est, quia sic habet vsus; secundo, quia licet saccharum, aut quid simile, quod infunditur in aquam, & miscetur cum illa, habet rationem cibi, non tamen adhibe-

tur

tur per modum cibi, sed per modum potus, & electuarij (vt ait Leander *tract.* 5. *disput.* 5. *quæst.* 47.) ad temperandam cruditatem aquæ; ergo &c.

15 IN die Ieiunij posse te, TVTA CONSCIENTIA, sumere chocolatam, docent multi doctissimi Viri apud Leandrum *loco cit. quæst.* 5. §. 1. 2. *&* 3. quia quamuis ea sit multum nutritiua, instituta fuit per modum potus, & vt homines illam biberent, & non per modum cibi, & vt comederetur; sed sic est, quod potus cuiuscumque rei, quæ non est cibus, & natura sua, & ex sua primaria institutione non est ordinata ad manducandum, non frangit ieiunium, etiam si sumatur in magna quantitate, & toties, quoties libuerit, ergo chocolata, quæ est talis, nullò modo frangit Ieiunium.

16 SVMENTEM in die Ieiunij poma, mala medica, mala punica, massilica, aurea, vuas, & similia ad sedandam sitim frangere Ieiunium, docet Leander, qui citat pro se multos Doctores *loco cit. quæst.* 6. quia poma, & omnia supradicta per se, & ex natura sua sunt cibus, & quid comestibile, ordinatum ad nutriendum; ergo eorum sumptio si sit in magna quantitate, omninò frangit ieiunium, nec valet dicere, quod sumantur prædicta ad sedandam sitim, quia quod est ex natura sua cibus ordinatus ad nutriendum, non poterit aliter, quàm vt cibus sumi, quia intentio sumentis nequit mutare naturam ipsius pomi, &c.

17 NEC posse, TVTA CONSCIENTIA, & absque fractione ieiunij sumi poma, & supradicta ad sedandam sitim conterendo illa dentibus, & reiecta substantia solida ab ore, deglutiri succum dentibus expressum, docet Diana *part.* 10. *tract.* 14. *resolut.* 56. Vbi quamplures

plures pro se citat, & Leand. qui alios pro se citat *loco citato quæst.* 8. quia impossibile videtur, quod quis possit ita dentibus conterere poma, vuas, & supradicta, vt possit deglutire eorum succum, & non substantiam aliquam, quæ habet rationem cibi; Insuper conterere poma, & pira, & vuas, &c. eas masticare, & deglutire succum expressum ex illis, nihil est aliud, quàm manducare aliquid per modum cibi, sed hoc est frangere Ieiunium Ecclesiæ, ergo, &c.

18 COMEDENTEM in die Ieiunij, sæpius modicum quid, ita vt in fine iste talis notabilem quantitatem comederit, frangere Ieiuniũ docent communiter DD. inter quos Sanchèz, Vasquez, Leander, Trullench. Fagundez, Diana; teste Franc. Verde in sua *Anacephal. opin. pro. cap. 22. de Ieiun.* §. 2. & contrariam opinionem Sum. Pon. Alexand. VII. declarauit temerariam, in sua *Bulla cap.* 29.

19 SICVTI etiam idem Pontifex in eadem Bulla declarauit temerariam illam aliam opinionem, in qua asserebatur frangentem ieiunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccare mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subijcere præcepto; quam propositionem, sicuti prædictus Summus Pontifex reprobauit, reprobant communiter DD.

20 POSSE sumi modicum quid vna, vel altera vice ad quantitatem mediæ vnciæ, ab illo, qui per diem bibit, ne potus illi noceat absque fractione Ieiunij, & TVTA CONSCIENTIA, tenet Diana *part. 10. tract. 14. resol. 59. in fine*. Vbi alios pro se citat; Quia hæc tantummodò quantitas regulariter loquendo, sufficiens videtur, vt mista potui in sto-

macho, impediat nocumentum ipsius, dixi in prima, vel altera vice, nam si prædictus modicus cibus pluries sumeretur, & sic deueniretur ad notabilem quantitatem, ieiunium frangeretur, & consequenter, vt supra diximus moraliter peccaretur, & contrarium asserere, prohibitum fuit sub pęna excommunicationis, vt diximus.

21 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, nec prædictum modicum cibum sumi in die ieiunij, ne potus noceat, quando quis certus esset, quod minimè ei potus absque cibo noceret, ait Leand. supra cit. & benè *loc. cit. quæst.* 13. quia ideo solum est licitum aliquid modici cibi ante potum sumere, ne hic noceat stomacho, ergo cum tale nocumentum non timeretur, non erit licitum, cùm cesset causa, per quam licitum erat.

22 POSSE sumi per modum medicinæ extra consuetam refectionem aliqua electuaria, vel aliquid aliud, nimirum bellaria, fructus, panem, & huiusmodi, docent communiter DD. omnes inter quos D. Thom. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 6. *ad* 3. Vbi Sanctus Doctor hæc docet. Ad Tertium dicendum, quòd electuaria, etiam si aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Vnde non soluunt ieiunium, sicut nec aliarum medicinarum sumptio, nisi forte aliquis in fraudem, electuaria in magna quantitate assumeret per modum cibi, quam sententiam secutus est Lessius. *Lib.* 4. *de iustit. & iur. cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 10. & est commun. quia Ecclesia non prohibet per præceptum Ieiunij, ea, quæ ordinantur ad reparandam sanitatem corporis, sed supradicta in die ieiunij sumpta ad talem

finem

finem deseruirent, ergo, &c.

21 POSSE etiam, ieiunantem ad subleuandam debilitatem stomachi, vel capitis, manè modicum ientaculum sumere; affirmat Sanchez *Lib.5.cons.1.capit.1.dub.* 22. *num.* 8. & est comm. quia stante supradicta debilitate, id quod sumitur ad subleuationem eius, habet rationem medicinæ, ergo non frangit ieiunium, nec etiam peccatum veniale committitur, nisi ali .s cibus, qui sumitur, (vt benè notat Leand. *loco supra citato quæst.* 19.) non sit notabilis quantitatis, excedens notabiliter necessitatem naturæ, nam hæc debet esse mensura quantitatis cibi, vt per modum medicinæ licitè sumi possit.

22 TAM Concionatores, quàm Cantores, seù Musicos insignes posse dum ieiunant, aliquid cibi primo mane sumere ad conseruandam vocem, docent quamplurimi DD. inter quos Sanchez *Lib.5.cons.moral.cap.1.d.22: nu.* 7. & est communis; quia præceptum ieiunij non impedit ea, quæ sunt necessaria pro exercendo munere ipsorum ieiunantium, ergo licitè possunt à supradictis sumi ea, quæ necessaria sunt pro conseruanda eorum voce.

23 POSSE in die ieiunij sumi parum cibi, casu, quo prandium valdè sit differendum, & sic licitum esse maximè inseruientibus mensis sæcularium, & etiam Religiosis inseruientibus primæ mensæ, sicuti etiam legentibus ad mensam, non solùm modicum cibi sumere, antequam seruiant, vel legant, sed etiam in quacumque quantitate; docent multi apud Dian. *part.* 10. *tract.* 14. *resol.* 61. quia prædicta sumptio cibi est inchoatio prandij futuri post seruitium, vel lectionem, ergo cum eadem comestio sit moraliter vna cum sequenti, nihil refert

quod id, quod sumitur antè; in parua, aut magna quantitate, sumatur.

24 POSSE te sumere quodcumque genus cibi, & in quacumque quantitate, ante prandium, hoc est per quadrantem, cum dimidio, antequam plenè te reficias, docent Diana *part.10.tract.14.resolut.61.* & plures alij cit. à Leand. *loc.cit.quæst.29.* quia illa comestio, seu sumptio cibi anticipata, per hoc breue tempus, nimirum per quadrantem cum dimidio, vnam, & eamdem facit moraliter comestionem cum prandio, Ergo erit licita, & poterit fieri, TVTA CONSCIENTIA, & sine fractione ieiunij.

25 SIC etiam, si surrexisti à mensa, animo non redeundi, posse te, TVTA CONSCIENTIA, mutata intentione, redire ad comedendum, etiam post quadrantem cum dimidio, tenet noster P. Filliucius, *Tom.2.tract.27.part.2.cap.2.quæst.10.num.41.* vbi docet, quod si quis rediret ad prandium intra breue tempus, nimirum post quadrantem horæ, vel paulò magis, probabile est in tali casu non frangi ieiunium, quia reputatur vnica comestio moraliter; quam doctrinam docuit etiam Tamb. *Li.4.in dec.cap.6.§.3.n.16.* quia licet proposueris amplius non comedere, potes tamen licitè redire ad comedendum de eodem prandio, cum moraliter etiam duret post interruptionem supradictam, & post illud breue tempus quadrantis cum dimidio, nam in tali casu esset redire ad idem moraliter conuiuium.

26 TE non frangere ieiunium; si coactus ab aliquo negotio, interrumpis per breue tempus prandium, puta per horam, aut etiam duas, vt docent Leand. *loco citato*, & Less. *Libr.4. capit. 2. num. 11. verb. Infertur 4.* Diana

part.

part. 10. *tract.* 14. *resolut.* 62. & alij quamplures: quia interruptio prandij ob aliquod negotium superueniens, non constituit duplex prandium, ergo non frangit ieiunium, qui illud interrumpit. Si verò protraxeris interruptionem supradictam per longius tempus, & sufficienter comedisti ad tolerandum ieiunium, Te non posse, sine fractione ieiunij, & violatione illius redire ad comedendum, docent Leand. *loco citato quæst.* 33. & Azor. *lib.* 9. *capit.* 9. Diana *part.* 1. *tract.* 9. *resol.* 32. & alij quamplures, quos ipse citat, & sequitur, quia supradictum longius tempus, duarum horarum, in hoc casu, in morali æstimatione, sufficientissimum videtur, ad diuidendas omninò illas comestiones, & consequenter ad violandum ieiunium, & sic Lessius *Lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. *n.* 11. asserit, quod qui ante iustam refectionẽ a vocatur, potest absoluto negotio, eum perficere, donec satis habeat, nam ex intentione censetur vna solùm refectio; secus si satis sũpserat, & surrexerit animo non redeundi, nisi forte prandium ad huc duraret, tunc enim si mutata intentione, rediret ad conuiuas, à quibus recesserat, non censetur bis prandere, nam verè est vnicum prandium.

27 POSSE te, TVTA CONSCIENTIA, ob aliquam causam manè, vel hora prandij, sumere collationem, & sero postea cænare, & prandium sumere, docent comm. DD. Teste Leand. *loco citato quæst.* 39. & 40. quam sententiam sequitur Diana, qui multos citat *loc. cit. resol.* 33.

28 QVOD si hoc facias, absque iusta causa, te non peccare nisi venialiter, docent Filliuc. *To.* 2. *par.* 2. *ca.* 2. Diana, *loco citato*, & alij quamplures; quia per hoc quod manè, vel hora prandij

capias collationem, & vesperi cænes, nullo modo violas substantiam ieiunij, cum ieiunium costet ex vnico prandio, & vnica collatione hisce nostris temporibus, ergo solum inuertis ordinem, & consequenter solùm venialiter peccas.

29 TE posse etiam absque peccati mortalis labe, anticipare horam comedendi, etiam notabiliter, docent plusquam 40. DD. teste Leand. *loc. cit. quæst.* 8. quia hora sumendæ refectionis non est de essentia, seù substantia ieiunij, vt supponunt supradicti DD. sed tantum quædam illius circumstantia, & conditio; ergo illam violare, erit tantùm venialiter peccare.

30 ET sic si anticipes per vnam integram horam sumptionem prandij, seu cænæ absque vlla causa, te non peccare, nisi venialiter: asserit Diana *part* 1. *tract.* 9. *res.* 27. qui quamplures DD. pro hac sententia citat. Quia hæc anticipatio, non est nisi mutatio accidentalis ieiunij, adeoque non est nisi culpa venialis.

31 NEC venialiter autem te peccare, si anticipes notabiliter horam præfixam ad comedẽdum ex iusta causa, docent Lessius *Lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 12. Diana *part.* 1. *tract.* 9. *resolut.* 27. *ver. notandum*, & quamplures alij. Quia cum obligatio non anticipandi notabiliter horam prandendi, non respicit substantiam, sed circumstantiam ieiunij, vt innuimus, poterit absque vlla culpa violari, quando id exigit rationabilis causa.

32 COMPLENTEM 21. annum, postquam iam incæpit dies Ieiunij, non teneri ad Ieiunium in illa die, aio cum Diana *part.* 1. *tract.* 9. *de Ieiun. resolut.* 49. & alijs, quia præceptum Ieiunij respicit totum integrum diem, vt obiectum indiuisibile, non autem partem,

ergo,

ergo, qui deobligatus fuit à Ieiunio per aliquam partem diei, totaliter liberatur illa die, ab onere Ieiunij.

33 SIC, etiam dubitantem, an compleuerit annum 21. non teneri ad ieiunium; affirmo cum Sanchez *Lib. 2. de Matr. dist. 41. num. 38.* Fagundez de *4. Prac. Eccl. lib. 1. cap. 8. num. 7.* & alijs quamplurimis, quia in dubio melior est conditio possidentis, at in hoc casu possessio est pro libertate, non pro præcepto Ieiunij, cum de eo dubitatur, facta morali diligentia, vtrum hic, & nunc obliget nec ne? ergo, &c.

34 ÆTATEM sexagenariam liberare omnino senes, etiam fortes, & robustos ab obligatione Ieiunij; affirmo cum Diana *part. 1. tractat. 9. resol. 20.* qui dicit hanc esse sententiam fere omnium DD. quia ætas sexagenaria est ætas ex se senilis, sed sic est, quod ætas senilis excusat, in omnium opinione, à lege Ieiunij, ergo ætas sexagenaria liberat à Ieiunio omnes senes, etiam fortes.

35 DEBILEM habentem stomachum, ita vt statutis horis, nequeat debitam quantitatem cibi sumere, excusari à Ieiunio; affirmo cum Sanchez *Lib. 5. Cons. cap. 1. dub. 14. num. 11.* Sylu. *verb. Ieiun. quæst. 9.* & alijs quamplurimis; quia iste talis, si vellet ieiunare, aut se exponeret euidenti periculo morborum, grauando stomachum cibo multo sumpto in vnica comestione, aut se defraudaret necessario alimento ad commodam nutritionem.

36 NON teneri ad Ieiunium illos infirmos, quibus dieta, seu Ieiunium prodesset, teneo cum Sanch. *lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 14. num. 2.* & alijs, quia infirmitas per se ponit corpus in tali statu, vt indigeat subleuamento, & consequenter per se liberat ab obligatione Ieiunij,

nij, & per accidens est, quod dieta, aut Ieiunium prosit.

37 EXCVSARI etiam à Ieiunio illos, qui nisi cænent, non possunt dormire; assero cum Diana *part. 1. tractat. 9. resol. 51.* & Fagundez in 4. *Præcep. Eccles. cap. 8. num.* 13. qui multos alios citat, & sequitur; Quia subtractio somni infert damnum notabile corpori, at præceptum ieiunij non obligat cum damno notabili, ergo, &c.

38 NON esse necessarium, vt tales deobligentur à lege Ieiunij, quod per totam noctem dormire nequeant, sed sufficere, quando non possint dormire per notabile spatium noctis, vt eximantur à lege Ieiunij; affirmo cum Leand. *loco citato disput.* 8. *quæst.* 18. qui pro se citat alios. Quia subtractio somni per notabile spatium noctis, facit, quod corpus non possit percipere debitam restaurationem, & refectionem viriũ, pro qua somnus est à natura datus, vnde notabiliter læderetur, ergo, &c.

39 NEC teneri manè collationem sumere, & differre cænam ad noctem, qui non possunt dormire, aut calefieri, nisi cænent; teneo cum Fagundez 4. *Præc. Ecclesiæ lib. 1. cap. 8. nu.* 19. Diana *part. 1. tract. 9. resol.* 52. Filliucio *Tom. 2. tract. 29. cap. 6. num.* 130. & alijs; Quia quilibet habet ius ad sumendam principalem refectionem in meridie in die Ieiunij, ergo nullus tenetur se priuare hoc iure, vt ieiunet.

40 NON teneri ad ieiunium dispensatum ad vescendum carnibus, in illis diebus, in quibus pro libito suo, non vult eas comedere: assero cum Sanchez *Lib. 5. cons. cap. 1. dis.* 30. *num.* 3. Diana, *par.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 189. & alijs, quæ doctrina intelligenda est in eo casu, in quo talis dispensatus indigeat secunda comestione,

stione, quia per dispensationem ad esum carnium, tollitur obligatio abstinendi à carnibus, & simul tollitur obligatio abstinendi à pluribus refectionibus; ergo tollitur obligatio ieiunandi, & sic si dispensatus non vult, aliquo die comedere carnes, non tenebitur ieiunare, cum non sit à quo ponatur talis obligatio, quæ iam sublata fuit per dispensationem; quæ cum fuerit absoluta, & non conditionata, habito respectu ad indigentiam dispensati si vtatur carnibus, nõ reuiuiscit ex eo, quod eis non vtatur.

41 PAVPERES non habentes sufficientem cibum pro vnica refectione, non teneri ieiunare; affirmo cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 4. *ad quartum* cum multis alijs, qui ex D. Thom. docent id ipsum, quia pia mater Ecclesia non vult obligare suis præceptis ad id, quod nimis onerosum est.

42 NON teneri ieiunare famulos, quibus statuta est à dominis tenuis portio, nec possunt aliunde sibi prouidere vnicam comestionem sibi sufficientem, docet Leand. *loc. cit. quæst.* 46. qui alios citat; quia in isto casu comparantur pauperibus, qui non habent congruam refectionem.

43 NON teneri coniuges ieiunare, quando ieiunium impedit ne sibi inuicem reddant debitum; assero cum Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 3. num.* 10. Lessio, *Lib. 4. cap. 2. nu.* 44. & quampluribus, quia præceptum reddendi debitum, est præceptum iustitiæ, naturale, & diuinum; ergo anteponendum est præcepto ieiunij, quod est humanum pertinens ad temperantiam.

44 VXOREM excusari à ieiunij præcepto, si illud exequendo orirentur rixæ inter ipsam, & virum; assero cum Sanchez, *Lib. 9. de Matrim.*

disp.3. vbi quamplures alios citat; quia præcepta positiua Ecclesiæ non obligant cum tanto dispendio, qualis est fractio charitatis inter vxorem, & virum.

45 FÆMINAS prægnantes, & lactantes, non teneri ad ieiunium, etiam si sint robustæ; ita vt vnica refectione possint se ipsas, & filios substentare; affirmo cum comm. DD. quia attenditur ad ea, quæ solent frequenter accidere *l.ex his, & l.sequenti*, non ad ea, quæ raro. *ff. de l.* Ergo cum prægnantes, & lactantes, vt plurimum non possint ieiunare absque præiudicio infantuli, vt vsus Ecclesiæ approbat, omnes debent, aut possunt vti eodem fauore.

46 EXERCENTES artes laboriosas, qui vt patet excusantur à ieiunio, si ita sint robusti, vt simul possint ieiunare, & artes laboriosas exercere; ad id non teneri; affirmo cum Leandro *loc. cit. quæst.*51. qui citat, & sequitur Pasqu. *decis.*290.*num.*4. quia absolutè lex ieiunij non obligat exercentes artes laboriosas, vt declarauit Eugenius IV. & sic si aliquis inueniatur ita robustus, vt possit simul exercere illas, & ieiunare, est per accidens, at ad ea quæ de rarò contingunt non respicit lex, vt diximus suprà.

47 HVIVSMODI exercentes laboriosas artes illis diebus quibus non laborant, excusari à ieiunio; affirmo cum Fagundez, *Lib.*4. *in* 4. *Præcep. Eccl. cap.*8. *num.*16. Diana, *part.*1. *tract.* 9. *resol.*9. & aliis; quia præfati in illis diebus, in quibus non laborant, nimirum in vno, vel altero die (nam si cessatio à labore esset longior tenerentur ieiunare, vt aduertit bene Sanchez) censentur remanere ita defatigati, vt non possint absque graui incommodo ieiunare.

48 SVTORES calceorum non teneri ad ieiunan-

nandum; affirmo cum Less. *lib.4. cap.2. dub.7. num.43.* Fagundez in 4. *Prac. Eccl. lib.1. cap.8. num.15.* & quamplurimis alijs; quia quamuis sutores prædicti laborent sedendo, tamen adhibent magnum conatum manibus, brachijs, cruribus, & pedibus ad consuendum calceos, vnde magnus est indicandus eorum labor.

49 NEC teneri incidentes calceos, seù pellem, quæ deseruit, vt ex illa conficiantur calcei, si per totum diem, non verò per partem tantùm diei in tali exercitio laborent, quia tunc labor, ratione durationis, & continuationis esset magnus, atque generans notabilem lassitudinem, vt docet Sanchez *Lib.5. cons. cap.1. dub.6. num.5.* qui *loc. cit.* aduertit, quod quando Confessor non nouit quantus sit labor alicuius artis, debet interrogare ab ipso pœnitente, & si ipse dixerit, quod habet tantum laborem, sicut faber lignarius, aut aliud officium, de quo scit Confessor, quod excusat, potest illi dicere non teneri ieiunare.

50 EXIMI etiam Sculptores, & Argentarios fabricantes supellectilem argenteam, aut auream cum Azor. *Lib.7. cap.17. quæst.18. §. quares.* Fagundez *loc. cit. num.16.* & cum communi, ratio primæ partis est, quia si pictores, vt diximus, eximuntur; à fortiori eximuntur sculptores, cum eorum maior sit labor; pro secunda est, quia ars, & exercitium argentariorum, ex vsu mallei, & limæ, & ex diuturnitate, & mentis attentione, fit maximè laboriosum, & proinde incompatibile cum Ieiunio.

51 SICVTI etiam excusari quoscumque textores; affirmo cum Azor. *Lib 7. Instit. moral. cap.17. quæst.8.* qui pro se multos alios citat, quia horum exercitium est valdè laboriosum, cum requirat magnam exercita-

tionem brachiorum, &c.

52 SIC Pistores, & Coquos, qui per totam diem, aut maiorem partem illius laborant, non teneri ad legem Ieiunij, docent Fagundez *l.c.c.8.n.*16. & quamplures; Quia horum exercitium est valde laboriosum; ergo, &c.

53 NON solum Typographi tractantes Torcular, sed etiam Compositores Characterum exemptos esse à lege Ieiunij, si per totum diem componant, docent Diana *Part.*8. *tract.*7. *res.* 56. Leand. *Tract.*5. *disp.*8. *quæst.*88. Quia dicti Compositores Characterum, verè veniunt nomine Artificum, & sic tamquam; tales ex declaratione Eugenij IV. eximuntur à lege Ieiunij, tum quia huiusmodi labor per totum diem, verè censetur notabilis, & grauis, adeoque excusans à lege Ieiunij.

54 ITER pedestre facientes excusari è Ieiunio; assero cum S. Thoma 2.2. *quæst.*147. *art.*4. *ad* 3. Azor. *Part.*1. *lib.*7. *capit.*17. *quæst.*9. vbi docet quod adhoc, vt tale iter excuset à Ieiunio oportere, vt illud compleat quindecim, aut viginti milliaria italica, Sanchez *Lib.*5. *cons. capit.*1. *dub.*10. *num.*1. est pro eadem sententia, quia iter pedester valde debilitat, & lassat; ergo.

55 EQVITANTES non teneri ad Ieiunium, si equitent per plures dies, vel iter sit nimis longum; assero cum Diana *Part* 8. *Tract.*7. *res.*4. Layman *lib.*4. *tract.*8. *cap.*3. *num.*3. Sunt etiam plures alij in hac sententia, & speciatim Trullench, qui quamquam dicat in *Tom.*1. *Decal. lib.*3. *cap.*2. *dub.*7. *num.*12. quod illi qui equestre iter faciunt, communiter non eximuntur à ieiunio, præsertim si tempus longum non sit, vt si tantum sit sex, aut octo dierum, nam possunt manè sumere refectiunculam, dilata

cæna

cæna in Vesperam, nisi aliquis ex complexione particulari contrahat tantam lassitudinem in equitando, vt commodè ieiunare nequeat, & post pauca subiungit idem Trullench, quod generaliter excusari possunt omnes, qui officio suo fungi nequeunt cum ieiunio; & denique idem Trullench asserit ex Filliucio, quod idem asseri possit de itinerantibus in curru, vel lectica; si enim longum sit iter, solet inducere debilitatem, currus enim valdè concutit, ac defatigationem inducit, nisi valdè commodus esset, ita vt nulla, vel valdè modica defatigatio contingeret. Longa autem equitatio excusat, quia in ea equitans, valde defatigatur ex agitatione equi, & longitudine itineris, quæ maximam molestiam affert itinerantibus, vt experientia constat.

56 EXIMERE ab obligatione Ieiunij laborem ingenij, dummodò sit magnus, teneo cum Lessio *Lib.4.cap.2.dub.5.nu.43.* Layman *lib.4. tract.8.cap.3.num.3.* qui etiam alios citat, quia labor magnus ingenij, nimis solet corpus affligere, vt constat ex ijs, qui continuò incumbunt studijs; Ergo tunc erit sufficientissimus ad eximendum ab obligatione Ieiunij.

57 CONCIONATORES, etiam si solum quater, aut ter in Hebdomada concionentur eximi à lege Ieiunij; affirmo cum Sanchez *lib.5. Cons.cap.1.dub.13.num.6.* Diana *par.10.tract. 11.resol.32.* & quampluribus alijs; quia debent conseruare vires, & robur ad commodè, & vtiliter prædicandum, quod ieiunando malè possunt præstare.

58 CONFESSARIOS, Aduocatos, Medicos, Chirurgos, Lectores, Procuratores, Scholasticos, & similes, per se teneri ad legem ieiunij, comm. asserunt DD. nam per accidens ali-

aliquando excusari posse aiunt ijdem, nimirum quando ex ieiunio grauiter debilitarentur eorum vires, ut minimè, suis officijs satisfacere possent, tunc enim debere illi concedi immunitatem à ieiunio, non est qui rationabiliter contradicere possit, nam ut ait Tamb. in *explicat. decalog. lib. 4. c. 5. §. 7. nu. 25.* loquendo de Aduocato, lectore, & Confessario, qui nisi alimento se recreent, suis clientibus, Auditoribus, pœnitentibus facere satis non possunt, dicit; Non ne, etsi per accidens, ijs ieiunij immunitatem concedes? hæc ille, & Trull. vt sup. dixi.

59 SENTIENTES magnam difficultatem in ieiunando, si hoc proueniat ex aliqua vitiosa consuetudine gulositatis, nullo modo eximi à ieiunio, si verò difficultas in ieiunando proueniat ex naturali conditione, nimirum ex nimio calore naturali, causante quamdam naturalem voracitatem, cui valde difficile est resistere, tunc verè excusari à lege ieiunij; docet Leand. *loc. cit. disp. 8. qu. 140.* Ratio est, quia in priori casu illa magna difficultas assiduitate, & perseuerantia vincitur, at in secundo ieiunium non obligat cum tanto incommodo.

60 LICITVM esse ieiunium voluntarium soluere propter hospitem aduenientem; assero cum D. Prospero *Lib. 2. de Vita Contemplat. cap. vltimo.* Fagundez, *de 4. Praecept. Eccl. lib. 2. cap. 10. num. 20.* quia illa comestio cum hospitibus est actus charitatis, quæ cũ sit perfectior quàm virtus abstinentiæ; hæc illi postponenda est.

61 LABOREM voluntarium non posse TVTA CONSCIENTIA, assumi in diebus ieiunij, cum quo sit incompatibile ipsum ieiunium, & multò minus laborem ordinatum ad aliquem malum finem assero cum Sanchez *Lib. 5. cons.*

cap. 1.

cap.1.dub.7.num.18. & multis alijs, quia dum vrget præceptum, obligor non apponere impedimenta ad illud obſeruandum, & ſic *loc.cit.* inquit idem Sanchez; Hinc infertur, quod magnates vel equites, qui in diebus ieiunij, ut in Quadrageſima, uel extra, aſſumunt aliquèm laborem incompatibilem cum ieiunio, recreationis gratia, v.gr. ludunt pila, eunt ad venandum per totum diem, recreationis, vel exercitij gratia, vel quia rogantur ab amicis, exercent ſe in ludo haſtarum, propter quod non poſſunt ieiunare, dico, quod ſi id faciunt ſemel, & iterum, & non in fraudem ieiunij, non peccant aſſumendo talem laborem, licet præuideant, quod non poſſunt ieiunare, ſi autem frequenter id facerent, non excuſarentur; ſed peccarent contra legem ieiunij.

62 TENERI Patrem familias compellere filios ſub ſua cura conſtitutos, ad ieiunandum, quando dum poſſunt nolunt ieiunare, & conſequenter denegando eis cænam; aſſero cum Sanchez *Lib.5 cap.1. dub.17.nu.8.* quia Parentes tenentur educare filios in diſciplina, & correctione Domini, ut ait Apoſt. *ad Eph.6.* Ergo tenentur, quantum in ſe eſt, cohibere eos à peccato, & facere, vt ſeruent ieiunium, negando eis cænam, quod tamen non dicit de famulis, quibus nolentibus ieiunare, poſtquam eos admonuerit ut ieiunent, poteſt dare cænam, quia domini non habent curam ſpiritualem ſuorum famulorũ, vt habent Epiſcopi, &c.

63 NON poſſe, TVTA CONSCIENTIA, miniſtrari cænam in die ieiunij amico hoſpiti, aio cum Leſsio *Lib.4. cap.2. dub.3.num.21.* Fagundez, *in præcep. Eccl. lib.1.cap.10.num.12.* & alijs quamplurimis, quia hoc eſset coperari ad peccatum alterius.

64 NON

64 NON excusari absolutè à præcepto ieiunij, omnes, illos, qui iter agunt equitando, vtcumque iter agant, etiam si iter necessarium non sit, & etiam si iter unus diei conficiant; affirmo cum comm. DD. & sententia contraria damnata fuit tanquam temeraria ab Alex. VII. anno 1666.

65 PROPOSITIONEM illam, in qua docebatur, quod omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunij, nec debere se certificare an labor sit compatibilis cum ieiunio, idem Sum. Pont. prædicto anno tanquam scandalosam, & temerariam damnauit.

66 SIMILITER, & illa alia, in qua docebatur, non esse euidens, quod consuetudo, non comedendi oua, & lacticinia in Quadragesima obliget, ab odem Summo Pontifice, eodem anno, prohibita, & reprobata fuit.

CAPVT XXIX.

INDVLGENTIÆ.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad hanc materiam.

1 NON requiri in suscipiente Indulgentias, quod pro toto tempore, quo fiunt omnia opera præscripta ad consequendas ipsas Indulgentias sit in statu gratiæ, sed sufficere esse in gratia, tempore operis finalis, quo posito, conceditur effectus Indulgentiæ; docent Henriqu. *Lib. 2. cap. 9. nu. 5.* & multi alij ad numerum plusquam 20. quos citat, & sequitur Leand. *Tr. 5. cit. qu. 41.* quia hæc

hæc est intentio Pontificis, vt docet Praxis Ecclesiæ, dum videmus præmitti ieiunia ad confessionem, & communionem.

2 SI præcipiatur, ad consequendam Indulgentiam, eleemosyna, & illam Dominus daret famulo, vt eam elargiatur pauperibus: famulo eam non elargiente, Dominum Indulgentiam non lucrari, docent Bonac. *disput.6.de Indulgent. quæst.* 1.*punct.* 5.*num.* 22. & multi alij, quos ipse citat, & sequitur; quia in actu hic talis non prestat opus iniunctum ad consequendam Indulgētiam, quod tunc solùm præstaretur, quando esset translatum dominium eleemosynæ in pauperem, quod in casu nostro non est translatum, vt supponimus; ergo &c.

3 NON esse faciendam hanc eleemosynam secundùm qualitatem personæ, sed sufficere quamcumque eleemosynam minimam, & paruam, etiam à persona diuite datam, ad lucrandam Indulgentiam, dicit Diana 5.*part. tract.* 12.*resol.*14. qui quamplures alios pro se citat, quia hoc sufficit ad verificandam exequutionem operis talis iniuncti.

4 POSSE dari hanc eleemosynam, etiam die Dominico vltimo, & post Communionem, docent Diana 5.*part. tract.*12.*resol.*31.*in fine, vers.dico quarto*, & alij quamplures, quos citat, & sequitur ipse Diana, qui dicit ita fuisse declaratum à Gregorio XIII. teste Leone *de Iubil.par.2.quæst.*14.*sect.*6.*num.*174.

5 NON sufficere ad lucrandum Iubilæum dare eleemosynam ei, cui aliàs debetur ex alia obligatione, affirmo cum Cardinali de Lugo *disput.* 27. *de Sacramento Pœnitentiæ num.* 110.*pag.mihi* 622. Quia quamuis, vt docet ipse Lugo *loco cit.* satisfiat Iubilæo per ieiunium debitum aliũde ex voto, v.g. vel ex præcepto,

vti

vti constat ex vsu Ecclesiæ, sæpè enim promulgatur Iubilæum in Quadragesima, vel quatuor Temporibus; non potest tamen satisfacere eleemosynæ requisitæ ad Iubilæum, qui pauperi daret, id quod aliunde ei debet, quia ista talis solutio debiti destruit essentiam eleemosynæ; obligatio verò voti, vel præcepti non destruit essentiam ieiunij.

6 Lucrantem Indulgentiam Plenariam, liberum manere à pœnitentijs iniunctis à Confessario, nec teneri eas adimplere; assero cum D. Thoma, D. Bonauentura, Syluest. Nauar. Cardin. de Lugo, Suarez, & quamplurimis alijs citatis à P. Mendo in *Epitom. verb. Indulgent.* quia per eam Indulgentiam remittitur tota poena debita pro culpa, quam quis ritè confessus est, & sublato debito pœnæ tollitur fundameutum obligationis implendi pœnitentias.

7 Orationem, quæ in communi requiri solet ad lucrandas Indulgentias, posse esse vocalem, vel etiam solam mentalem, & sufficere bis, vel ter orationem Dominicam, & salutationem Angelicam recitare, si est oratio vocalis; quod si sit mentalis sufficere id temporis in ea insumere, quod in vocali esset insumendum; affirmo cum P. Mend. *in Epitom. verb. Indulgent.* qui multos alios pro se citat. Ratio prioris dicti est, nam non exprimitur debere esse vocalem; & aliunde valet Pontifex concedere Indulgentias orantibus mentaliter, sicut de facto concedit examinantibus suam conscientiam, vel inuocantibus nomen IESV in hora mortis, etiam si hoc faciant tantùm in corde suo. Posterioris autem ratio est, quia cùm non assignetur tempus, quod insumendum est in orando, videtur sufficere quælibet oratio,

etiam

etiam si fiat per modicum tempus ; ita etiam Diana 5.*part. tract.*12.*resol.*44. quoad primam partem conclusionis, quem etiam sequitur Lugo *disp.*27.*num.*111.

8 Propositionem illam, in qua asserebatur Indulgentias concessas regularibus, & reuocatas à Paulo V. hodie esse reualidatas, Alexander VII. foel. record. declarauit esse falsam, & temerariam, adeòque nullo modo posse teneri, & defendi.

9 INDVLGENTIAS, quas hic subscribo, vel esse apocriphas, vel reuocatas, vel nullas, assero ex decreto Sacræ Congregationis emanato die 7. Martij 1678. quales sunt.

10 IN primis, quæ asserebantur concessæ à Ioanne II. & Sixto IV. recitantibus orationem charitatis Iesu Christi Domini nostri, quæ incipit: *Prec or te pijssime Domine*, nullas esse constat ex decreto emanato à Sacra Congregatione præposita Indulgentijs, & Sacris Reliquijs, annuente Sanctissimo Domino Nostro Innocentio XI. anno 1678.

11 NECNON & illas, quæ asserebantur concessæ ab Eugenio III. reuelationi factæ Sancto Bernardo de Plaga in humero Iesu Christi.

12 EAS etiam, quæ dicebantur concessæ à Ioanne XXII. osculantibus mensuram plantæ pedis B. Mariæ Virginis.

13 SICVTI & illas, quæ asserebantur concessæ à Leone X. gestantibus funiculum S. Francisci, primùm in Vrbe impressæ, deinde Mediolani anno 1665. Habere tamen suas veras Indulgentias, eadem Sacra Congregatio declarauit Confratres Archiconfraternitatis Chordigerorum S. Francisci.

14 SICVTI illas etiam concessas à Pio IV. vel Pio V. Principibus Senorum recitantibus Saluta-

lutationem Angelicã adpulsum horologij, & imagini Conceptionis B. Mariæ Virginis in circulo depictæ, cuius pedibus Luna subiecta est.

15 Concessæ à Clemente VIII. dicentibus orationem, quæ incipit: *O magnum Mysterium, &c.* Et Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, quam vocant Montis Serrati, impressæ Auenione, tum aliæ pro animabus Christifidelium Defunctorum impressæ Matriti 20. Iulij 1606.

16 TVM concessæ à Paulo V. canentibus hymnum: *Te Matrem Dei laudamus, Te Mariam Virginem confitemur, &c.* vel si in die Sabbati interuenerint dum idem cantatur. Et Coronis, Rosarijs, Imaginibus, & Numismatibus, quæ Medallias appellant, ab eo benedictis, Federico Cardinali Borromæo supplicante, anno 1611. dum Ecclesia Romæ in honorem Sancti Caroli ædificaretur.

17 Concessæ ab eodem Paulo, & Gregorio XV. dicentibus: *Sia lodato il Santissimo Sagramento;* Laus Sanctissimo Sacramento.

18 CONCESSÆ, vt dicunt, ab Vrbano VIII. in honorem eiusdem Sanctissimi Sacramenti precibus Cardinalis Magalotti: & Sacerdotibus celebrata Missa, dicentibus: *Aue Filia Dei Patris, Aue Mater Dei Filij, &c.*

19 CONCESSÆ, vt aiunt, à Clemente X. recitantibus mane, meridie, & vespere consuetam Antiphonam: *Angelus Domini, &c.* & in fine, *Deo gratias, & Mariæ.*

20 AC demum aliæ à nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, vt aiunt, Coronis mysteriorum Passionis Domini nostri Iesu Christi ad preces Magni Ducis Etruriæ. Hæ omnes, & singulæ declaratæ fuerunt à Sacra Congregatione nullius roboris, & momenti.

21 SIC VTI etiam eiusdem generis esse declarauit

rauit Indulgentias concessas, vel gestantibus funiculum S. Francisci de Paula, vel celebrantibus Missas S. Augustini, aut alias quinque in honorem quinque festiuitatum Beatæ Virginis, vel recitantibus officium S. Franciscæ Romanæ, aut Antiphonam, quæ incipit: *O Passio, &c.* in memoriam Passionis Iesu.

22 ITEM concessas recitantibus Rosarium Sanctæ Annæ, quod Rosarium prohibuit Sacra Rituum Congregatio.

23 VEL recitantibus orationem, quæ cum imagine Sanctæ Annæ circumfertur, quæ incipit: *Aue gratia plena, &c.* quæ prohibita etiam fuit recitari.

24 VEL recitantibus officium Beatæ Virginis Immaculatæ, quod asserunt à Paulo V. probatum fuisse.

25 AVT recitantibus orationem, quæ incipit: *Deus, qui nobis in Sancta Sindone, &c.* Excipitur tamen Indulgentia centum dierum anno 1671. concessa precibus Ducissæ Sabaudiæ ad annos 25. cunctis in illa ditione degentibus.

26 AVT recitantibus aliam orationem, quæ incipit: *Aue Filia Dei, &c.* recitandam post Communionem, vel aliquo conspicuo signo venerantibus Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramenti nomen.

27 EIVSDEM generis esse declarauit eadem Sacra Congregatio Indulgentias octoginta millium annorum veteri in tabula conscriptas, quam in Basilica Lateranensi affirmant asseruari pro dicentibus illam orationem, quæ incipit: *Deus, qui pro redemptione Mundi, &c.* Quæ quidem oratio non solùm non fuit improbata, sed piam esse declaratum fuit ab ipsa Sacra Congregatione.

28 TA-

28 TALES esse, etiam declarauit illas, quæ compositæ fuerunt Papiæ anno 1670. sub hoc titulo: *Sommario dell' Indulgenza concessa dalla Santità di N. S. Papa Leone X. alla Imagine della Concettione della Gloriosa Vergine Maria.* Sicuti etiam illas alias Pisauri, sub nomine Beatæ Ioannæ anno 1608. euulgatas; vel Barlettæ, seu Baruli, à recitantibus quasdam, non sanè m las orationes (vt ait ipsa Sacra Congregatio in supradicto decreto) lucrandas, vel Parmæ, à visitantibus per Quadragesimę dies, Ecclesias Tertij Ordinis Sancti Francisci, vel Pistorij, & Vastallæ, à recitantibus orationem: *Aue Sanctissima Mater Dei, Regina Cœli, &c.* & alias in peculiari impresso libro descriptas, quibus frui dicebant deuotos Seraphicos, & benefactores.

29 TALES etiam esse, quæ Crucibus Carauaccensibus tributæ dicuntur, vel Coronæ, siue Stellario Conceptionis Virginis Immaculatæ, quod ex duodecim globulis Precarijs constat, vel granis, Crucibus, & Coronis Aloysiæ ab Ascensione Hispanæ, Monialis ordinis Sanctæ Claræ, vel mensuræ altitudinis Iesu Christi Domini Nostri, vel Imagini, aut mensuræ vulneris lateri eius inflicti, vel orationi, vt aiunt, in Sepulchro Domini repertæ: Et Indulgentiæ, vt aiunt, immissæ reuelationi factæ Sanctis Birgittæ, Methildi, Elisabeth, vel Beatæ Ioannæ de Cruce, & concessæ, vt aiebant granis, quæ aliquod ex tribus granis tetigerint extantibus poenes Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem Fratrum Minorum Obseruantiæ S. Francisci; omnes, & singulas supradictas Indulgentias, vt dixi, partim confictas, & planè falsas, partim Apocriphas, partim nullas

ex

ex alio capite, declarauit supradicta Sacra Congregatio, & consequenter eas publicari, vt veras vllo in loco, & lucrandas Christi fidelibus proponi prohibuit.

30 VBI etiam declarauit omnes Indulgentias concessas ante decretum Clementis VIII. die 9. Ianuarij 1597. Coronis, Rosarijs, granis, seu calculis, Crucibus, & Imaginibus Sacris, vel ante Breue Pauli V. quod incipit: Romanus Pontifex editum 23. Maij anno 1606. pro solis regularibus quarumcumque Religionum, & ordinum etiam mendicantium, vel ante constitutionem 115. Clementis VIII. cuius initium; Quicumque, &c. & 68. Pauli V. quæ incipit: Quæ salubriter, &c. habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate vlla, ordine, congregatione, Societate etiam Iesu, capitulo, vel cætu quocumque, vel ab eorum officialibus, superioribus, alijsque personis, vel persona, etiam si eorum; vel eius mentio specialis, & indiuidua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis auctoritate innouatæ, aut confirmatæ, nullius esse roboris, & momenti.

31 DECLARAVIT pariter eadem Sacra Congregatio, quod non permittebat summaria Indulgentiarum pro congregationibus doctrinæ Christianæ, Confraternitatibus Sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum nominis Dei, Rosarij, Beatæ Mariæ de Mercede, & Redemptionis captiuorum; Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, Centuriæ Sancti Augustini, & Sanctæ Monicæ, nisi Summaria ipsa non fuissent prius ab eadem Sacra Congregatione recognita; quod iam euenisse accepi à multis fide dignis, dum hæc scribebam.

32 DE-

32 DECLARAVIT insuper Indulgentias Stationum Vrbis, quæ cuilibet communicatæ fuerunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, ordinibus, aut personis solùm diebus Stationum in Missali Romano descriptis, suffragari.

33 DEMVM eadem Sacra Congregatio declarauit vnam tantùm in die Indulgentiam Plenariam lucrifieri posse concessam visitantibus Ecclesiam in certos dies, vel aliud pium opus peragentibus.

34 MVLTAS alias Indulgentias eadem Sacra Congregatio declarauit esse nullas, vt videre est in dicto decreto edito prædicto anno, annuente eodem Sanctissimo Domino Nostro Innocentio XI. quas hic non refero, breuitatis causa.

35 SI applicantur Indulgentiæ animabus Purgatorij per modum suffragij, non opus esse applicantem esse in statu gratiæ, vt prosint animabus Purgatorij; affirmo cum Suarez, Card. Bellarmino, Toleto, & alijs quamplurimis, quos citat, & sequitur P. Mendo *in Epitom. Verbo, Purgatorium*, quia cùm non relaxetur pœna, nisi remissa culpa, requiritur quidem in obtenturo Indulgentias status gratiæ, vt amoueatur obex peccati, & sic quia in prædicto casu supponitur Indulgentias applicari pro defunctis, sufficit, quod ipsi defuncti, qui consequuturi sunt eas, sint in statu gratiæ.

C A-

CAPVT XXX.

DE INIMICO.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam Casibus selectioribus pertinentibus ad hanc materiam.

1 SI inimico desideras malum, vt emendetur, vel vt tibi, vel alijs non noceat ampliùs vel vt subeat tantam pœnam, quam e recta Dei, & hominum iustitia meretur eius culpa, vel vt punitio inimici iusta, reparet ex parte, iniuriam tibi ab eo illatam, & aliquo modo, vt inquit Lessius, tibi restituatur; & compensetur honor detractus ab iniuria, tibi illata ab ipso inimico, eius iusta damnificatione, te non peccare contra charitatem, dummodò supradicti actus, ita exerceantur, vt non excurrant ad vindictam; affirmo cum eodem Lessio *Lib.2.cap.47.dub.4.num.*21.& alijs quia in supradictis actibus non desideratur malum proximo, vt illi malum, sed vt illi, vel tibi, vel alij bonum aliundè debitum, aut vt culpa non remaneat impunita, vel vt emendetur, in quo, si benè attendatur, & sincerè talis actus exerceatur, verificatur illud Bernardi *Ep.* 2. Quæ charitas piè solet sæuire, sine dolo mulcere, patienter nouit irasci, humiliter indignari.

2 SI accusas inimicum, Iudicium prosequeris, nec velis remissionem illi præstare scriptura, & ob supradicta motiua hoc facias, & non cum intentione absoluta lædendi proximum, te non peccare; affirmo cũ Lessio *loc.cit. num.* 24. Suarez, & Coninch.citatis à

Castropal. *Tom. 1. tract. 6. decis. 1. de Charitate part. 6. num.* 8. quia læsus in supradictis casibus, quod iustum est petit, dummodò non adsit scandalum, quod non aderit, si tuam intentionem palam facias. Attamen, quamquam hæc vera sint, & quod si læsus pure velit, vt publica potestas vendicet iniuriam sibi illam, & hoc ob amorem virtutis iustitiæ vindicatiuæ, & non ob propriam satisfactionem, &c. tamen hæc virtus, vt inquit idem Lessius *loco citato*, solet esse valdè parua, & multum habens de amore proprio; nec est res optimi exempli, sed valdè periculosa, & è contra in condonatione, est officium charitatis in Deum, & proximum, est imitatio Christi Domini, est consilium Euangelicum, est ædificatio proximi, est victoria sui, est fiducia per illam impetrandæ remissionis peccatorum à Deo, qui dixit: Dimittite, & dimittetur vobis, & denique est spes per ipsam condonationem lucrandi animam; Non negauerim tamen hanc rem in aliquibus casibus indigere magno consilio, & oratione, vt læsus, & seruet TVTAM CONSCIENTIAM, suam seruando leges sanctæ charitatis, & non prosequendo odio inimicos sub specie zeli, & prętextu iustitiæ vindicatiuæ, & simul non inferat damnum Reipublicæ, si ob amorem proprium, & aurum, quod illi offertur, faciat quod non puniantur delicta; quod accideret, si sicut remisit iniuriam inimico propter Dei amorē, sic etiam Iudici faciat scripturam remissionis, vnde fit, vt dixit mihi vidua cuiusdam, qui innocenter fuit occisus à perditę vitæ homine, à quo quinque alij homines occisi prius fuerant; nam dum illi persuadere conabar sic iussus à supremo Principe, vt remitteret offensionem homi-

homicidæ illi, qui iam damnatus erat ad mortem, quam non poterat euadere, nisi præcederet sua remissio, illa inter alia respondit (cordata quidem, & prudens fœmina) quod non curabat aurum, quod illi ob remissionem a me ei offerebatur, & quod interim ego aduerterē ad id, quod faciebam, dum ita efficaciter loquebar vt homicida ille patibulum euaderet, cum periculum erat, si ille viueret, vt alios deinde interficeret, vt prius fecerat, nam si prima fœmina aiebat illa, quæ fuit relicta vidua ob homicidium patratum à tali homine, non esset cooperata mediante pecunia, quam ob remissionem accepit ad liberandum illum à furca, ad quam damnatus ex tali causa fuerat, certissimè alios quinque, quos postea occidit, necare non potuisset, ad quæ quanquam alia respondi ad propositum meum, tamen illa semper repetebat, quod ego aduerterem, ad illud, quod faciebam, & quod orarem pro ipsa, & pro anima sui mortui mariti; optima quidem assertio, sed periculosa pro læso, & in facti contingentia, quidquid sit in speculatione, & intellectu, sed in praxi à Iudicibus, & à Baronibus verè semper obseruanda ob supradictam rationem, & ne sint participes peccatorum talium perditorum vitæ hominum, dum illis facilè condonando vitam, sunt occasio, quod ipsi eam adimant cæteris.

3 SI occurrentibus pluribus, inter quos est tuus inimicus, cæteros salutes inimico insalutato relicto, vel si inimicus solus occurrat, & & non salutes eum, quem prius salutare consueueras: te non esse Tutum in Conscientia, & peccare, affirmo cum communi, nam sic faciendo absque dubio præbebis fomitem odij.

4 TE verò non peccare, & esse Tutum in

Conſcientia, ſi inimicum non ſalutes in his ſequentibus caſibus; affirmo cum Hurtado de Mendoza, qui apud Dianam *part. 5. tra. 13. reſ. 89.* hæc habet: Ab obligatione ſalutandi, ſaluo primò parentem, Prælatum, Iudicem, quando ex circumſtantijs colligitur in pœnam iuſtam ab eis non ſalutari ſibi ſubiectos; ſecundò eos, qui ſine graui incommodo honoris non poſſent ſalutare inimicum; hoc tamen eſt valdè rarum. Tertiò, qui infamem accepit iniuriam, cuius æſtimatio petit auſteriorem vultum, vt ſi vocatus fuiſſes fur, Iudæus, ſodomita, tunc enim prudenter cenſetur omiſſionem ſalutationis non eſſe ex odio, ſed ex iuſto dolore, & ingenti acerbitate, quæ iuſtè adimit vrbanitatis ſigna; & vt ſit argumento non parui æſtimari, tam acerbam iniuriam. Hæc Hurtadus.

5 PECCARE mortaliter Religioſum, qui alterum Religioſum, cum quo habuit rixam intra ſepta monaſterij non ſalutat: affirmo cum communi, quia hæc omiſſio ſalutationis eſſet ſcandaloſa, tum ipſis religioſis, qui rixam habuere, tum alijs correligioſis. Si verò horum Religioſorum eſſet comperta virtus, & ſciatur rixam, & eius cauſam fuiſſe leuem, non peccare illos grauiter in omiſſione ſalutationis, quod idem poſſit dici de timoratis viris laicis, in eiſdem circumſtantijs; affirmo cum P. Tambur. *Lib. 5. in decal. cap. 1. §. 3. num. 13.* quia in ſupradicto caſu facilè poſſet iudicari omiſſionem ſalutationis non oriri ex odio graui, ſed ex leui quadam paſſione, vel in ſignificationem acceptæ leuis iniuriæ, & grauaminis.

6 SI inimicum te ſalutantem non reſalutes, tè peccare mortaliter, affirmo cum Suarez *diſ. 5. de Charitate ſect. 5. num.* 8. & alijs, quia poſita inimicitia, omiſſio reſalutationis imputatur

odio.

odio. Quod intelligendum est, vt ait Tambur. *loc. cit.* nisi salutans valdè inferior sit, vel essent aliæ circumstantiæ, ex quibus colligi facilè posset omissionem resalutationis non oriri ex odio, vel si ita distractum te simules, vt appareat te non aduertisse ad salutationem.

7 SI certò moraliter putes te salutantem inimicum, ab ipso non resalutandum, non obligaris ad illum salutandum; affirmo cum supradicto P. Tambur. *loc. cit. num.* 15. quia sic subires periculum grauiter inuehendi contra inimicum, & hæc esset occasio, & fomes maioris indignationis, & odij.

8 QVAMVIS communis DD. obliget læsum, lædenti veniam petenti, illam ei dare cum debitis circumstantijs; non esset tamen ipsum læsum obligatum, TVTA CONSCIENTIA, statim, ac iniuriam accepit veniam dare, sed post aliquod tempus elapsum, arbitrio prudentis, affirmo cum Azorio, & pluribus alijs citatis à Trullench. *Lib. 1. in Decal. cap. 5. dubit. 5. num.* 73. quia est supra humanam fragilitatem cogere læsum, non dum sedata animi perturbatione, ad positiuam reconciliationem, adeoque omissio ipsius, tunc non erit signum odij, sed indicium humanæ fragilitatis; Et ideò doctissimus Trullench. *loc. cit.* dicit: Nota tamen, quod quando dicimus nos, teneri cum inimico veniam petenti reconciliari, seu pacem componere, intelligendum esse; Primò quando debito modo veniam petit, & se legitimæ satisfactioni offert: nam vt bene Azor. *loco cit. quæst.* 7. si vel fictè, vel frigidè, vel superbè petierit, ei veniam dare minimè compellimur; Intelligendum est secundò, si sufficiens tempus ab iniuria elapsum est, nam vt docet Azor. supra cit. & cum eo Filliucius

Tract. 28.*cap.* 1.*quæst.* 9.*num.* 25. & Villalobos *sup.num.* 12. statim, vt offensio illata est non tenemur, est enim res violenta, & supra fragilitatem; recentia enim vulnera non statim sanantur, & difficile est statim noxam lædenti remittere, cum adhuc sedata animi perturbatio non sit, & recens sit iniuria, ac vulnus acceptum, consulenda tamen est, ac procuranda, tanquam res magis perfecta ad imitationem Christi, & Sanctorum. Intelligendum tertiò, ne quando maiora, & plura mala timeantur probabiliter legitimè satisfacere; deponendus tamen semper est animus vindictæ, odium, & ira. Hæc Trullench, quæ omnia aduertere debet prudens Confessarius, qui dum inter alias partes, quas repræsentat, ea maxima est, spiritualis medici; debet in facti contingentia discretè se gerere cum læso poenitente, & suauiter simul, & efficaciter vulnus recens illius animi medicari, paulatim illum inducendo, ad præstanda inimico, quæ præstanda erunt iuxta legem sanctæ charitatis, ne si statim, & importunis modis, velit eum cogere ad talia cum inimico agenda, sit causa maioris odij, & ruinæ spiritualis illius, & sic fiet, vt non rarò accidit, quod loco salutis, inferamus mortem huiusmodi spiritualis infirmitatis laborantibus, vt ipse dolens, accidisse obseruaui.

9 SI antè inimicitiam, alloqui non solebas inimicum, nèc posteà. Te teneri docent DD. sed tantum teneri illum alloqui, si prius id faciebas; affirmo cum ijsdem limitationibus, quas supra diximus de salutatione.

10 QVANDO colloquutio cum inimico debita est, siuè ad conciliandum animum inimici, siuè quia omissio illius pareret scandalum, & dubitatur, quis nam tunc eam incipere debeat;

teneri

teneri illam incipere lædentem inferiorem, prius iniuriam inferentem, & rixam prius excitantem, notabilius offendentem, etiam si fuisset in offendendo posterior; quod si æquales moraliter fuerint iniuriæ, vel omnibus prudenter consideratis, non sit maior ratio, cur vnus potiùs incipiat, quam alter, tunc vtrique incumbere, capta occasione loquutionem aggredi; affirmo cum eodem P. Tambur. *loc. cit. n.* 27. qui addit quod inter æquales ei incumbit regulariter, prius salutare, qui coram altero pertransit, quiuè de nouo accedit, non vero illi qui stat, quod obseruandum est etiam in colloquutione.

CAPVT XXXI.

DE IRREGVLARITATE.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad materiam prædictam.

1 SI, ex aliqua circumstantia delictum tuum excusabitur à peccato graui, excusari te aio ab incursione irregularitatis cum Nauarro *Summ. cap. 27. nu. 252.* Bonacin. *Tom. 1. disp. 7. quæst. 1. part. 3 nu.* 1. Vbi quamplurimos pro se citat; quia cum Irregularitas sit grauissimum malum, itemque grauissima poena, necessariò exigit defectum, & culpam grauem, alias poena excederet culpæ grauitatem.

2 SI ignores delictum, quod commisisti esse prohibitum sub pœna irregularitatis, etiam si scias, illum esse prohibitum lege Ecclesiastica, te excusari ab Irregularitate in foro Conscientiæ; assero cum Sanchez *Lib. 9. de Matri. du. 23.*

num. 21. Suario *disp.* 40. *sect.* 9. *num.* 22. Bonac. *loco cit. num.* 4. vbi multos citat, & sequitur, quia, etsi ad incurrendam pœnam non requiratur in committente delictum prohibitum sub tali pœna, consensus in pœnam ipsam, requiritur tamen consensus illius in culpam, pro vt est causa talis pœnæ, quando pœna est extraordinaria, vt est Irregularitas adde his DD. P. Mendo in *Epitom. verbo Irregularitas*.

3 CONFESSARIVM dicentem Iudici teneri se reum talem condemnare, imò, & suggerentem ministris, vt breuiori via, & celeriori gressu ducant ad locum patibuli condemnatum, siue acclamantem, vt scalam ascendat, collum laqueo ingerat, & monentem carnificem adhuc eum viuere, cuius collum denuò à carnifice fune compressum, spiritum elidit, non incurrere propter hæc omnia irregularitatem; affirmo cum Gaspare Hurtad. de *Irreg. diff.* 11. *nu.* 36. cit. à P. Burghab. in *Cen.* 1. *num.* 53. & alijs, quia in iuribus, vbi fit mentio huius irregularitatis, solùm ij comprehenduntur, qui ad homicidium, siuè ad mutilationem, concurrunt, vel vt publici ministri, siuè ad causæ probationem, siue ad exequutionem, vel vt priuati, iniustè, & cum peccato; sed Confessarius supradictus, nullo horum modorum concurrit; ergo, &c.

4 SI dum visitas Sacerdotem morientem, eique assistis ab illo rogaris, vt alijs domesticis absentibus, illum vertas in alterum latus, quò meliùs cubet, & dum tu hoc conaris facere, qu m suauissimè ad obsequendum amico infirmo, iste moritur, te non incurrisse irregularitatem propter hæc; affirmo cum Auila de *cens. part.* 7. *dis.* 6. *sect.* 1. *dub.* 8. & quamplurimis alijs,

alijs, quia cum ex bona fide amicum infirmum ex vno in alterum latus vertisti, & præter opinionem, ex hoc mors illi accelerata fuit, nullam culpam commisisti, ideò nullam debes subire pœnam, & tam grauem, qualis est Irregularitas, quæ vt diximus, cum sit ità grauis grauem requirit culpam.

5 SI dum te in agro recreabas, ex ioco explosisti sclopetum solùm nitrato puluera onustum, in faciem cuiusdam tui socij, qui non tam ex vi explosionis, quàm terrore percussus post paucos dies mortuus est, victurus, si ipse sui curam habuisset, te non incurrere Irregularitatem propter hæc; assero com P. Burghaber. *in cent.3. num.95.* quia illam non incurristi, neque ob homicidium voluntarium, neque ob casuale; ergo nullo modo eam Irregularitatem incurristi: non ob homicidium voluntarium, nam ad hoc requiritur Intentio expressa occidendi, & ponendi causam illatiuam mortis, & cognitam, vt talem, vt ex Tridentino docent DD. inter quos Palaus de *Censuris dub. 6.part.15. §.1. num.1.* non ob casuale, quia vbicumque non adest culpa grauis, sicut non adest in casu nostro, non incurritur Irregularitas ex homicidio casuali, sicut affirmant vterque Nauarr. Valent. Henriquez, Auila *7. part. dub. 6. sect. 1. dub. 11. conc. 3.* & alij.

CAPVT XXXII.

DE IVDICE.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus Casibus pertinentibus ad hanc materiam.

1 NON posse Iudicem, cui constat de innocentia accusati, in Conscientia, etiam si probatum sit delictum, illum morte punire; affirmo cum Panormit. in *cap. Pastoralis*, & quamplurimis alijs, quia vrgente lege naturali de non occidendo innocente ex vno capite; & ex alio capite, vrgente lege de iudicando secundum allegata, & probata, debet præualere lex naturalis, quæ vrgentior est ista secunda. Quare debet requiri modus, quo vel non damnetur innocens, vel sententia non proferatur. Non currit verò hæc doctrina in causis ciuilibus, in quibus damnari posse innocentem iuxta allegata, & probata? assero cum Nauar. de *Rest. lib.2 cap.3 nu.160.* cum pluribus alijs; Nam tunc, quia præualet bonum publicum legum bono temporali priuato, rationabiliter damnatur innocens, qui ipsis legibus se subiecit.

2 IVDICEM condemnantem aliquem, quem scit priuata scientia esse reum, sed eius delictum non est probatum, peccare mortaliter, & teneri restituere; affirmo cum Nauar. de *Rest. lib.2. cap.3. num.*172. & alijs, quia leges non imponunt pœnam nisi crimine probato.

3 IVDICEM posse, TVTA CONSCIENTIA, sine vlla data occasione, & ex solo officio

ficio suo, instituere generalem inquisitionem, qua tamen non potest vti ad occulta elicienda, de quibus nulla est fama; assero cum Lessio *Lib.2.cap.29.disp.13.num.*108. qui dicit esse commun.sententiam DD. quia id necessarium est Reipublicæ, ne cuiquam fiat iniuria, & nullo alio modo, quàm diximus, quia aliàs maxima sequerentur incommoda.

4 SVBDITVM interrogatum à Iudice in tali generali inquisitione, etiam cum iuramento non teneri prodere criminosum occultum; affirmo cum Layman *Lib.3. tract.6. cap 2.nu.3.* & Lessio *loc. cit.num.*109. quia in tali casu crimen (vt suppono) probari non potest, & aliud inde sequi non potest quàm infamia, ideòque nullum ius reuelandi habet; nisi fortè talis reuelatio fieret non ad publicam vindictam, vt loquitur Laym.*loc. cit.* sed in bonum delinquentis, reuelando Prælato tanquam patri reum, ad illum emendandum, vel ad auertendum aliud impendens malum.

5 IVDICES minimè esse Tutos in Conscientia, imò grauiter peccare, si in causis criminalibus, aut notabilis infamiæ astringunt reum ad dicendam veritatem de omnibus pertinentibus ad casum, ob quem comprehensus est, antequam habeant probationem contra ipsum; affirmo cum Nauar.*capit.*18. *num* 41. Sicuti etiam illos pariter peccare, assero cum Cardinal.de Lugo *Tom.2. de Iustit.& Iur. disp.* 49.*num.*1. & Nauarro *cap. inter verba. numer.* 747.etiam si sine iuramento interrogent reum, sed illum perturbent minis, & tormentorum ostensione, vt sibi contradicens, reuelet aliquam circumstantiam, qua conuincatur, & puniatur; quia omnia supradicta sunt actus illegitimi ipsi Iudici, & minimè ei licita, cum

non extendatur ad eum hæc potestas; ad quæ addit Nauar.*cap inter verba. nu.*750. relatus ab ipso Card.de Lug.*l.c.*licitum verò esse vti more bonorum Iudicum, qui reum comprehensum suauiter, & sine terrore statim interrogant sine iuramento, vt respondeat accusationi, vel inquisitioni contra ipsum, sicut decet hominem Christianum respondere,potest enim reus licitè in multis casibus veritatem fateri, v. g. cum scit probandam omninò, ipso negante, atque adeo ipsius negationem forè inutilem, nisi forte ad augendam pœnam,potest etiam licitè ab eo tunc peti iuramentum in genere, dicendi veritatem postea in processu causæ, cum interrogabitur supra aliquod in particulari.

6 NON esse Tutum in Conscientia illum Iudicem, qui relicta probabiliori opinione iudicat secundùm probabilem tantùm; affirmo cum Sanchez in *Decalog. lib.*1. *cap.*9. *num.* 47. qui pro se citat doctissimos, & sapientissimos DD. nimirum Sotum Ledesm. Vasq. Azor. & alios; quam sententiam vocat comm. Iuristarum Card. de Lug.*Tom.*2.*de iust.& iur.disp.*37. *nu.*114. quia Iudex constituitur à Republica, vel Principe, vt sit fidelis Minister veritatis, & vt eam diligenter conetur inuenire, & pro ea Iudicare; sicut constituitur Oeconomus, vt rebus domesticis diligenter prouideat; at nemo excusabit Oeconomum,qui inuento v.g.duplici frumento æqualis pretij, sed bonitatis inæqualis, emit deterius, relicto meliori, licèt vtrumque sit sufficiens; ergo nec Iudex, qui propositis duabus vijs assequendi veritatem, eligit minus securam, & minus bonam, relicta securiori, & meliori, satisfacit debito, quo illigatur inuestigandi diligenter veritatem, & iuxtà eam Iudicandi, ad quæ accedit prohibitio

tio sententiæ oppositæ, facta ab Innocentio XI. anno 1679.

7 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, Iudicem, qui videt æquale esse ius ambarum partium coram se litigantium relinquere omninò alteri horum litigantium, qui habet possessionem rei, ipsam rem, de qua litigatur; affirmo cum Arriag. *Tom.* 1. *in primam* 2. *disp.* 34. *num.* 29. quia ex communi sententia, melior est conditio possidentis; & hæc ratio eodem modo valet, vt inquit Burgab. *in cent.* 1. *nu.* 76. quando de vtriusq; partis iure est æqualis probabilitas, & aliundè vni fauet possessio.

8 NON posse Iudicem, TVTA CONSCIENTIA, si neuter litigantium habuerit possessionem adiudicare rem, cui placuerit, cum æquales habent rationes, sed debere illam diuidere; affirmo cum P. Burgab. *Cent.* 1. *cas. consc. eod. nu.* 79. & alijs. quia vbi est æquale Ius, æqualis debet esse distributio; sed eo ipso, quod rationes probantes Ius in ambabus partibus sint æquales, Ius quoad homines, qui solum diriguntur rationibus, æquale etiam est in vtroque; ergo non est licitum, tunc vnum alteri præferre.

9 NON solùm non posse, TVTA CONSCIENTIA, Iudicem causam decidere, & rem adiudicare vni partium ex sententia probabili, relicta probabiliori sententia, quæ fauet alteri partium, vt constat ex modo dictis, sed teneri eum in tali casu ad restitutionem parti probabiliori omissæ; affirmo cum Eminentissimo de Lugo, qui *Tom.* 2. *de Iust. & Iur. disp.* 37. *num.* 121. hæc docet, verius tamen existimo teneri ad restituendum parti probabiliori omissæ, & ita videntur supponere omnino omnes auctores tertiæ sententiæ supra relatæ; dicunt

cunt enim facere contra ius illius partis. Ratio autem est, quia in præsenti non est aliud damnum, quod patitur respublica, nisi in quantum vnus ciuis, qui habet meliorem causam, priuatur bonis; hoc autem damnum, non alio modo resarcitur, nisi ille idem ciuis habeat bona, ad quæ habebat probabilius ius; ergo si iudex tenetur ad resarciendum reipublicæ, tenetur etiam ad restituendum parti probabiliori, quæ fuit læsa; per quod patet discrimen ab exemplo adducto de eligente minus dignum ad beneficium Ecclesiasticum: ibi enim est diuersum damnum cōmune, quod intenditur vitari per electionem dignioris à damno ipsius priuati, qui prætermittitur. Hęc de Lugo, ex qua doctrina patet etiam aliud discrimen inter hanc sententiam, & sequentem.

10 NAM etsi ex communi, confessarius teneatur sequi opinionem probabilem Pœnitentis, relicta probabiliori propria, hoc oritur, & quia sacrum Tribunal in multis recedit à profano, & quia cum illud cum solo reo agat, eique, quantum fieri potest, faueat; illud verò inter partes sententiam dicat, secundùm Iura rigidè procedere debet, ne aliàs Iudex faciendo, facilius ciues priuentur iuribus illarum rerum, quarum habent verum dominium.

11 NON licere Iudici pecuniam accipere pro ferenda sententia in fauorem vnius prę alio, quando litigantes habent prò se opiniones, easque probabiles; affirmo cum communi, quia hæc sententia, semper ex se est actus iustitię, & actus iustitiæ vendi nequit; ergo, &c.

12 NON teneri Iudices, ad restitutionem accepti prò iniustè iudicando, siuè proferenda sententia iniusta opere iam completo; affirmo cum Lessio *Lib. 2. cap. 14. dub. 8. num. 52.* Trul-

lench

lench *capit.* 14. *dub.* 6. *num.* 4. & quampluririmis alijs, & colligitur ex Diuo Thoma, qui *quaest.* 62. *art.* 5. *ad* 2. dicit posse retineri id, quod propter malum opus est acceptum, nec distinguit cum opus sit contra iustitiam an non? & ratio est, tum quia qui dat, omnino voluntariè dat, & consequenter transfert dominium. Tum quia, etsi peccatum, quod cum nihil sit, teste Augustino, inuendibile sit, & nullius pretij, tamen, quia delectabile, & vtile est vni, & alteri laboriosum, & nociuum, est pretio ęstimabile; ergo, &c.

13 DIXI opere impleto, nam si adhuc opus impletum non sit, tunc debere restitui, id quod in tali casu acceptum est, & opus omitti; affirmo cum eodem Lessio *Lib.* 2. *capit.* 18 *dub.* 13. *num.* 17. & alijs; Quia cum tale opus pro quo faciendo data fuit pecunia, iniquum sit, adeoque peccatum sit, omitti debet non obstante promissione, nam hæc cum illicita sit, non potest obligare, & consequenter re infecta, pretium acceptum pro ea facienda, restitui debet.

14 TENERI verò Iudicem ad restitutionem accepti pro ferenda sententia iusta ante omnem sententiam Iudicis; affirmo cum Lessio *Lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 9. *num.* 63. Trullench. *lib.* 8. *in Decalog. cap.* 14. *num.* 1. & alijs; Tum quia, manifesta est inæqualitas, adeoque iniustitia si pro eo quod debitum est ex iustitia aliquid amplius exigatur, vel accipiatur, tum quia id, quod datur, pro iustitia obtinenda, vel iniuria vitanda, semper censetur dari coactè, metu iniuriæ, & non spontè, ergo necessariò est restituendum, quia censetur per quamdam iniustitiam extortum.

15 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, Iudi-

Iudicem, vel alium Superiorem decipere reum promittendo illi, fictè impunitatem si confiteatur delictum, & post confessionem delicti, illum punire secundùm leges; affirmo cum Reginaldo, Nauar. Salon. Emanuele, Sà, Couarr. & alijs apud Card. de Lug. *Tom. 2. de Iust. & Iur. disp. 37. num.* 178. & ratio est, tum quia illa confessio fuit extorta per dolum, & consequenter non videtur sufficiens ad condemnationem; tum etiam, quia fieri potest, vt reus non commiserit delictum, sed illud confiteatur, vt liberationem faciliùs obtineat. Posse tamen, TVTA CONSCIENTIA, à Iudice talem reum, quando constat eum legitime alioquin interrogatum, iniustè negare delictum, aliqua æquiuocatione, decipi, vt aperiat veritatem, tunc enim Iudex habet ius illam extorquendi, quia sicut habet ius veritatem extorquendi à reo per vim tormentorum, ita per modum supradictum, vt inquit Cardinalis de Lugo ipse *loc. cit. nu.* 178, dummodò non vtatur mendacijs, vt diximus,

16 SI aliqua fœmina, v. g. cum diù quæsita sit, postea inueniatur mortua v. g. in quodam puteo, posse, TVTA CONSCIENTIA, ferri sententiam, vt illa inde extracta sepeliatur in loco sacro; Teneo cum Trullench. de *Iure Parochi cap. 9. dub. 6. nu.* 10. Barbosa *de Parocho part. 3. cap. 26. num. 49.* & quamplurimis alijs; Quia inter duas præsumptiones, illa debet præualere, quæ excludit delictum, & fauorem continet, docet Menoch. de *Præsumpt. l. 5. præsumpt. 2. num. 29. casu 89. num. 23.* ergo cum possit præsumi talem fœminam, ex desperatione se proiecisse in puteum, & quod ab alio in illum proiecta fuerit, & non constet magis illud, quàm hoc, hoc præsumi debet, & nō illud.

17 NON

17 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, asseri, quod prudenter agatur, siue à Iudice in iudicando, siue à quocumque alio, dum aliquid aginius confisi generatim probabilitate, siue intrinseca, siue extrinseca, etiam si ea sit quantumuis tenuis, & modo à probabilitatis finibus non exeatur; affirmo cum communi Theologorum, quorum rationes id probantes non adduco cum contraria opinio reprobata fuerit ab Innocentio XI. anno 1679.

18 QVAMVIS pœna feratur ipso facto, & cum clausula illa, nulla expectata declaratione, dummodo sit ex illis pœnis, quæ non possunt mandari executioni absque hominis actione, non incurri ante sententiam Iudicis; affirmo cum Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 91. *num.* 14. & alijs quamplurimis apud Dianam *part.* 1. *tract.* 10. *resolut.* 23. Quia vsu, & consuetudine receptum est, vt nemo se priuet re, quam possidet ante Iudicis sententiam, & condemnationem; nimis enim durum esset, & humanæ imbecillitati non accommodata illa lex, quæ obligaret homines ad seipsos mulctãdos.

CAPVT XXXIII.

DE IVRAMENTO.

Quid possit, vel quid non possit fieri, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus casibus pertinentibus ad materiam prædictam.

1 POSSE te excusari, TVTA CONSCIENTIA, vt ait Castropalaus, qui multos citat pro se *part.* 2. *tract.* 14. *disput.* 2. *punct.* 4. *num.* 16. ab obseruando iuramen-

mentum, si iurasti te rediturum in carcerem, si carcer sit iniustus, & cùm iurasti redire, non præuidisti periculum, quod posteà esse cognoscis; vel si iurasti redire, intendisti hoc facere sub conditione, si reditus non fuerit periculosus, quia non es censendus obligatus ad reditum alium ab eo, qui erat in tua æstimatione cùm iurasti, & quia iuramentum non extenditur vltra iurantis intentionem.

2 NON excusari ab impletione Iuramenti, vt ait communis Doctorum sententia, illum, qui iurauit de redeundo in carcerem, si carcer sit iustus, etiam cum vitæ grauissimo periculo, nam tunc iuramentum est de re virtuosa.

3 QVI iurauit secretum seruari alicui, si ex ipso secreto penderet alicui malum, TVTA CONSCIENTIA, poterit illud reuelare ei, cui prodest, & non obest; affirmo cum cõmuni.

4 SI iurasti te non discessurum à tali loco, si iubearis à superiore discedere potes, TVTA CONSCIENTIA, imò debes obedire, nam secus faceres præiudicium superiori.

5 SI iurasti peregrinare per longum tempus, & posteà dominus, in cuius fortè es potestate, noluerit, TVTA CONSCIENTIA, potes, ac debes desistere.

6 SIC etiam si iurasti soluere decem Petro creditori posteriori, potes, imò debes, TVTA CONSCIENTIA, illa decem si alia non habeas, soluere creditori anteriori, quia in his, & similibus casibus, si secus faceres proximo noceres, vel inferres præiudicium.

7 TVTA CONSCIENTIA, posse iurare Clericum, v. g. frequentasse toto anno Ecclesiam, si per maiorem solùm anni partem hoc fecerit, quia hoc est moraliter toto anno frequentasse.

8 SIC

8 SIC etiam posse, TVTA CONSCIENTIA, iurare scholasticum frequentasse eodem modo, toto anni tempore scholas ex eadem ratione, excipe tamen si constitutiones vniuersitatis, vel Ecclesiæ requirerent annum mathematicum.

9 NON possunt, TVTA CONSCIENTIA, testes coram Iudice iurare se scire certitudine scientiæ illud, quod sciunt tantùm certitudine morali, quia Iudices non petunt, vt suppono, quidquid nouerint testes certitudine morali, sed certitudine certæ scientiæ, adeòque testes ipsi non possunt iurare secundùm mentem suam, sed debent iurare secundùm mentem legitimi Iudicis legitimè interrogantis, ita Tambur. *lib.* 3. *in decal. cap.* 2. §. 1. *num.* 7.

10 PROBABILE est, vt ait Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de Iur. cap.* 16. *num.* 9. te non peccare secluso contemptu nisi venialiter, si non adimples illam rem leuem, quam sub iuramento promisisti, ratio est, quia Iuramento promissorio non inuocatur Deus, vt testis futuræ exequutionis, sed vt testis præsentis voluntatis, quæ si non adimpleatur posteà fideliter, promittens erit tantùm infidelis in re leui, & consequenter leuiter tantùm peccabit, & sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 3. *ad* 5. ait, qui aliquid promittit, si habeat animum faciendi, quod promittit, non mentitur; si verò non faciat quod promisit, tunc videtur infideliter agere per hoc quod animum mutat.

11 SANCHEZ *lib.* 3. *in Decal. cap.* 9. *num.* 16. *&* 17. ait, Iuramenta parentum, vel dominorum, quibus iurant, se velle punire filios, vel famulos, communiter non obligare, quia communiter fiunt ex ira, & passione, atque animo vindictæ sumendæ, & sic non sunt de actu virtutis,

tutis, quinimmò promissio illa fit sub ratione culpæ, quod si aliquando ad debitam correctionem ordinantur, ita obligant, potest tamen contingere, vt ea in melius commutent abstinendo ab ea punitione, melius iudicando, domum iam pacatam denuò non conturbare. Item Iuramenta puerorum, quibus iurant se velle accusare alios pueros apud præceptoré, & similia, communiter, vel non obligare, vel facilè excusari, quia talia iuramenta communiter, gratia sumendæ vindictæ emissa fuerunt, & quia ea commutant in melius causa vitandi inter se rixas.

12 IVRAMENTA non sunt, vt ait Sanchez *lib. 3. in decal. cap. 2. num. 9. &* 10. illa, quæ fiunt per meras creaturas, in quibus non elucet specialiter Deitatis lux, & in quibus nōn excitatur peculiaris, quodammodò memoria Dei in nobis, vt esset dicere: Iuro per istam barbam, per tuum equum, per aerem, per ignem, per fidem meam; si verò iures per Euangelium, per Sacramenta, per Crucem Sanctam, per ignem Dei, per aerem hunc Dei, ista omnia sunt vera iuramenta, ex contraria ratione.

13 QVOD si non inuoces Deum, & eius creaturas, in quibus specialiter, vt diximus, Deus elucet, sed tantùm enuntias, v. g. si dicas, hoc quod dico est Euangelium coram Deo, ita est, Deus scit, res ita est sicuti sum Christianus, sicut sum Sacerdos, &c. non est iuramentum, quia ad rationem iuramenti requiritur necessariò, vt inuocatiuè appelletur Deus, vt testis, non tantùm enunciatiuè, vt videtur esse in casibus supradictis.

14 QVOD si consuetudo, vel vsus Regionum, supradictis formulis iurandi, vel alijs, ostenderet iurantes inuocare velle, & non

tan-

tantùm enunciare Deum, vel Diuina, tunc essent vera iuramenta.

15 VOCARE Deum in testem mẽdacij etiam leuis, esse peccatum mortale; affirmo cum communi Doctorum, quia semper irreuerentia grauis committitur erga Diuinam Maiestatem, siue vocetur in testem mendacij grauis, siue leuis, & contrariam opinionem Sanctissimus Dominus noster Innocentius XI. reprobauit, & damnauit anno 1679.

16 IVRARE sine animo iurandi, siue res sit leuis, siue grauis, & etiam cum causa, non esse licitum; affirmo cum communi Theologorum, & opinio contraria damnata fuit ab eodem Summo Pontifice supradicto anno.

17 SI quis iuraret, siue solus, siue coram alijs, aut interrogatus, vel propria spontè, siue recreatiouis causa, siue quocumque alio fine, se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se, aliquid aliud, quod non fecit, vel restringendo mentem, intelligit intra se, se fecisse illud, quod affirmat, in alia via, in qua fecit, vel addat quoduis aliud verum, verè mentiri, & esse periurum; affirmo cum multis Doctoribus, quia in talibus restrictionibus mens non conformatur verbis, quod est mentiri; Et contraria opinio damnata fuit, & reprobata à Sanctissimo Domino nostro Innocentio XI. anno prædicto.

18 NEC esse iustam causam vtendi his amphibologijs, quod vtile, aut necessariũ sit ad tuendam salutem corporis, honorem, & res familiares, vel ad quemlibet alium actum virtutis, veritatis occultatio, siue quod hæc in supradictis casibus censeatur expediens, & studiosa; affirmo cum communi Theologorum propter multas rationes, quas non oportet adducere,

dum

dum contraria opinio pariter à ſupradicto Pontifice damnata fuit,

19 NON poſſe, TVTA CONSCIENTIA, eum, qui mediante commendatione, vel munere promotus fuit ad magiſtratum, vel officium publicum, reſtrictione mentali præſtare Iuramentum, quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet exigi; affirmo cum communi Doctorum ob multas rationes, quas hic non affero, dum contraria opinio fuit pariter damnata à ſupradicto Innocentio XI. qui ſcandaloſam declarauit opinionem illorum, qui in ſupradicto caſu aſſerebant præſtari poſſe Iuramentum cum reſtrictione mentali, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, ea ducti falſa ratione, quia in ſupradicto caſu talis Iurans non tenetur fateri crimen occultum.

20 NON obſtante Iuramento, quo quis ſe obligauit magiſtro ſuo nulli communicare artem, quam ab ipſo didicerat, curandi, v. g. cancrum, poſſe, TVTA CONSCIENTIA, iſtum talem communicare artem ſuam alijs, & non teneri Iuramento; affirmo cum Fagundez *lib 2. in Decal. cap. 14. in fin.* qui citat pro ſe Diuum Thomam, & Sylueſt. quia cùm ſit contra charitatem neceſſitati, & vtilitati proximi non ſuccurrere, cùm facilè id præſtari poſſit, ad id aſtringere non poteſt Iuramentum, cùm iſtud non ſit vinculum vllius iniquitatis.

21 POSSE te, TVTA CONSCIENTIA, ex iuſta cauſa recuperandi debitum tuum, ſiue in Iudicio, ſiue extra, exigere iuramentum ab illo, quem ſcis peieraturum; affirmo cum Leſſio *lib. 2. de Iuſtitia, & Iur. cap. 42. dubit. 10. num.* 49. qui pro ſe citat D. Thom. *quæſt. 98. art.* 4. & quampluribus alijs; quia in petitione abſo-

absolutè Iuramenti, nihil inuoluitur mali, cum Iuramentum ipsum possit optimè fieri, cum autem ille, à quo exigitur falsò iuret, eius malitiæ tribuendum est, non tibi, qui illud petis, & eius malitiam impedire non teneris cum tanto tuo detrimento.

22 CONTRACTVM minoris prudentis, & cognoscentis vim Iuramenti, & vt maior prudenter operantis, firmatum Iuramento validum esse; affirmo ex *leg. 1. & authentica Sacramenta puberum*, ibi: *sacramenta puberum super contractibus rerum suarum non retractandis inuiolabiliter custodiantur, C. si aduersus venditionem.*

23 FIRMARI Iuramento, & validam esse renunciationem legitimæ vltra dotem; affirmo ex *cap. quamuis, 2. de pact. in 6.* nisi sit in præiudicium filiorum, vel creditorum.

24 DONATIONEM inter virum, & vxorem alioquin nullam iure positiuo, valere si iuramento firmetur; affirmo cum Bart. *in l. si quis pro eo, ff. de fideiuss. ex cap. cum contingat, de Iure iur. cap. licet mulier, 2. eodem tit. in 6.*

25 MVLIEREM nulliter se obligantem ex Velleiano, si iuramento firmat, obligationem validam esse; affirmo ex *cap. ex rescripto 9. de Iure iur.* & cum Alex. *cons. 146.* quia vt habetur ex *l. cum Pater 79. §. filius matrem, ff. de leg. 2.* Iuramentum facit valere actum, eo modo, quo potest.

(?)

CAPVT XXXIV.

DE LEGATO.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam casibus selectioribus pertinentibus ad hanc materiam.

1 TENERI in conscientia, hæredem soluere locis pijs annuos redditus legatos à Patre cum obligatione Missæ perpetuæ, v.g. (etiam si redditus isti alijs vindicentur) ex alijs bonis hæreditatis; affirmo cum P. Burghab. in *Cent. 3. Cas. Consc. num. 71.* quia si testator supradictus cogitasset annuos redditus, quos legauit pro anima sua, alteri Domino vindicandos, verisimile est, ipsum ex alijs bonis suis sibi prouisurum fuisse; ergo sicuti tunc aliunde fuisset prospectum, ita etiam nunc iudicandum ex alijs hæreditatis relictæ bonis satisfieri debere; Ad quod accedit, quod cum finis principalis in hoc casu sit refrigerium animæ, & cunctis bonis anima præferatur, *l. Sancimus, C. de Sacrosanctis Ecclesiis*, censeri debent omnia bona testatoris legata pro refrigerio dando illius animæ, & sic pereunte vno bono particulari, designato in hunc finem, non tollitur obligatio, sed tantùm transfertur, & inhæret in alijs bonis remansis in hæreditate.

2 PROPOSITIONEM illam, in qua asserebatur, quod si legatum relictum sit absque limitatione temporis, non durat semper, sed tantùm per solos decem annos, non posse, TVTA CONSCIENTIA, teneri, & esse damnatam ab Alexandro VII. affirmo ex Bul-

la Alexandri VII. edita anno 1666.

3 SI Legatum sit de omnibus libris, qui sunt in domo, certum esse, venire omnium librorum nomine, omnes libros existentes in domo cum suis membranis, & vestibus, etiam si hæ pretiosissimæ sint; affirmo ex *l. librorum* 50. *ff. de legat.* 3. Quia ly (omnibus) nihil excludit Bart. in *l. omnia priuilegia C. de Epis. & Cler.*

4 SI vero legatum sit librorum tantum, & non omnium librorum, tunc ex Bart. in *l. si vxori in prin. ff. de auro, & arg. lega.* posse dici nomine librorum, venire illos tantùm libros, quibus legatarius in officio vti valeat; Vt si legatum sit relictum medico, libros medicinæ tantum, legatario medico relictos intelligi debet.

5 NON venire nomine mobilium, specularia, si hæc affixa sint domi, vel destinata, vt affigantur; affirmo ex *l. quæsitum* 12. §. *specularia quoque affixa magis puto domus esse partem ff. de fund. instru. & instr. leg.*

6 SI legatum relictum à Testatore, alienetur ab ipso testatore necessario, teneri redimi ab Hærede, & dari legatario; si autem liberè à testatore talis res legata alienetur, non teneri ab hærede redimi, & legatario restitui, affirmo ex *l. fideicommissa* 11. §. *si rem suam testator legauerit, eamque necessitate vrgente alienauerit.* Quia alienatio necessaria, seù facta vrgente necessitate, non adimit primam voluntatem, vt patet ex proiectione mercium facta in mari ad euitandum naufragium, &c. Alienatio autem facta liberè, indicat nolle amplius illam rem testatorem legatario dare. Quia si dare vellet non alienaret, vt habetur ex *l. si ex toto* 8. *ff. de leg.* 1.

7 REM legatam, quæ nullo modo extat, non

deberi legatario; affirmo ex *l. si domus 74. in princ. l. quod in rem. 24. si quis post ff. de. leg. 1.* quia ut benè docet Verde, peti nō poteſt nihil, ſed res, quę non extat, idē eſt, ac nihil; ergo, &c.

8 ESSE ſoluendum ęs alienum ab hærede ante detractionē legati; affirmo *ex lege cum autem 9. ibi* Pretia medio deducenda ſunt *ff. de leg. 2. leg. 1. & 2. C. commun. de lega. l. non amplius §. fin. ff. de leg. l. 1.*

9 AD nihil teneri hæredem ſi res legata pereat caſu fortuito; affirmo ex *leg. in ratione 30. §. diligenter ff. ad leg. falcid. leg. qui decem §. tichum in fin. ff. de ſolut.*

10 DEBITOREM ex debito libero, hoc eſt orto ex contractu, vel pacto, qui ſciens debitum, legat aliquid ſuo creditori, non compenſare legatum cum debito, niſi exprimat; affirmo ex *l. ſi creditorem 87. ff. de leg. 2.*

11 DEBITOREM verò ex cauſa neceſſaria, ſeù ex debito orto ex lege, ſtatuto, conſuetudine obligatoria, fidei commiſſo Atauorum, vt eſt legitima, Dos, Alimenta debita filijs, ſi leget aliquid ſuis creditoribus ex ſupradictis capitibus cenſeri velle debitum compenſare, affirmo ex *l. cum Pater 79. §. qui dotale ff. de leg. 2. l. ſi rum dotem 23.*

12 SIC computari in dotem legata relicta filio, filiæ, & vxori, affirmo ex *l. huiuſmodi 89. §. cum pater ff. de legat. 1.* niſi aliud conſtet de voluntate teſtatoris. Quia dos eſt debitum neceſſarium.

13 SIC etiam veſtes lugubres, & lectum vidualem debitum in Ciuitate Neapoli ex conſuetudine compenſari cum legato facto à viro ſuæ vxori; affirmo cum Franch. *deciſ. 413.* Capyc. Latr. *deciſ. 94.*

14 SI grex legatus deſtruatur deberi oues, quę ſu-

superſunt legatario, etiam ſi vna eſſet; affirmo ex *l. ſi toto* §. *l. ſi grege* 22. ibi: *Si diminutum ex eo grege pecus eſſet, & vel vnus bos ſupereſſet, eum vendicari poſſe, quamuis grex deſiiſſet eſſe, &c.* Quia grex eſt quid totum per aggregationem, & vna ouis non pendet ab alia, & ſic deſtructa vna oue, debetur alia, *argum.* §. *ſi quis ancillarum loc. cit.*

15 SI Bos verò legatus moriatur mortuo Teſtatore, deberi carnem, & pellem ipſius Bouis legatario; affirmo ex *l. ſolum* 50. §. *meum eſt quod ex re mea ſupereſt cuius vindicandi ius habeo. ff. de rei vendic.*

16 LEGATVM annuum relictum viduæ, donec vidua erit, ſi hæc nubat poſt aduentum primi diei anni, ſeù poſt vnum diem à quo cępit nouus annus ſuæ viduitatis deberi illi totum legatum annuum, ac ſi finitus eſſet annus; affirmo ex *l. filiæ* 22. *l. à vobis* 5. *ff. de ann. legat.* Quia aduentu primi diei anni dicitur cedere dies legati annui, ex *l. nec ſemel* 12. ibi: *Probauerunt vt initio cuiuſque anni huius legati dies cederet. ff. quando dies leg. ced.* vnde cenſetur ex hoc purificata conditio.

17 INGREDIENTEM Religionem conſequi legatum ei relictum ſub conditione ſi nubat; affirmo cum Capic. *Deciſ.* 204. Maſtrill. *Deciſ.* 153. *num.* 3. *par.* 2. Marin. *tom.* 1. *cap.* 246. *nu.* 8. & alijs.

18 AMITTI à Vidua legatum ipſi relictum cum conditione non nubendi, ſi vidua prædicta nupſerit; affirmo cum *Auth. de nupt.* §. *quæ vero coll.* 4. *auth. cui relictum C. de indict. vid. toll.* Quia decus eſt abſtinere à ſecundis nuptijs, vt probant Franch. *deciſ.* 231. Gutt. 2. *can. c.* 25. *num.* 3.

19 NON amitti tamen legatum, ſi relictum

 ſit

sit virgini, vel numquam ante nuptæ cum conditione si non nupserit, si prædicta nupserit, & tali conditioni non paruerit absolutè; affirmo ex *l. quoties* 22. *l. cum tale* 71. §. *Mevia*.

20 SI vero exigatur à testatore, vt talis non nubat cum tali persona, vel non nubat ante tale tempus, quando hæ supradictæ conditiones perpetuò non impediunt, vt simpliciter possint nuptiæ celebrari cum alijs personis; tenere, & valere conditionem: affirmo ex *leg. cum ita l. sed si hoc* §. *final. ff. de cond. & dem.* Nam hoc non esset prohibere perpetuò coniugium, & matrimonium.

21 SI testator se remittat interroganti, an velit e.g. relinquere mille Ecclesiæ, vel pro alijs pijs legatis dicendo v.g. relinquo, sed vos facite, me remitto; Non valere tale legatum; affirmo ex *decis. apud Zacch.* 99. *med. leg. lib.* 10. & cum Gabriele *lib.* 1. *cons.* 111. *num.* 16. Dec. *cons.* 287. *num.* 7. Quia in tali casu nihil determinatè ipse testator disponit.

22 DISPOSITIONEM factam ad petitionem Confessarij tempore mortis testatoris, si supponatur facta, dum testator non bene compos erat sui, ex defectu virium, vel ex timore propinquæ mortis, & ob nimias, & importunas preces ipsius Confessarij, non valere; affirmo cum eodem Zacch. *loco citato num.* 15. Quia tunc censetur, & præsumitur illam dispositionem prouenire ex imperfecta, & turbata voluntate testatoris morientis, qui ad euadendas importunas instantias Confessarij annuit propositioni, quæ ei fit. Hac occasione, obserues velim, mi Lector, quanta sinceritate, Ecclesiastici doceant doctrinas fauorabiles, non solùm ab bonum tuum spirituale, verum etiam ad temporale tuum interesse spectantes; Nec non

velim

velim etiam tibi persuadeas quod nos ipsi ab Apostolo Paulo edocti; Quærimus Vos, non Vestra, scientes infallibile esse illud Domini oraculum; Ipsi nimirum esse curam de nobis; Si nos vt debemus, curam sedulam, & diligentem habemus de vobis, concionando, scribendo; confessiones audiendo, orando, agonizantes adiuuando, in partes infidelium ad fidem dilatandam eundo, solidas docendo doctrinas, & spiritualia documenta, cathechesim explicando; rudes instruendo, & his similibus nocte, ac die incumbendo.

23 LEGATVM pro Missis celebrandis pro anima testatoris, deberi successiuè solui ad instar alimentorum celebranti; affirmo cum Rom. in *Auth. similiter C. ad leg. falcid.* & cum Tiraquell. de *Priuileg. piæ causæ. priuil.* 22. Surd. de *Alim. tit.* 4. *quæst.* 17. *num.* 9. *ex l. filia mea* 22. *ff. de ann. leg.*

24 ETIAM si testamentum sit nullum ex defectu essentiali, quia nimirum deest in illo Institutio hæredis, valere quoad legatum pium; affirmo ex *cap. relatum* 1. *de testam.* si sint testes ad probandam voluntatem legantis; affirmo cum Sanchez *lib.* 4. *Cons. cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 3. & multis alijs, quos citat, & sequitur Doctor Verde, Vt si fuissent generaliter reuocata legata, non intelligi per hoc reuocata legata pia; affirmo cum Nouar. *de Priuil. miser. priuil.* 34. *num.* 2. Capyc. Latr. *Consult.* 71. *num.* 54. Ludou. *decis.* 237. *num.* 11. Quia cum legata pia conducant ad speciale bonum animæ testatoris, specialem exigunt reuocationem.

25 SI sit dubium an legatum pro missis sit factum à testatore, vt Missæ celebrandæ celebrentur ad honorem, & cultum Dei, vel pro anima ipsius testatoris, debere applicari prò

anima ipsius testatoris, affirmo cum Barbos. de *Offic. Parochi cap.* 11. qui citat pro se Frassinellum, & de Leone. Quia quilibet in dubio præsumitur sibi consuluisse ex Menoch. de *Præsumpt. quæst.* 18 *num.* 12.

26 SI legatum sit relictum cuidam Ecclesiæ, quæ vocetur ipso nomine, quo vocantur multæ aliæ Ecclesiæ, deberi Ecclesiæ pauperiori; affirmo ex Iasone *l.* 1. *num.* 6. *de Sacros. Eccles. Soccin. in l. quæ conditio §. cum ita num.* 2. *de cond. & dem.* Quod si vna ex dictis Ecclesijs sit Parochia, vel magis dilecta à Testatore, eam præferendam esse; affirmo cum supradicto Verde *Lib.* 2. *de leg. cap.* 11. *lemma.* 120.

27 POSSE Episcopum commutare legata pia ex vrgenti causa, & hærede consentiente, imò etiam dissentiente, irrationabiliter tamen; affirmo ex *l. legatum* 16. *ff. de vsu, & vsufr. lega:* Barbos. *de potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 83. *num.* 5. Syluest. *verb. legatum* 4. *num.* 12. & alijs.

28 NON teneri legatarium ad opera pia facienda ex redditibus, & fructibus ipsius legati pij ad celebrandas missas, si absque culpa legatarij non percipiuntur fructus rei legatæ: affirmo ex *l. Sancimus Cod. de pœnis cap. quæsiuit* 2. *de his quæ fiunt à maiori par. capit, cap. romanu in fin. de sent. excom. in* 6. Et cum Bord. *Tom. cons. resol.* 40. *num.* 14. qui citat *cap. inter dilectos §. cum igitur de fide instrum. cap.* 2. *de noui oper. nunt.* Quia sicuti Sacerdos si Missas non celebret fructus percipere non debet, ita si fructus non percipiat, Missas celebrare non obligatur.

29 SI diminuantur fructus rei legatæ, ita ut diminuti non sufficiant ad celebrandum numerum Missarum taxatum à legante, diminui posse, TVTA CONSCIENTIA, Missas; affirmo ex

ex l. *quæ de tot a ff. de rei vendic*. Lezan. *in sum. uerb. Missa, num. cap*. 7. Bord. *in cons. resol*. 25. *num*. 37. & alijs, quia si cessantibus fructibus in toto, cessat, vt vidimus, onus in toto; ita cessantibus in parte, cessat etiam, & onus in parte.

30 AVCTIS fructibus, casu fortuito deberi augeri numerum Missarum; affirmo cum Fraxinell. *de oblig. Sacerd. sect*. 4. *conclu*. 4. §. 25. *n*. 2.

31 ETIAM si relictum sit legatum alicui pro studenda lege, deberi legatario studenti grammaticæ, tale legatum; affirmo cum Honded. *Cons*. 37. *num*. 4. *resol*. 2. Mantic. *de tacit. tit*. 144. *num*. 14. Quia grammatica est medium necessarium ad studendam legem, & qui vult finem censetur velle media.

32 SI Testator relinquat rem in specie non tamen in indiuiduo, puta vnum equum ex multis, quos possidebat Testator ipse; posse fieri electionem talis equi ab ipso legatario, non solùm quando verba sunt directa ad legatariũ, sed etiam, quando non constat de voluntate Testatoris; affirmo ex *l. Lucius* 23. *ff. de leg*. 2. *l. planè* 34. §. *pen. ff. de leg*. 1. Quia semper verba interpretanda sunt pro eo, cuius fauorem respiciunt.

33 SI intercedat error in nomine legatarij, vel rei legatæ, adhuc valere legatum; affirmo ex *l. contra voluntatem C. de manumis. testam*. Et sic si dicat Testator lego centum Petro filio meo, tenere legatũ, etiã si filius vocetur Paulus.

34 SICVT nec vitiari legatum si intercedat error confinium; affirmo ex *l. verbum* 123. *ff. de verb. signif*. Vbi habetur, quod verbum erit, & est, significat etiam tempus præteritum.

35 TENERI legatarium soluere omnia onera, quæ sunt in re legata, non tamen decursa,

ſed tantùm decurrenda; affirmo ex *l. idem Iulianus aliàs Aphricanus* 41. §. *hæres cogitur legati prædij ſoluere vectigal præteritum, vel tributum, vel ſalarium, ff. de leg.* 1. Quia onera realia tranſeunt cum re ad ſuum poſseſsorem, vt habetur ex *l. fin. C. ſine cenſu, vel alijs.*

36 NON poſse cogi legatarium accipere vnã rem pro alia ſibi in indiuiduo relicta, puta pro Equo A. ſibi relicto à teſtatore, Equum B. affirmo ex *l. fin. ff. de vſu, & habit. auth. offeratur C. de litis conteſt.* Quia nequit ſolui vnum pro alio inuito domino creditore, ſed legatarius rectè eſt Dominus talis rei legatæ, ergo, &c.

37 LEGATARIVM præmortuum hæredi poſſe de legato purè ſibi relicto, hoc eſt abſque conditione, diſponere à die mortis teſtatoris; affirmo ex *l. non ſolum* §. *ſi puellæ ff. de ritu nup. l. ſi ſtipulatus fuerit ff. de verb. oblig.* Quia à die mortis teſtatoris verè legatarius eſt dominus legati puri, & abſque conditione ſibi relicti; ergo ab illa die, illud cedere, & tranſmittere, & obligare poteſt.

38 POSSE legatarium vnam partem acceptare legati ſibi relicti, & alteram repudiare, ſi legatum ſit relictum hoc modo, & his verbis, nimirum: Lego Paulo medietatem prædij mei, & aliam medietatem eiuſdem mei prædij, lego eidem Paulo. Non poſse verò ſi legatum ſit relictum his alijs verbis; Lego meum prædium Paulo; affirmo ex *l. Legatarius pro parte acquirere, pro parte repudiare legatum non poteſt.* 38. *ff. de leg.* 1. *l. neminem* 4. *l. ſi cui res legata fuerit, & omninò aliqua ex parte voluit ſuam eſſe, totam acquirit* 60. *ff. de leg.* 2. Quia, vt docent legiſtæ in vnica oratione exprimitur indiuidua teſtatoris voluntas, adeoque illam ſcindere legatarius nullo modo poteſt,

poteſt

potest tamen, quando multiplici oratione, seù diuersis propositionibus voluntas Testatoris expressa, & demonstrata fuit, vt habetur, ex *l. planè 34. in fin. ff. de leg. 1.*

AMITTERE legatum legatarium, si ipse praemoriatur testatori; affirmo ex *l. inter socerũ ff. de pact. dotal. l. sed in illo 19. ff. de reb. dub.* Quia Testamentum firmatur morte testatoris.

[4]o LEGATARIVM amittere legatum non solùm quando certè, sed etiam quando in dubio est si Testator praemortuus fuerit ipsi legatario; affirmo ex dicta *l. sed & in illo*, vbi substitutus non succedit, nec transmittit si moriatur simul cum pupillo, vt habet Castrens. *in l. per duos §. si maritus ff. de rebus dub.*

[4]1 SI legatum sit de rebus mobilibus, venire nomine mobilium pecuniam, modò haec non sit destinata mercaturae, mutuo, &c. sed sit reposita causa praesidij; affirmo ex *l. si vxori 32. §.* his verbis ibi: *praesidij causa reposita legato contineri ff. de legat. 3.*

42 PECVNIAM verò inclusam in Arca venire praecisè nomine omnium mobilium; affirmo ex dicta *l. si chorus, & ex Dec. cons. 381. num. 4.* Quia pecunia illa non est venalis, quia si talis esset non veniret in legato nomine mobilium.

43 SI legatum sit de omnibus, quae domi sint, non intelliguntur legatae cautiones debitorum, & emptiones seruorum, affirmo ex *l. quaesitum 12. §. Papinianus quoque ante in fin. ff. de fund. instruct.*

44 SI legatum sit de rebus mobilibus domus, non venire nomine talium rerum mobilium libros, qui esset domi; affirmo ex *l. suppellectile 3.* sed idem indicat legatum mobilium ac suppellectilis *l. 1. l. 2. ibi: idest res mobiles ff. de supp. legata:* Quia, vt bene aduertit Franci. Ver-

de, libri sunt affixi statui personæ, ergo cum status non numeretur inter mobilia, nec illi annexa inter mobilia numerari debent.

45 TENERI in conscientia, filios spurios cedere legatis relictis in Testamento parentum, nisi sint legata relicta pro alimentis, statim ante Iudicis sententiam; affirmo cum Beia 2. *part. cas.* 12. *& ex l. extraneum C. de hæred. in stit.* Quia cum leges prohibentes filium spurium succedere Iure hæreditario non sint pœnales, sed præceptiuæ annullant talia legata in Conscientia, vtpote decernentes inhabilem ad hæreditatem talem spurium.

46 QVAMQVAM Fratribus Minoribus, nec habitatio seiuncta ab eorum monasterio, nec redditus annuus perpetuus, nec ad longum tempus, pro uictu, & vestitu eorum legari potest, posse tamen ipsis legari annuum redditum pro ornamentis Ecclesiæ, pro vino, frumento ad Sacrificium quotidianum, & pro emendis libris necessarijs; affirmo cum Layman. *lib.* 3. *tra.* 5. *cap.* 10. *n.* 4. Vbi multos citat, & sequitur.

CAPVT XXXV.

DE LIBRIS PROHIBITIS.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad materiam prædictam.

1 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, legere libros prohibitos, sub prætextu, quod cesset in te finis legis; nimirum periculum subuersionis, scandali, peccati, &c. affirmo cum Castropal. *tract.* 4. *disp.* 2. *part.* 10. §. 2. *num.* 9. & alijs communiter. Quia nunquam

quam practicè deest adæquatus finis legis prohibentis, qui finis non solum est periculum subuersionis, & peccati, quod semper timendum est ne committatur ab homine luteum vas portante, sed finis legis etiam est contemptus hæreticorum, & reuerentia, & obedientia Summo Pontifici, & eius Ministris, & Tribunalibus debita, & præstanda.

2 QVOD si audias alium legentem, te non incurrere in censuras latas contra legentes, affirmo cum Sanchez *Lib. 2. in decal. cap.* 10. *num.* 48. quem citat, & sequitur Castropal. *Tom. 1. tract. 4. dub. 2. part.* 10. §. 2. *num.* 3. vbi pro hac sententia multos alios citat, quia etiam si subeas idem periculum, tamen cum verè non legas, non incurris in censuram, quę solùm contra legentes lata est.

3 SI vnum versiculum, vel vnam tantum paginam legas, in qua tamen error, vel hæresis non contineatur, te non incurrere in censuras, neque mortaliter peccare; affirmo cum Sanchez *loc. cit. num.* 31. & Castropalao *loc. cit. nu.* 6. quia in tam breui lectione non apparet regulariter graue periculum.

4 INTELLIGI nomine librorum prohibitorum, etiam manuscripta, & illa legentes incurrere in censuras; affirmo cum Suar. *Dis.* 20. *de fide, sect. 2. num.* 10. & Sanchez *loc. cit. num.* 28. & communi. Quia, & manuscripta verè sunt libri, & aliter eluderetur facilè præceptum, & lex prohibens lectionem librorum hæreticorum, quia iam possent impunè legi manuscripta, vbi continentur pariter eorum errores.

5 ASSERTIONEM illam in qua dicebatur posse, TVTA CONSCIENTIA, retineri eos libros, qui prohibiti fuerunt, donec expurgentur, vsque dum adhibita diligentia

corrigantur; esse falsam omninò, & non posse amplius teneri; affirmo ex Bulla Alexandri, qui illam tamquam temerariam prohibuit, & damnauit.

CAPVT XXXVI.

DE LOCATIONE.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus casibus pertinentibus ad hanc materiam.

1 SI locata opera tua pro quodam pretio, & deindè finito labore aduertas te deceptum fuisse in pretio conuento, cum videas te ad minimum meruisse dimidium supra pretium iam conuentum, te posse, TVTA CONSCIENTIA, in tali casu rescindere contractum: affirmo cum Molina de *Iustitia tract.2. disp.349. §. prædicta.* Quia finita locatione ex *leg.2.C.de rescind.vend.* Læsus remedium habet, vt saltem contractus redigatur ad æqualitatem, ergo, &c. Quod idem colligitur ex *l.si superstita C.de dolo, & l. si quis cum aliter ff. de verb. oblig.* Excipitur tamen si hoc casu, vt inquit idem Mol. *loc.cit.* Opifex, qui seipsum locauit ad aliquid ædificandum, aut conficiendum certo aliquo pretio, hic enim postea non auditur, esto se dicat deceptum infra dimidium iusti pretij, vt habetur ex *l.3. tit. 11.lib.5.nouæ collectionis.*

2 SI conduxisti fundum, & propter sterilitatem superuenientem, & absque tua culpa, nulli prorsus fructus ex fundo colligantur, te nō teneri ad soluendam pensionem, TVTA CONSCIENTIA, assero cum Cardinali de Lugo *Tom.2.de Iust.& Iur.disp.29.num.27.* & communi

muni Doctorum. Quia id clarè indicat *l. ex conducto, §. si quis, ff. locati*, ibi: *sed etsi labes facta sit, omnemque fructum tulerit, damnum coloni non esse, ut supra damnum seminis amissi mercedes agri præstare debeat*.

3 SICVTI, si ex fundo non percepisti, neque dimidiam, neque tertiam partem fructuum, qui communiter ex eo percipi solent, te non teneri totam pensionem soluere; assero cum Cardin. de Lugo *tom. 2. de Iust. & iur. disput. 29. num. 42.* & quamplurimis alijs. Quia defectus fructuum, etiam per tertiam partem censetur moraliter grauis colono, & talis, vt debeat meritò pensio imminui, & sic è contra si percepisti vel medietatem, vel tertiam partem fructuum, teneri ad totam pensionem, nam vt ait de Lugo *loco cit.* sæpè contingit, quod etiam si deficiat tertia, imò & dimidia pars fructuum solitorum, colonus tamen damnum notabile non sentiat; maius enim pretium, quo pauciores illi fructus in sterilitate venduntur, compensat totum, vel in magnam partem fructuum defectum, quare non debet illi aliquid de pensione diminui, cùm ob sterilitatem non cogatur damnum notabile sustinere.

4 SI verò ager in aliquo anno producat fructus vberrimos, & plusquam sperari potuisset, te non teneri ex hoc augere pensionem, & aliquid aliud soluere locatori super id, quod conuenistis; assero cum eodem Rebell. Cardinal. de Lugo *loco citato num. 22.* vbi pro se multos alios citat. Quia *l. si merces, §. vis maior. ff. locati*, dicitur: *Modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur*. Sic ait lex, & benè, nam sterilitas fructuum affert intolerabile damnum misero conductori, lucrum verò ingens nulli prorsus

ſus nocet, cùm locator quidquam non perdat ex hoc penſionis ſibi promiſſæ.

5 SI in contractu locationis apponatur à locatore pactum, quo conductor obligetur ad faciendam meliorationem rei conductæ, & non explicetur in pacto ſupradicto, cuius ſumptibus hæc melioratio facienda ſit; Teneri in caſu prædicto hanc meliorationem rei conductæ ſumptibus proprijs facere ipſum conductorem; affirmo cum Lugo *de Iuſt. tom. 2. diſp. 29. num. 69.* & alijs, quia, qui obligat alium ex contractu ad faciendum aliquid abſque vllo addito, cenſetur obligare etiam ad ea, quæ neceſſaria ſunt ad talis rei executionem.

6 CONDVCTOREM alicuius agri per quinquennium, ſi illum meliorat, & poſteà ſecundo anno, v.g. moriẽte locatore vſufructuario; locatio diſſoluitur, & ager redit ad proprietarium, poſſe in tali caſu exigere valorem meliorationis; affirmo cum Velaſq. *de Enphit. quæſt. 25. num. 35.* & P. Ant. Eſcobar. *ſect 2. de contr. diſp. 96.* Quia iniquum eſt proprietarium locupletari ſumptibus conductoris.

7 POSSE locatorem Gregis, TVTA CONSCIENTIA, locare illum cum pacto, vt conductor debeat ſoluere penſionem annuam, & ſeruare numerum integrum gregis ſubrogando alias oues, v.g. in defectu morientium, & ſic licitum eſſe, & TVTA CONSCIENTIA, fieri poſſe contractum illum, qui vulgo dicitur: *A capo ſaluo:* Aſſero cum Molina *diſput. 505.* Filliucio *tract. 36. num. 83.* & alijs communiter. Quia in ſupradicto contractu nulla poteſt interuenire vſura, dum nullum interuenit mutuum, cùm ſemper grex ipſe moraliter loquendo, ſit ſub dominio locatoris, & deinde in contractu ipſo nulla ſit in-

iniustitia, vt supponimus, dum non eosdem fructus debet soluere conductor, quando contrahit cum obligatione seruandi integrum gregem, & subrogandi alias oues in defectu morientium, sed minores, & qui, deductis expensis omnibus, æquiualeant pensioni soluendæ, & oneri supradicto alia animalia subrogandi in defectu morientium, vt sup. etiam innuimus sub alijs terminis.

CAPVT XXXVII.

DE LVDO.

Quid possit, vel quid non possit fieri, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus casibus pertinentibus ad materiam prædictam.

1 TE non posse, TVTA CONSCIENTIA, subministrare domum, mensam, aleas, & chartas indifferenter omnibus ludere volentibus ludo prohibito, & peccare te in hoc mortaliter; Imò si admittas ad ludendum in domo tua, qui non sunt sui iuris ad perdendum, vt filiosfamilias, &c. vel eos, qui fraudant, teneri te ad restitutionem, nisi restituant principales; Teneo cum Sanchez *in Opusc. tom. 1. lib. 1. cap. 8. disp. 21.* Trullench *in Decal. tom. 2. lib. 7. cap. 27. dub. 1. num. 6. & 7.* Quia quamuis subministrare instrumenta indifferentia, vel locare domum, & vendere ornamenta meretrici, v. g. licitum sit, quando non ministrantur in ipso exercitio praui vsus, quia hæc non ita directè, immediatè, & proximè adiuuant meretricem ad peccandum; at secus erit in casu nostro, quia domus, & instrumenta

menta ad ludendum ministrantur in ipso exercitio, & magis immediatè, & directè.

2 AD hæc tamen addit Trullench. *loco cit.* Quod si nihilominus hìc, & nunc in aliqua domo ludentium non adsunt illa incommoda (quod rarissimum existimo) sustineri potest opinio contraria, quæ fundatur in auctoritate D. Thomæ, qui 2.2. *quæst.* 169. *art.* 4. dicit licitum esse ministrare, & vendere res indifferentes, etiam cum cognitione praui vsus, &c. sed huiusmodi est lusus taxillorum, & alearum; ergo &c. Proinde ait idem Trullench. attende Lector omnes circumstantias, vt de hac quæstione ritè, & rectè iudicare possis.

3 TE non peccare mortaliter, si ludendo perdas magnam nummorum quantitatem, & collusorem lucrantem à te supradictam quantitatem (nisi alia circumstantia concurrat reddens iniustum ludum) non teneri ad restitutionem; affirmo cum Sanchez *in opusc. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 54. *num.* 7. & multis alijs, quos ipse citat, & sequitur, quia cum ludentes sint veri domini illius quantitatis, possunt illam ludo exponere, & transferre dominium. Aliquãdo tamen in casu prædicto mortaliter peccari, aiunt; vt cùm hæc amissio magnæ quantitatis esset cum detrimẽto notabili filiorum, & vxoris, subtrahendo eis alimenta debita, vel ex hac ipsa amissione fias impotens ad soluẽda debita.

4 NON peccare mortaliter Laicum, nec venialiter quidem, ludentem ludis prohibitis; asserit Trullench *in Decal. tom.* 2. *lib.* 7. *c.* 27. *dub.* 1. *num.* 3. & quamplurimi alij, quia vel pœnæ quibus prohibentur hi ludi non sunt graues, vel si sunt graues, rarò, aut nunquam mandantur exequutioni, nam vt inquit Diana *part.* 2. *tract.* 9. *resolut.* 2. tam iura ciuilia, quàm canoni-

noni-

nonica prohibentia ludum alearum, & taxillorum ceciderunt à suo vigore, vt patet ex praxi.

5 NON peccare Clericos sæculares mortaliter, ludendo ludis prohibitis; affirmat Dicastillus *tom. 2. de Iustitia, & iure, lib. 2. tract. 18. disput. 2. dub.* 82. *num.* 18. si rarò, & non crebrò ludant, & non sit aliquod graue scandalum, quam sententiam tenent apud ipsum Caiet. in *Sum. verb. Cler. & 2. 2. quæst.* 138. Armill. *verbo, ludus*, §. 4. & alij multi, inter quos Molina, qui *disp.* 521. dicit non esse damnandos eosdem Clericos generaliter culpæ mortalis, ludentes aleis, quia secluso scandalo, vt inquit Dicastil. *loco cit.* ratione status personæ, nulla videtur inesse malitia, saltem mortalis huic ludo, & iure positiuo non videtur prohibitus sub mortali, vt colligitur in *cap. Cleric.*

6 ASPICIENTES, siue Clerici sint sæculares, siue regulares illos laicos, qui ludendo peccant mortaliter, peccare & ipsos mortaliter; asserit Bart. à S. Faust. *in Speculo Confess. disput.* 14. *quæst.* 28. *num.* 2. qui citat Nauar. & Lop. pro se, & adducit Bullam Pij V. in qua Clericis tam sæcularibus, quàm regularibus interdicitur hoc sub pœna excommunicationis, quæ cum non feratur, nisi pro culpa mortali, benè asserit peccare illos mortaliter.

7 RELIGIOSOS laxæ Religionis ludentes (nam de Religiosis strictæ obseruantiæ cõmunis sententia ait peccare mortaliter si ludant) non peccare, & posse, TVTA CONSCIENTIA, aliquid subtractum ab eorum portione sibi destinata ad substentationem, exponere ludo, dummodo hic sit licitus, & honestus, & nisi expresè à suis superioribus, & constitutionibus suæ Religionis interdictus sit ludus ipse,

ipse, & nisi Religiosus huiusmodi ludens in eodem anno, in alios vsus non necessarios, aut in aliam recreationem aliquid insumpserit, tantumdem enim detrahere debet ex quantitate quam exponit ludo; asserit Dicastillus *de Iustitia lib.2. tract.18. disput.4. dub.6.num.37.* quia, vt inquit Diana *part.7. tract.9. resolut.14. num.2.* Regulares huiusmodi non strictæ, sed laxæ Religionis in supradicto casu, ius habent exponendi ludo aliquid modicum, gratia reficiendi animum, tunc enim rationabile est præsumere talem esse Prælati voluntatem.

8 LVDENTEM ludo prohibito, credita pecunia, posse non soluere, si ludendo succumbat victori; affirmo cum Molina *disputat.523.* qui alios pro se citat, quia quamuis præscindendo à iure communi positiuo iste talis deberet soluere, vnde vbi supradictum ius commune non viget, omninò debet, tamen hoc eodem iure communi posito, non tenetur, quia ab hoc prohibetur solutio pecuniæ amissæ in casu supradicto, & licet collusor perdens deberet soluere priùs, & deinde per Iudicem repetere, potest hoc etiam per se facere, cùm moraliter idem sit, & non ita facilè possit per Iudicem.

9 TRAHENTEM ad ludum aliquem vi, minis, iniurijs, vel similibus, non teneri ad restitutionem, si collusor taliter tractus perdiderit; affirmo cum Bonacina *disputat. 2. quæst.2. punct.2. num.9.* vbi dicit hanc esse communem opinionem; quia contractus ludi fuit iustus, nam collusor attractus tali modo, si vincat, etiam fatentibus aduersarijs non tenetur restituere; ergo si ludus iste validus est, & non obligans ad restitutionem respectu attracti ad ludum, validus etiam erit respectu attrahentis,

tis, & si consensus attracti facit validum contractum quando vincit, ita etiam consensus ipsius faciet validum contractum ipsiusmet ludi, quando in ipso vincitur ab attrahente ad illum.

10 SI positiuè fingis te esse imperitum in ludendo, & sic trahis ad ludendum, qui verè imperitus est, si hic perdat, teneri te ad restitutionem; aio cum communi, nam contractus non esset ex vtraque parte iustus.

11 NON teneri te tamen ad restitutionem, si sine fraude, & positiua fictione ludas cum illo, qui minus noscit artem ludendi, quàm tu, & talis minus peritus tuam cognouit peritiam; assero cum Diana *part.7. tract.9. resolut.* 31. qui pro se citat Sanchez, & alios; quia dum Collusor talis spontè ludit cum se magis perito, censetur cedere iuri suo.

12 QVI vincit ludentem, qui vtitur fraudibus in ludo, posse ea, quæ vincit iustè retinere affirmo cum Diana *part.4. tract.4. resolut.* 169 qui citat S. Thom. Syluest. & alios; quia ipse ex parte sua ludit absque fraude; ergo non est fraudandus lucro suæ victoriæ propter fraudes colludentis.

13 SI vtaris fraudibus contra leges ludi, teneri te restituere non solùm id, quod lucratus es, verum etiam quod victus probabiliter lucraturus erat pro rata probabilitatis; affirmo cum communi, quia tunc non seruaretur æqualitas contractus, vt esset, si chartas fureris, si eas aliquo signo notes, si habeas aliquem socium te admonentem de punctis aduersarij, & similibus, vel si decipias in numerandis calculis.

14 NON teneri te tamen restituere, si in ludo vtaris fraudibus, seu astutijs, quæ in ludo com-

communiter permittuntur, & adhibentur; aio cum Dicastillo *de Iustitia lib. 2. tract. 18. disp. 5. dub. 3. num. 19.* & alijs, quia huiusmodi doli, quos patitur ipsa natura ludi, potiùs sunt dicendæ cautelæ, & artes ludi, in quas videntur consentire, eo ipso, quo ludentes conueniunt, & sic, vt benè ait Cardin. de Lugo *de Iustit. tom. 2. disp. 31. s. 2. §. 3. num. 34.* potes si potiores chartas habeas in ludendo, & securus sis de victoria augere sponsionem, vt plus lucreris, quia hæc est lex communis vtrique ludenti, sicuti etiam si scis te certè chartas inferiores habere, atque adeò certo vincendum, potes simulare, & augere sponsionem, vt alter timeat, & recuset; Eodem modo sicuti ait Sanchez *in Opusc. tom. 1. lib. 1. cap. 8. dub. 12. num. 2. & seq.* potes si habes optimum ludum simulare; & fictè dicere, transeat, ad effectum decipiendi tuum socium, vt sic eum prouoces ad augendam sponsionem, sicuti etiam potes tacere, licet iudices aduersarium accipere plures chartas, quàm deberet, propter quem excessum debeat posteà perdere id, quod appositum erat, & etiam si iudices aduersarium ipsum se decipientem in numerandis calculis, vel punctis, numerando scilicet pauciores, quam verè sint; quia vt benè ait Sanchez *in Opusc. tom. 1. lib. 1. cap. 8. dub. 14. num. 2.* licet sic ludens teneatur alterum non defraudare, non tamen tenetur alterum de sua negligentia, & errore admonere, hæc est enim lex ludi.

15 COLLVSOREM, si illi soluatur ab altero pecunia, quæ fuit credito perdita in ludo, posse, TVTA CONSCIENTIA, illam licitè retinere; affirmo cum Lugo *de Iustit. disput. 31. sect. 4. num. 67.* Diana *part. 7. tract. 9. resol. 24.*

Quia,

Quia, etsi leges irritauerint promissiones, & liberauerint victum ab obligatione soluendi, nunquam tamen irritauerunt translationem dominij si acquiratur. Quod etiam habet locum, etiam si soluens ignoraret se non esse obligatum ad soluendum.

16 COLLVSOREM, qui accusat plura puncta, altero non aduertente, teneri restituere; affirmo cum Dicastillo *de Iust. lib. 2. tract. 18. disp. 5. dub. 3. num. 22.* Nam sicut qui sciens soluit minus pretium, quàm amisit, tenetur ad restituendum collusori (etiam si hic ex inaduertentia putet totum sibi solutum fuisse) ita etiam tenetur ad restituendum, qui dicit se habere plura puncta, quàm habet, quia prædictæ fraudes non sunt permissæ in ludo.

CAPVT XXXVIII.

DE LVXVRIA.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam Casibus selectioribus pertinentibus ad hanc materiam.

1 NON satisfacere Confessionis præcepto illum, qui habuit copulam cum soluta, si dicat tantùm in confessione, se commisisse peccatum graue contra castitatem cum ipsa soluta, non explicando copulam; sed teneri hanc exprimere; assero cum communi Doctorum, & contraria opinio fuit damnata ab Alexandro VII. anno 1665.

2 NON esse probabilem opinionem assentem esse tantùm peccatum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, quamuis non timea-

timeatur periculum vlterioris consensus, & pollutionis; affirmo cum communi Doctorum, & contraria opinio fuit damnata ab eodem Summo Pontifice.

3 SI duo homines se polluant ad inuicem, non tamen in vase præpostero, sed incumbens vnus super alterum, sufficere dicere in confessione: Pollutus sum tangendo alium impudicè, faciens & illum pollui: Affirmo cum P. Gobat. *in Exper. Theol. tract. 7. num.* 545. Diana, Reginal. & quamplurimis alijs. Quia circumstantia incumbendi non mutat speciem.

4 SI quis pluribus vicibus peccaret cum muliere, cum illa dormiendo; non sufficere ad confessionem dicere: Tota nocte se peccasse cum fœmina, & quantum potuit, sed opus esse exprimere numerum copularum habitarum in illa nocte cum illa muliere; affirmo cum Diana *part. 3. tract. 4. resol. 67.* & Mend. *Epitom. verbo, Luxuria*. Quia quæuis copula est actus independens ab alio, & completus.

5 SI, quod absit, Nouitius frequenter mollitiei vacet, & reincidat, non teneri eum propterea religionem deserere; affirmo cum Cardin. de Lugo *in Respons. moral. dub.* 28. & alijs. Quia in Religione adsunt promptiora remedia, quàm in sæculo, vt abstineat, & facilius resipiscat, & plus incomparabiliter sit periculi, scandali, ac ruinæ redire ad sæculum, &c.

6 NON posse asseri, TVTA CONSCIENTIA, fornicationem, secundùm se, nullam inuoluere malitiam, & solùm esse malam, quia prohibita; affirmo cum communi Doctorum, & rationes id probantes hìc non adduco, dum contraria opinio, à qua asserebatur, tam clarum videri fornicationem secundùm se nullam inuoluere malitiam, & solùm esse malam,

quia

quia interdicta, vt contrarium omni rationi dissonum videatur, reprobata, & damnata fuit ab Innocentio XI. anno 1679.

7 MOLLITIEM non solùm malam esse, quia interdicta à Deo, sed etiam iure naturæ prohibitam esse; affirmo cum communi Doctorum, & Theologorum, & rationes id probantes superuacaneum existimaui hic afferre, dum contraria opinio, quæ asserebat, mollitiem iure naturæ prohibitam non esse, & quod si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali, reprobata, & damnata fuit ab eodem Summo Pontifice eodem anno.

8 SICVTI stuprum, communiter aiunt Doctores committi ab illo viro, qui cum virgine, ea repugnāte, habet perfectam copulam, ita ex probabiliore sententia hanc eandem copulam habitam cum eadem virgine, ea consentiente, non esse nisi simplicem fornicationem; affirmo cum Tamburino *in Explicat. Decal. lib. 7. cap. 551.*

CAPVT XXXIX.

DE MALEFICIO.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam casibus pertinentibus ad ad materiam de Maleficio.

1 NON posse te vti opera maleficorum, quamuis aliàs sint hi parati, TVTA CONSCIENTIA, & grauiter peccare te assero cum Sanchez *lib. 2. Summæ cap. 51. num. 5.* vbi dicit contrariam opinionem esse omninò falsam, & multos pro se citat.

Quia

Quia actio, quæ petitur est mala intrinsecè, & consequenter nullo modo adhibenda, nec pro malo vitando, & sic nec peti potest, nam esset peccato alterius cooperari, nec valet, vt benè monet Sanchez *loco cit.* paritas petentis mutuum ab vsurario parato, vel iuramentum à parato iurare per falsos Deos, quia licitum est à parato petere, quod ipse licitè potest præstare, & sua malitia eligit modum illicitum, quia tunc non est petere peccatum, nec ad illud cooperari, sed petere rem licitam, quam alter ex sua malitia illicitè præstat; nam vsurarius, & iurans, benè possent, & primus petenti ab ipso mutuum, illud concedere absque vsura, & secundus iuramentum emittere per verum Deum, & non per falsos, sed maleficus ob nullum bonum finem potest maleficium ipsum alio maleficio soluere, & sic petitur, quod non potest præstare absque peccato.

2 TIBI non licere petere vt maleficus, vel alius, vno maleficio aliud maleficium dissoluat, quia hoc esset, vt diximus maleficio cooperari; Posse te tamen, TVTA CONSCIENTIA, rogare maleficum, vt soluat maleficium modo licito, & præstando, quæ licitè, & sine ope dœmonis præstari possunt; affirmo cum supradicto Sanchez *loco citato num.* 12. Quia quisque habet ius, vt tollantur, & destruantur ligaturæ, nodi capillorum, volumina, & alia signa malefica ad hunc finem apposita, vt eis solutis diabolus nocere desinat. Quia tunc ex parte tollentis hæc signa nulla intercederet dœmonis inuocatio, aut cooperatio ad maleficiati damnum.

3 SI verò dubites, an maleficus, à quo petis maleficij dissolutionem, sciat modum licitum dissoluendi maleficium, non posse te ab illo

pete-

petere maleficij dissolutionem; assero cum Sanchez *lib.2.Sum.cap.41.num.12.* Suarez de *Relig.tom.1.lib.2.cap.18.* Layman. *Lib.4.tract.10.cap.4.num.9.* Vbi multos pro se citat, quia petere cum illo dubio, esset se exponere manifesto periculo rem illicitam postulandi, & cooperandi ad peccatum malefici.

4 QVOD si è contra certus sis maleficum scire licitam artem dissoluendi maleficium, posse te, TVTA CONSCIENTIA, ab illo petere maleficij dissolutionem, quamuis præsumas illum ex eius malitia, vsurum medio illicito; affirmo cum Suarez de *Relig.tom.2.lib.2.cap.18.* Lessio *Lib.2.cap.44.dub.6.* Sanchez de *Matrim. lib.7.dub.95.num.10.* Aduertit tamen Layman. *loco citato* ex doctrina multorum DD. quod si in tali casu est spes, magum obtemperaturum esse, (facta expressa conuentione, vt modo licito, & non illicito vtatur, tum quemlibet ex lege charitatis obligari, vt magum ad id adhortetur, cum hac ratione, graue peccatum proximi facili negotio impedire possit.

CAPVT XXXX.

DE MATRIMONIO.

Quid possit, vel quid non possit fieri, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad materiam prædictam.

1 NON requiri maiorē vsū rationis ad cōtrahenda sponsalia, quā ad peccandū mortaliter, docent Diana 3.*p.tra.4.res.*273. & multi alij apud ipsum, quia si maior vsus rationis requireretur, incautè à iure statutum esset tēpus septē annorū ad sponsalia ineūda.

2 VALIDA esse sponsalia, quæ fiunt sine Parocho, & testibus, docent plusquam viginti Doctores apud Sanchez *Lib. 1. de Matrim. disp. 12. num. 2.* quia sponsalia clandestina nullo Iure irritantur.

3 OPORTERE, vt valida sint sponsalia contracta à parentibus pro filijs absentibus, illa ratificari à filijs, siuè tacitè, siuè expressè aliquo signo sufficienti; docet ipse Sanchez *Lib. 1. disp. 23. num. 17.* Vbi multos alios DD. citat, & sequitur.

4 VALERE matrimonium, si contrahatur coram Parocho illius loci, quò migrant contrahentes recreationis causa v. g. redituri ad proprium domicilium, docet Bas. de Pontio *li. 5. cap. 13. n. 4.* Vbi adducit duas declarationes Cardinalium pro hac parte, quas citat, & sequitur Leander *Tract. 9. de Matrim. dis. 7. quæst. 20.* Vnde constat hanc sententiam verè esse probabilem, nam opinio defendens valorem matrimonij, præcipuè facti, est defendenda, quantum, terminis habilibus, fieri potest.

5 HOMICIDIVM coniugis factum ab altero coniuge non animo contrahendi matrimonium cum altero, sed ex odio, aut vt liberius veneri inseruiat non dirimere matrimonium subsequens, docent Sanchez *Lib 7. disp. 78. nu. 13.* & alij, vsque ad quinquaginta DD. ab ipso pro se citati, quia probabile est ad incurrendum hoc impedimentum necessarium esse, quod homicidium fiat animo contrahendi matrimonium post coniugis mortem.

6 HOC impedimentum dirimens matrimonium, non solùm incurri à viro occidente vxorem, sed etiam ab vxore occidente virum, cum intentione contrahendi aliud matrimonium, docet Sanchez *Lib. 7. disp. 74. num. 8.* qui pro se citat

citat alios Doctores vsque ad quadraginta, quia sic habetur expresse in *cap. si quis viuente ibi; nisi forte adulter, aut mulier virum, qui mortuus fuerat occidisse notetur*.

7 AD incurrendum hoc impedimentum, sufficere solùm occisionem alterius coniugis, quãdo vterque simul, nempè coniux, & alter cum quo matrimonium contrahendum est, machinantur mortem alterius coniugis; non sufficere verò occisionem alterius coniugis, sed requiri cum ipsa simul adulterium, casu, quo alter coniugum solus, & absque alterius consensu machinatur mortem coniugis, docet Sanch. & cum ipso quinquaginta quatuor Doctores quos ipse refert, & sequitur *loc. cit. num. 9*. Quia sic habetur ex *C. de Conuers. in fin.*

8 ESSE necessarium, vt adulterium habitum ab vno coniuge dirimat matrimonium, quod cum illo iungatur promissio contrahendi cum adultero post mortem coniugis, docet Sanchez *Lib. 7. disp. 79. num. 2.* & communiter DD. quia adulterium tantùm sine dicta promissione nullum inducit impedimentum.

9 TENERI coniugem petere coniugale debitum, & multò magis reddere casu, quo in altero coniuge probabiliter præuideatur periculum incontinentiæ, docet D. Thom. in 4. *disp. 32. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 1. ad 1.* & multis alijs, quos refert; & sequitur Sanchez *Lib. 9. disp. 2. num. 6. & 7.* quia matrimonium etiam in remedium concupiscentiæ est institutum, ergo vbi alter coniux copula indiget in remedium, licet non petat, tenetur alter coniux eam offerre, imò & petere.

10 CONTINGERE posse esse solum veniale, aut nullum peccatum negare debitum coniugale in aliquibus casibus si quando con-

iux tantum petat debitum beneuolè, & amicè, non tanquam debitum ex Iustitia, & in hoc casu, nec peccari venialiter, docet Sot. in 4. *Dis.* 32. *quæst.* 1. & alij multi quos refert, & sequitur Sanchez *loco cit. num.* 10. Secundo solum erit peccatum veniale negare debitum, quando raro denegatur, dummodo hoc fiat absque periculo Incontinentiæ petentis, sic nec erit mortale non statim reddere debitum, sed post aliquod breue tempus, vt si coniux manè negat debitum, redditurus nocte v. g. aut paulo postquam petit, vt docet idem Sanchez *loco cit.* & quamplures alij. Tertio solum erit veniale, quando coniux remissè petit, vel rogatus facilè desistit à petitione, vt habent multi Doctorum quos citat, & sequitur Sanchez *loco citato num.* 13. Quarto nullum est peccatum denegare debitum coniugi qui nimis immoderatè peteret, sicuti docent Sot. Henriquez, & alij apud Leandrum *loc. cit. disp.* 25. *quæst.* 6.

21 NON esse mortale reddere debitum coniugi exigenti illud modo indebito, quo ad situm, dummodò non sit periculum effundendi semen extra naturale vas; affirmo cum pluribus DD. quos citat, & sequitur Sanch. *Lib.* 9. *dis.* 17. *n.* 2. Vbi dicit hoc non esse nisi veniale, dūmodo ex tali modo non impediatur generatio; quia probabilius est exigentem debitum tali modo solum peccare venialiter; sed sic est, quod alter coniux non solum potest, sed tenetur reddere debitum in omni actu excludente culpā mortalē, & ex quo potest haberi generatio, nec est periculū versādi semen; ergo, &c.

22 NEC teneri, nec posse reddere alterum coniugem debitum cum propriæ detrimento salutis,

salutis, nisi obstaret periculum damni vniuersi vel totius Regni, habet Sanchez *Lib.9. Disp.24. num. 2.& 8.* Vbi multos citat pro se. Posse verò sed non teneri coniugem reddere debitum in casu, quo exigenti immineat periculum incontinentiæ, quia cum tanto detrimento non tenetur vitare peccatum alterius, secus verò dicendum, si damnum, aut detrimentum sit leue, quod nec possit reddere probatur, quia coniux cum non habeat dominium propriæ vitæ obligatur ad habendam curam moderatam illius: ergo, &c.

13 NON esse mortale negare debitum, quando non adest periculum Incontinentiæ, & Parentes non possunt alere tot filios, docent Sanchez. *loc. cit. disp. 25. num. 3.* Vbi multos alios citat. Quia magna incommoditas liberat etiam ab alijs debitis Iustitiæ, non enim adest obligatio restituendi cũ magno incommodo.

14 NEC teneri fœminam reddere debitum, imò, nec posse petere, quando nequit viuum edere fœtum, aut casu, quo ex quauis alia causa, nequeat fœmina parere absque periculo graui propriæ vitæ, Petr. de Ledes. de *Matrim. quæst. 58. in fin.* & Bon. *1. tom. sum. cap. 239. nu. 6.* & alij, quia nullus habet propriæ vitæ dominium.

15 QVAMQVAM liceat à matrimonio rato, & non consummato infra bimestre resilire, & Religionem ingredi; si occurrat casus, quod dum vir cognoscebat prima vice illam, quam duxerat per verba de præsenti, & sic eam deflorauit, non tamen semen emisit intra vas, ex aliquo externo impedimento, &c. Non posse TVTA CONSCIENTIA, virum talem; etiam infra bimestre Religionem ingredi, & à matrimonio resilire, assero cum

Molina de *Cælibatu lib. 5. c. 77.* qui alios pro se citat DD. Quia licet matrimonium supradictum in tali circumstantia, non dicatur perfectè consummatũ, tamen mulier ista in tantum, passa est se deflorari, in quantum putabat fore perpetuum suum virum, illum, qui eam cognouit, & deflorauit. Ad hoc accedit, quod si DD. communiter docent, teneri eum, qui cognouit, & deflorauit fœminam, sub spe futuri matrimonij illam ducere, & nullo modo posse eum ingredi Religionem; A fortiori tenebitur ille, qui iam contraxit matrimonium, in eo persistere, & perseuerare, dum illam, quam duxit per verba de præsenti deflorauit sub spe, & promissione, si minus explicita, tamen implicita perseuerantiæ matrimonij, in quo si non perseueraret, remaneret vxor innupta, & obnoxia multis grauissimis damnis.

16 IN causis, & rebus pertinentibus ad matrimonium, siuè sponsalia, aut in exequutione dispensationis matrimonialis, seu pro informatione ad probandum statum liberum, vel pro dispensatione publicationum, aut pro obtinenda licentia contrahendi domi, vel alio simili loco, vel in tempore prohibito, aut coram non Parocho, & denique pro quocumque actu pertinente ad materiam matrimonij, & qui possit fieri ab Episcopo, seu eius Vicario, vel quocumque alio Officiali, Ministro, vel familiari: non posse, TVTA CONSCIENTIA, aliquid accipi sub quocumque prætextu, vel colore, etiam gratuiti doni, sponte oblati, declarauit Innocentius XI. in Bulla emanata anno 1678.

17 POSSE tamen, TVTA CONSCIENTIA, à Cancellario solummodo accipi pro labore scripturarum iulios tres, seu tres carolenos,

pro

pro quolibet teste examinando, dummodò omnia simul non excedant valorem vnius aurei, seu decem carolenorum, seu iuliorum; declarauit idem summus Pontifex in supradicta Bulla.

18 NON teneri, TVTA CONSCIENTIA, virum credere vxori, sibi dicenti se cum illo contraxisse fictè matrimonium, nisi aliæ coniecturæ id moraliter certò suadeant; affirmo cum Bonac. de *Matrim. quæst. 4. punct. 4. num.* 19. Vbi multos alios DD. pro se citat. Quia verosimilius est talé vxoré potius nũc mentiri, quam mentitam fuisse in principali contractu, cum verè consentire, & sine impedimento contrahere videri vellet. Ad quod accedit, quod hæc doctrina videtur clarè contineri in *Cap. per tuas de probat.* Vbi dicitur: Nimis indignum est iuxta legitimas sanctiones; vt, quod quis sua voce dilucidè protestatus est, valeat proprio testimonio infirmare. Quod si adsint aliæ circumstantiæ, quæ virum prudentem certum moraliter reddere possunt de ficto consensu, tenetur credere, & abstinere se ab omni carnali contractu.

19 SI cum impedimento dirimente, inualidè contraxerunt aliqui matrimonium per verba de præsenti, sed ipsi ignorantes tale impedimentum sunt adhuc in bona fide, putantes matrimonium validè, & licitè ab illis contractum fuisse. Posse, TVTA CONSCIENTIA, imò debere relinqui tales sponsos in sua bona fide, nec monendos de inualiditate matrimonij, quando separari non possent ab inuicem absque graui scandalo, & non speretur ex admonitione, quod viuant separatim à thoro, nec possint impetrare dispensationem, affirmo cum comm. DD. quia cum in supradicto casu experientia constet, post admonitionem

sponsos se nolle ab inuicem separare, melius est illos in bona fide relinquere, & interim à Summo Pontifice per litteras secretas dispensationem procurare.

20 SI Petrus v.g. post contracta sponsalia cum Berta, contraxerit alia sponsalia cum filia, cum qua habuit etiam copulam, adhuc valere prima sponsalia, & non secunda; affirmo cum Sanchez *Tom.1.de matrim.lib.1.disp.44.num. 5.* Henriquez *Lib.11.de Matrim.cap.46.* Hurtad. *Disput.2.diff.8.num. 30.* & alijs, quia Petrus non tenetur ad secunda sponsalia ratione promissionis, etiam iuratæ, cum hæc sint nulla, vt relata ad tempus iuris alterius, nam est rei illicitæ, præsuppositis prioribus sponsalibus, neque tenetur ratione damni illati posteriori sponsæ, quia huic damno satisfieri potest constitutione dotis, aut alia via.

21 Ob solam voluptatem exercere opus coniugij esse peccatum veniale, assero cum communi Theologorum, nec rationes illorum hic assero ad id probandum; cum conrraria opinio reprobata fuerit, & damnata ab Innocentio XI. anno 1679.

CAPVT XXXXI.

DE MEDICO.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad materiam prædictam.


1 NON rectè facere Medicum, qui indulget, & acquiescit absque vlteriori indagatione affirmantibus se non posse ieiunare, dispensando cum illis ad ieiunium;

nium; affirmo cum communi Doctorum, quia nemo potest alterum ab obligatione eximere pro libito, cùm præceptum sit in possessione; ergo debet habere causam, quam debet cognoscere, an sit sufficiens, an non? an sit realis, vel tantùm apparens, & ficta? quæ vt cognoscantur, requirunt diligentem Medici inquisitionem, si ergo hæc despiciantur ab ipso, non rectè aget in conscientia.

2 MEDICOS teneri visitare pauperes gratis; affirmo ex *cap. noli, de Pœnit. & remiss. disp.* 1. & ideò si secus faciant, grauiter peccare.

3 NON teneri infirmum etiam si præcipiatur ei à Medico, vel habente potestatem coactiuam ad admittendam mutilationem, &c. vt euadat mortem, vel abstinere cum maxima difficultate, & acerbissimo suo dolore à bibendo, & sitim tolerare, ne sibi acceleret mortem; affirmo cum Dicastillo *de Iustitia, & Iure lib. 2. tract. 1. disput.* 10. *num.* 554. Eminentissimo de Lugo *disputat.* 10. *num.* 21. & alijs. Tum quia actus iste, ob acerbitatem doloris, est nimis arduus; Tum quia nemo per se loquendo tenetur adhibere media extraordinaria, vel valdè difficilia ad conseruandam vitam, iuxta adagium; non est tanto dolore digna salus.

Finis Libri Secundi.




TVTÆ CONSCIENTIAE LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

DE MISSA, SIVE DE EIVS AVDITIONE.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus casibus pertinentibus ad hanc materiam.


1 
DIMPLERI hoc præceptum audiendi Missam, etiam si audiatur celebrata quocumque Idiomate, & ritu siue Latino, siue Græco, Syriaco, & simili, dummodo talis ritus sit ab Ecclesia approbatus, teneo cum Eminentissimo de Lugo *disput.22. sect.1. num.2.* & quamplurimis alijs, quia nullum extat præceptum, quo ligentur fideles audire Missam Idiomate Latino, aut alio.

2 ADIMPLERE hoc præceptum audiendi Missam, qui omittit à principio eius vsque ad Epistolam inclusiuè, docent Suarez *in 3 par. D.Thom.*

D. Thom. quæst. 83. *disput.* 88. *sect.* 2. *versu secundo*, sequitur & idem Lugo *disput.* 22. *de Euchar. sect.* 1. *num.* 3. Vbi quamplurimos alios citat; quia probabilius, & verius est hanc partem Missæ, nullo modo esse notabilem, sed paruam, & modicam, cum vix sit quarta pars respectu totius Missæ; Ergo omittere illam nullo modo erit peccatum mortale, sed tantùm veniale, & consequenter illam non audiens verè adimplebit præceptum audiendi Missam, quæ doctrina habet locum, vt ait Suarez supra citatus, dummodo Missa reliqua vsque ad finem audiatur; nam si quis in principio vsque ad Epistolam inclusiuè omitteret, & postea statim post Communionem Sacerdotis egrederetur ab Ecclesia, nimia esset licentia, nec careret scrupulo peccati mortalis, oportet ergo vt saltem assistat vsque ad dimissionem populi, vel Sacerdotis benedictionem. Hæc Suarez.

3 ADIMPLERI hoc præceptum audiendi Missam, etiam ab illo, qui ab Introitu vsque ad Euangelium inclusiuè omitteret, si audiat reliquum Missæ vsque ad Euangelium Sancti Ioannis inclusiuè; affirmant Suarez *loco citato disput.* 88 *sect.* 2. *versic. vltimo.* Lugo *de Euchar. disput.* 22. *sect.* .... *num.* 3. & quamplurimi alij, quia adhuc concesso, quod omissio principij Missæ vsque ad Euangelium inclusiuè, sit pars notabilis, & consequenter obnoxia peccato mortali, tamen per auditionem vltimi Euangelij, quod non obligantur fideles audire, cum possint recedere data benedictione Sacerdotis, compensatur satis Euangelium omissum in principio; ergo &c.

4 SATISFACERE præcepto Ecclesiæ, qui omitteret à communione Sacerdotis exclusiuè




TVTÆ CONSCIENTIAE, LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

DE MISSA, SIVE DE EIVS AVDITIONE.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus casibus pertinentibus ad hanc materiam.

1 DIMPLERI hoc præceptum audiendi Missam, etiam si audiatur celebrata quocumque Idiomate, & ritu siue Latino, siue Græco, Syriaco, & simili, dummodo talis ritus sit ab Ecclesia approbatus, teneo cum Eminentissimo de Lugo *disput.22.sect.1.num.2.* & quamplurimis alijs, quia nullum extat præceptum, quo ligentur fideles audire Missam Idiomate Latino, aut alio.

2 ADIMPLERE hoc præceptum audiendi Missam, qui omittit à principio eius vsque ad Epistolam inclusiuè, docent Suarez *in 3 par. D.Thom.*

D. Thom. quæst. 83. disput. 88. sect. 2. versu secundo, sequitur & idem Lugo *disput. 22. de Euchar. sect. 1. num. 3.* Vbi quamplurimos alios citat; quia probabilius, & verius est hanc partem Missæ, nullo modo esse notabilem, sed paruam, & modicam, cum vix sit quarta pars respectu totius Missæ; Ergo omittere illam nullo modo erit peccatum mortale, sed tantùm veniale, & consequenter illam non audiens verè adimplebit præceptum audiendi Missam, quæ doctrina habet locum, vt ait Suarez supra citatus, dummodo Missa reliqua vsque ad finem audiatur; nam si quis in principio vsque ad Epistolam inclusiuè omitteret, & postea statim post Communionem Sacerdotis egrederetur ab Ecclesia, nimia esset licentia, nec careret scrupulo peccati mortalis, oportet ergo vt saltem assistat vsque ad dimissionem populi, vel Sacerdotis benedictionem. Hæc Suarez.

3 ADIMPLERI hoc præceptum audiendi Missam, etiam ab illo, qui ab Introitu vsque ad Euangelium inclusiuè omitteret, si audiat reliquum Missæ vsque ad Euangelium Sancti Ioannis inclusiuè; affirmant Suarez *loco citato disput. 88 sect. 2. versic. vltimo.* Lugo *de Euchar. disput. 22. sect. .... num. 3.* & quamplurimi alij, quia adhuc concesso, quod omissio principij Missæ vsque ad Euangelium inclusiuè, sit pars notabilis, & consequenter obnoxia peccato mortali, tamen per auditionem vltimi Euangelij, quod non obligantur fideles audire, cum possint recedere data benedictione Sacerdotis, compensatur satis Euangelium omissum in principio, ergo &c.

4 SATISFACERE præcepto Ecclesiæ, qui omitteret à communione Sacerdotis exclusiuè

vsque ad finem Missæ, tenet Suarez *disput.* 88. *sect.* 2. *vers. secundo sequitur*, vbi sic ait: Si autem quis à principio Missæ audiat, & vsque ad Communionem assistat, quamuis reliquum omittat, non erit peccatum mortale, quia illa non est pars notabilis, quam sententiam tenet etiam communis Doctorum.

5 SATISFACERE præcepto Ecclesiæ, qui solùm non adest consumptioni Sacrificij, tenent Lug. *de Sacram. disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 4. Suarez *loco cit. disput.* 88. *sect.* 2. *vers. vltimo*, & alij, quia probabilius est dictam sumptionem non pertinere ad essentiam Sacrificij, nec partialiter quidem; Ergo cum aliàs omissio huius partis sit leuis, non erit mortalis.

6 SATISFACERE verò præcepto, eum, qui priorem partem Missæ audit ab vno Sacerdote, & alteram ab altero, idest qui prius audit ab vno à principio vsque ad consecrationem, & posteà ab altero reliquam partem Missæ, docent Suarez *loco citato, versu sed tunc inquiri potest*. Leander *de audit. Missa, tract.* 2. *disp.* 1. *quæst.* 51. qui dicit hanc sententiam teneri communiter à Doctoribus, quia, qui prædicto modo audit Missam, verè illam audit, quamuis à duobus Sacerdotibus, ergo verè satisfacit præcepto Ecclesiæ.

7 NON satisfieri Confessarij præcepto de audiendo duas Missas, v. g. si illas audiat simul tempore, tenet Turrian. *in Selectis par.* 2. *disput.* 16. *dub.* 7. vbi hanc sententiam docet his verbis; Ex quo vlteriùs infero, quod si alicui imponatur à Confessario pœnitentia audiendi duas Missas, non satisfaciet pœnitens, si velit duas Missas simul tempore audire à duobus Sacerdotibus, hoc enim esset contra intentionem Confessarij, qui communiter intendit in hac

hac pœnitentia imponere pœnitenti onus audiendi duas Missas diuersis temporibus, quod satis constat ex communi consensu Confessorum, & pœnitentium, hæc ille, & alij citati à Leandro *loc. cit. quæst.60.* vbi adnotat quatuor fermè Authores pro contraria sententia citatos à Doctoribus illam minimè docere, sic dicens: Sed ex his qui citantur authoribus, &c. Sà, nec in noua, nec in antiqua editione habet quid ad propositum; Nec Rodriquez in prima editione id docet *num. 1. sed tertio*, nec Azorius, & minus Graffius, qui de hac quæstione non loquuntur; hæc Leander.

8 ADVERTE igitur, mi Lector, hac occasione, quomodo cautè legendi sint Authores, & quomodo ad TVTAM CONSCIENTIAM tum nostrum, qui scribimus, tum aliorum, qui nostra scripta legunt, necesse est prius Authores legere, & eorum doctrinas, puncta, & virgulas obseruare, & deinde illos citare, alioquin fiet non raro, vt oporteat, cum risu audire illud, quod asserebatur à quodam Sapientissimo Viro tamquam certum, nimirum citari in quadam Epistola ad se missa Concilium Tridentinum pro parte affirmatiua, quia omittebatur monosyllaba; Non, quod erat legendum in capite illo Tridentini, vnde mihi subiungebat. Hic dicit, quod Concilium asserit hoc, attamen nullum aliud est dissidium, quod verè non dicit.

10 SATISFIERI præcepto ab illo, qui dum Missam audit recitat officium, aut alias orationes ex pœnitentia, Voto, aut Iuramento debitas, docent Suarez *loco cit. disput. 88. sect. 3. in fin.* Sanch. *lib. 5. Sum. cap. 14. num. 11.* Eminentissimus Cardinalis de Lugo *disputat. 22. sect. 2. num. 22.* Dian. *part. 4. tract. 4. resolut. 107.*

&

& plusquam viginti alij Doctores; teste Leandro *loc. citat. disp. 68.* Quia proposito modo assistens, verè assistit Missæ, non solùm corporaliter, sed etiam mentaliter; Ergo; quod etiam asserit Hurtad. *Disput. 5. de Sacr. Miss. diff. 2.* ita dicens; satisfaciunt tamen, qui dum assistunt, se vestiunt, quia facilè possunt ad Missam, & alias res Diuinas interius attendere, & etiam, qui dum assistit Missæ recitat Rosarium, aut Horas Canonicas, imò, & qui eas legit, quia etiam potest interius attendere ad Missam, & alias res diuinas, quod etiam sufficiet ad satisfaciendum præcepto auditionis Missæ, & simul etiam satisfaciet Voto, aut præcepto Ecclesiæ recitandi horas, aut pœnitentiæ. vel Voto recitandi Rosarium, aut aliam orationem; Quia audire Missam, non est moraliter incompossibile cum attentione ad recitationem, vel saltem ad alias res Diuinas, quod sufficit; sic ille.

11 NON satisfacere præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes simul audit à diuersis celebrantibus; affirmo cum comm. DD. nec oportet afferre rationes id probantes, nam contraria opinio, quæ asserebat satisfieri præcepto Ecclesiæ de audienda Missa ab eo, qui simul audit duas eius partes, imo quatuor à diuersis celebrantibus, damnata fuit ab Innocentio XI. anno 1679.

12 LICET in breui de oratorio priuato, asseratur, Missā posse celebrari in tuæ, ac familię tuę presētia, si Dominus absit, posse celebrari Missā coram familia, & hanc satisfacere præcepto; sicuti etiam è contra affirmo cum Dian. *p. 9. tr. 1. res. 2.* & alijs quia particula, *&*, in his casibus accipitur in sensu disiunctiuo, non copulatiuo.

13 NON

13 NON esse necessariam, ad satisfaciendum præcepto audiendi Missæ, intentionem formalem. vel virtualem, qua quis vult adimplere hoc præceptum de audienda Missa, aio cum Sanchez in *Summa tom.1. lib.1. cap.13. num.9.* vbi ait, quod quamuis ad præcepti impletionem exigatur intentio, & voluntas operis præcepto iniuncti exequendi, v. gr. audiendi Sacrum; at non exigitur intentio satisfaciendi præcepto per id opus, quare, qui præcepti immemor, aut ignorans esse diem festum, sacro interesset, verè is præceptum impleret, itaque per leges solum præcipitur a libera operis externi exequutio, & non vt ex tali intentione satisfaciendi fiat, quam doctrinam, prius docuerunt Suarez, Vasquez, quos citat ipse Sanchez, & sequitur Diana *3. part. tract. 6. resol.*68. & alij quamplurimi; Quia probabilius est, quod non oporteat ad impletionem præceptorum, quod actus eorum fiant ex intentione formali, aut virtuali adimplendi illa, cum præcepta tantummodò obligent ad actus quos præcipiunt, vt modò Sanchez; ergo. Vnde Fagundez, qui est in eadem sententia in 1, *præc. Eccl. lib.2.cap.7.nu.*13. hæc habet: Hinc etiam qui Missam audiuit in die Dominico, immemor obligationis præcepti, & existimans non esse diem Dominicum, non teneri aliam audire, & satisfacere per eam præcepto, docet Suarez *tom.3. de Sacram. disp.*88. *sect.*3. *col.* 1. *lit. B. & C.* & præcipuum fundamentum Suarez est; quia eo ipso, quod ille non habuit hanc voluntatem, & intentionem formalem, nolo implere præceptum per huiusmodi Missam, censetur habuisse voluntatem virtualem implendi illud per illam, & post pauca subdit idem Fagundez: & iuxta hanc doctrinam Suar. & San-

& Sanchez respondendũ est ad sedandos scrupulos Sacerdotum dubitantium, an habuerint intentionem requisitam ad consecrandam Hostiam, nam iuxta fundamentum Suarij, eo ipso, quod verba cõsecrationis dixerunt, & non habuerunt hunc actum, & hanc intentionem formalem, scilicet; nolo consecrare, virtualem habuerunt intentionem consecrandi; hęc Fagundez, quæ sint obiter dicta propter Sacerdotes scrupulosos; sed redeamus ad scrupulosos obligatos ad audiendam Missam in die præcepti: nam præter ea, quæ paulò ante diximus inueni & hanc aliam doctrinam satis opportunam, pro illis qui ita implicati sunt tenebris scrupulorum, vt non cessent quotidie, & seipsos vexare, & Confessarios, semper dubitantes, an habuerint intentionem Sacri audiendi? quia videtur illis, non solum illam non habuisse, sed noluisse eam positiuè habere, adeòque nullo modo præcepto satisfecisse; pro istis, inquam præcipuè, inueni, vt dixi auream verò doctrinam, quam refert, & sequitur P. Diana *loc.cit.* Vbi hæc habet: Repellantur igitur anxietates à scrupulosis, qui Domini iugum suaue, durum, & difficile reddunt; Imò ego puto, vt alibi etiam notauimus, satisfacere præcepto, qui vult Missam audire, vel recitare Officium, cum voluntate expressa non adimplendi præceptum recitationis officij, & audiendi Missam, nec opus esse mutare animum in tempore habili, & applicare pro adimplendo præcepto Missam illam auditam, & officium recitatum, ita contra multos docent Sanchez, Valentia, & Vasquez, quos citat, & sequitur Fagundez in *Præcep. 1. lib. 2. cap. 7. num. 14.* hæc Diana, & Fagundez ipse *cit. loc. num. 24.* expressè docet, quod, qui in die festo audit

Missam

Missam cum expressa intentione non implendi per illam præceptum, sed per aliam, non teneri postea aliam audire, nec opus esse mutare animum, sed per illam impleuisse preceptum, & illi satisfecisse, nec peccare mortaliter, si animum habuit aliam Missam audire in eodem die, qua impleret præceptum; peccare verò mortaliter si expressum animum habuit non satisfaciendi præcepto per illam, nec audiendi aliam eodem die, qua præcepto satisfaceret, quam sententiam docuit etiam Diuus Thomas, qui 2.2. *quæst.*104. *art.*3. dicit posse quemquam actum virtutis explere non attendendo ad rationem præcepti, & Sanchez, qui *Tom.*1. *Summ. lib.*1. *cap.*1. *num.*13. dicit hanc sine dubio esse probabiliorem sententiam, quam probat quatuor efficacissimis rationibns, & precipuè illa, quia cum per leges, & præcepta solum præcipiatur nuda, & libera executio operis externi, non verò vt fiat ex intentione formali, aut virtuali; sic posito, quod quis efficiat, ea quæ precipiuntur, quamuis per ea nolit satisfacere, verè satisfaciet, non enim est in manu hominis, præcepto non satisfacere, dum ponit id, quod præcipitur, erit enim implicantia quædam facere, quæ imperantur, per legem humanam, & non satisfacere legi.

14 SIC audientem Missam in die festo cum animo audiendi aliam ad satisfaciendum præcepto; non teneri de facto aliam audire? Tenent DD. supradicti quia auditione primæ Missæ re vera adimpleuit iste talis preceptum, vt constat ex dictis.

15 ACCEDENTEM ad audiendam Missam ex fine v. grat. videndi fœminam ad finem turpem, satisfacere præcepto, quamquam iste

talis

talis peccet aliàs contra castitatem, vt docent Nauar. in *Ma. cap.* 21. *nu.* 6. qui contrariam sententiam vocat falsam, & Azor. *Tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 6. *quæst.* 1. Vbi dicit hanc sententiam omninò veram esse; quia nihil obstat, vt quis opere malo possit adimplere præceptum, Teste D. Thom. *prima secunda qu.* 100. *art.* 9. & cum eo omnes Theologi; Ergo si supradictus ponat totum, quod requiritur ad præceptum audiendi Missam, licet aliàs peccet, verè præceptum adimplebit.

16 NON opus esse videre Sacerdotem celebrantem ad adimplendum præceptum, sed solùm, quod corpore, & mente intersit, docent Caiet. in *Sum. verb. fest. dies*, & alij communiter cum illo, quia sufficit, vt moraliter sit præsens Missæ, qui illam audit.

17 SICVT satisfieri etiam præcepto ab illo, qui audit Missam, quæ celebratur in Ecclesia, è fenestra domus suæ, dummodò è dicta fenestra possit videre, aut audire, aut cognoscere aliquo modo, quid agat Sacerdos in Missa, docent Dicastillus *Tract.* 5. *de Sac. disp.* 5. *dub.* 4. *nu.* 59. Dian. *par.* 10. *tr.* 11. *res.* 7. *in fine.* quia sic audiens verè dicitur esse moraliter præsens Missæ; ergo verè satisfacit, nec obstat, quod mediet, aut non mediet inter fenestram, & Ecclesiam vicus, seu via aliqua, dummodo etiam hac mediante possit, vt diximus e fenestra quis Missam audire modo supradicto.

18 EXISTENTEM in Choro, qui est post Altare, satisfacere præcepto, si inde Missã audiat, docet Lug. *Disp.* 22. *sect.* 2. *n.* 20. Vbi dicit nõ requiri videre Altare (nam vt inquit ipse) Religiosi, qui in Choro cantant non vident Sacerdotem iuxta vsum Romanum, vbi Chorus Regularium haberi solet post Altare maius, muro inter-

interposito, & tamen satisfaciunt præcepto, quia re vera assistunt moraliter illi sacrificio.

19 EXCVSARI ægrotos, & conualescentes ab audienda Missa, teneo cum Henr. *Lib.9.cap.25. num.*10. Azor. *lib.7.cap.6.quæst.1.* & quamplurimis alijs, & est communis, quando timent, quod exeundo domo ad Missam, incurrerent periculum maioris morbi, quia Ecclesiæ præcepta non obligant cum tanto incommodo; quam sententiam sequutus est etiam Castropalaus, qui *tom.4.tract.22. disp. vnic. punct. vltimo.nu.*4. hæc docet: Si cum infirmus sis, inquit ipse, vel non satis robustus, probabiliter timeas aggrauandam esse infirmitatem, vel retardandam conualescentiam, si domo exeas, & Ecclesiam adeas, excusaris ab obligatione; vt autem securè procedas, in casu dubio, monet Bonacina *Disp.4.de Sacr.quæst. vltima nu.3.* consilium Medici, Superioris, vel Parochi postulandum esse, sed vt bene Suarez *Disput.*88. *sect.6.nu.*3. optimè hoc periculum exploratur ex alijs negotijs, si enim timor infirmitatem aggrauandi, impediat egredi è lecto, vel domo ad negotia æqualis, vel maioris laboris, indicium optimum est adesse probabile periculum nocumenti, secus è contra; idem, quod dictum est de infirmo, dicendum de fœminis grauidis, quæ quodammodò infirmantur. Hæc Palaus.

20 DISTANTEM ab Ecclesia per distantiam trium milliarium excusari ab audienda missa in die festo; affirmo cum Suarez *Disput.*88. *sect.6.num.*3. Castropal. *Tom.4.tract.22.punct. vltimo, num.*4. & quamplurimis alijs; quia cum hæc distantia debeat duplicari eundo, & redeundo, ad locum à quo quis discessit; & pedibus iter faciendum supponitur, verè non

breuis,

breuis, sed longa satis existimanda est, & consequenter sufficiens ad excusandum quemlibet à Missa audienda.

21 EXCVSARI etiam tempore niuis, aut pluuiæ, ab auditione Missæ distantem ab Ecclesia etiam per minorem distantiam ac supra dicta, docent Suarez *Tom.3. in 3. part. disp.88. sect.6.* Fagundez in 1. *Prac. Eccl. lib.2. capit.9. num.*10. Trullench. *Lib.3. in Decal. cap.*1. *dub. 7. num.*10. Vbi hæc asserit discretissimus vir, Excusari potest qui longè distat ab Ecclesia, si commodè nequeat adire, vt si distet per tria milliaria, & pedibus iter conficere debeat, in qua re opus est prudentia, habita ratione personæ, temporis, & loci, fieri enim potest, vt qui tempore sereno non excusatur spatio duorum milliarium, excusetur tempore niuis, pluuiæ, aut tempestatis.

22 SICVTI excusari à Missa audienda matrem, nutricem aut famulas, quæ non possunt relinquere infantulos domi, seù filias absque aliquo periculo, nec habent aliquos, quibus illos, vel illas commendare possint, tenent Diana *part.*10. *tract.*11. *resol.*36. & Trullench. *loc. citat. num.*5. Fagund. *De* 1. *Prac. Eccl. lib.*2. *cap.*9. *num.*2. & alij quamplures, quia respectu Infantulorum, vt experientia constat, non possunt deferri ad Ecclesiam absque Celebrantis molestia, & adstantium perturbatione, respectu autem filiarum, si non possunt eas matres secum ad Ecclesiam ducere, clarum est, quod si timeatur probabiliter aliquod periculum, non decet relinquere illas absque custodia, & potest cum illis absque scrupulo, domi manere, & Missam non audire. Ad quæ addit Fagundez *loc. cit.* quod probabilitas ista damni spiritualis, &c. Pensanda est secundùm existi-

existimationem, & fidem cuiusque, etiam si aliquando ipse fallatur, & ita in re non sit, sufficit enim, quòd prudenter, & bona fide periculum timeatur. Ex quo capite periculi, & damni spiritualis, Fagund. ipse citans multos, excusat interdictos, & excommunicatos, etiam toleratos ab auditione Missæ, quia ipsi peccant mortaliter audiendo Sacrum, & communicando in rebus diuinis.

23 SICVTI etiam excusari à Missa audienda, vxorem, quæ sine rixa, vel mariti indignatione, domo exire non potest; affirmat Castrop. *Tom.4. tract.22. punct. vlt. num.4.* quia si timeatur grauis indignatio, timetur graue damnum, cum quo, vt diximus, Ecclesiæ præcepta non obligant. Palaus supradictus asserens communiter excusari mulierem, quæ timens grauem rixam, seu iram mariti omittit missam, vt conuenienti tempore, & modo omnia præparet, & occasionem perturbationis tollat: addit, quod hoc intelligendum est de perturbatione graui, & alicuius momenti, secus de leui, hæc enim dissimulanda est, & patienter sustinenda.

24 EXCVSARI etiam vxorem ab auditione Sacri, si maritus ob zelotypiam nolit eam è domo egredi, docent Henriquez *lib.9. cap.25. num.10.* Castrop. *Tom.4. tract.22 punct. vltimo nu.4.* & est communis, quia hæc vxor moraliter posset timere sibi graue damnum, si domo egrederetur ad Missam audiendam, Ergo poterit, TVTA CONSCIENTIA, marito condescendere, & Missam non audire, vt latius docent Henriquez, Suarius, Bonacina, & Azorius citati à Palao *loc.cit.*

25 FAMVLOS, vel famulas, quæ prudenter timent graues rixas, aut verbera, si ad Missam

sam accedant excusari ab illa audienda, teneo cum Azorio *lib. 7. cap. 7. quæst. 4.* Fagundez *de 1. præcep. Eccles. lib. 2. cap. 9. num. 4.* Henriquez *lib. 9. cap. 25. num. 4.* Quia nemo tenetur adimplere præcepta huiusmodi cum incommodo, aut detrimento graui, vt diximus.

26 NON teneri fœminas honestas, quæ, quia carent decenti veste, non possunt ire decenter ad Ecclesiam, affirmant Henriquez *lib. 9. cap. 25. num. 30.* & quamplures alij, inter quos est Trullench *lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 7. num. 7.* vbi sic ait: Quintò, excusatur fœmina honesta, quæ caret veste conueniente suæ personæ (idem dic de viro) aut socia pedissequa, sine quibus irrideretur, aut magno pudore suffunderetur, nec commodè potest vestem, aut sociam habere. Castropalaus verò *loco citato* ait, quod Doctores monent in hac parte esse cautè procedendum, neque enim extendenda est licentia ad superfluos ornatus, & comitatus, considerandumque an possint secretò summo mane, vel in Ecclesia remota Sacrum audire, absque probabili periculo prædicti nocumenti; nam si ita est nulla apparet legitima excusationis causa, cùm facilè possint præceptum implere.

27 DOCTORES aliqui affirmant apud Leandrum *loco citato*, vt infra, viduas, quæ mortuo marito ad aliquod breue tempus non exeunt domo, non teneri Missam audire, quod breue tempus alij dicunt esse spatium septem tantummodo dierum, ita Iodocus apud Leandrum *loco cit. disp. 2. quæst. 57.* & Caietanus 2. 2. *quæst. 124. art. 4. col. 6. cas. 6.* Syluest. *verbo, Missa*. Graffius apud eumdem Leand. dicit, viduam, quæ se domi continet post mortem mariti per aliquod breue tempus excusari, secus

cus verò si per menses sex, vel per annum, cum quo sentiunt alij, existimantes solùm excusari per mensem, non per semestre, aut per annum.

28 EXCVSARI etiam ab audienda Missa mulieres, quæ per aliquot dies post partum, etiam si plenè conualuerint abstinent se ab ingressu Ecclesiæ, dummodo id non faciant ex superstitione, aut Mosaico ritu, sed ex quadam reuerentia, & deuotione, vt decernit clarè Innoc. III. *in cap. 1. de Purif. post partum*, & vt docent Caiet. *verbo, lex*. Suar. *disput. 88. sect. 6. versu, sextum caput*: & quamplurimi alij, inter quos est Molfesius *in Sum. tract. 3, cap. 17. num. 67.* qui benè notat, quod dictæ mulieres eamdem consuetudinem non prodeundi in publicum ad Missam, seruare debent in alijs negotijs, alioquin non excusarentur,

29 QVAMQVAM multi Doctores apud Leandrum *loco citato*, excusent à præcepto audiendi Missam, vbi est hæc consuetudo introducta, puellas, quæ non solent domo egredi, donec nuptui tradatur, inter quos est Bonac. Henriquez, Trullench, & Nauar. tamen hi omnes docent his ferè expressis verbis, quod si huiusmodi puellæ soleant domo exire ad ludos, aut choreas, aut spectacula, aut se exhibeant videndas ad fenestras, se non dubitare, tunc non exeundo ad audiendam Missam peccare mortaliter, quam sententiam amplectitur Trullench *in lib. 3. in expos. Decal. cap. 1. dub. 9. num. 18.* & prius *num. 3.* Similiter excusantur filiæ nubiles, quæ sine probabili periculo stupri domo egredi non possunt; at si parens permittat filiam ad choreas, & ludos egredi, prohibens ne Missam audiat, certum est eum peccare mortaliter, filia verò obtemperans non peccabit. Hæc Trullench.

30 SVA-

30 SVAREZ *loco citato, versu, quintum caput, &c.* & alij cum ipso, vt refert Trullench *loco citato num. 9.* asserit excusari ab auditione Missæ famulos, vt ministrent dominis, & tale ministerium non sit compatibile cum auditione Missæ, & quidem si idem ministerium tale sit, vt non possit differri in alium diem, vel horam, & sit iuxta communem viuendi modum, nec dominus peccat, illud præcipiens; secus verò si differri possit, nam tunc peccabit Dominus, qui tenetur non impedire sibi subiectos ab impletione præcepti, sed non peccabunt famuli, si timeant grauem rixam, vel detrimentum, vt esset domo eijci, quia tunc non censetur benigna Mater Ecclesia velle eos cum tanto detrimento obligare; Tamen volunt supracitati Doctores, quod si frequenter accideret, teneri famulum nacta occasione, talem Dominum relinquere, si illi facile erit alium inuenire; quod si non erit facilè, potest acquiescere, modo Dominus prædictus id non faciat in contemptum Fidei, tunc enim nullo modo ei esset acquiescendum.

CAPVT II.

DE MISSÆ CELEBRATIONE.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam Casibus selectioribus pertinentibus ad hanc materiam.

1 SACERDOTEM sine iusta causa per totum annum non celebrantem, regulariter peccare mortaliter; affirmo cum Suarez *disput.* 80. *sect.* 1. Eminentiss. de Lug. *disput.* 20. *sect.* 1. & alijs. Quia quidquid sit de intrinsecis prin-

principijs, principia extrinseca abstinentiam diuturnam à celebratione satis prohibent, dum Sacerdos rarissimè celebrans communiter incurrit spirituale detrimentum, periculum liberiùs delinquendi, & scandalum aliorum, quæ omnia rarissimè vitari possent à raro, vel nunquam celebrante.

2 NVLLI licere ante auroram, vel post meridiem celebrare; affirmo cum Emin. de Lugo *Disp. 20. sect. 1. num. 37.* licere tamen celebrare Sacerdoti post mediam noctem, si vrgeat necessitas communicandi moribundum; affirmo cum Laym. *Lib. 5. tract. 5. cap. 4. num. 2.* quia nec consuetudo, nec aliqua alia lex censetur cum tanto rigore obligare.

3 SICVTI etiam licere celebrare ante debitam horam propter necessitatem iter faciendi; affirmo cum eodem de Lugo *loc. cit. art. 2.* si tamen modica sit anticipatio, nam illius in moralibus non habetur ratio, vt inquit etiam Laym. *Lib. 5. tract. 5. cap. 4.* num. 3.

4 SACERDOTEM inchoantem Missam aliquantò post meridiem nimirum dimidia hora, vel etiam tribus quadrantibus, aut paulò magis, eum non peccare, dummodo non attingatur spatium vnius integræ horæ, quæ si attingatur à Sacerdote celebrante in die festo impedito ab itinere, nullum erit peccatum, religiosum verò priuilegiatum celebrantem vsque ad tres horas post meridiem non peccare; affirmo cũ Dia. *p. 2. tr. 14. resol. 34.* Vbi quamplures alios pro se citat, & ratio prioris sententiæ est, quia hæc res, quæ moralis est, non est ita mathematicè consideranda.

5 NON posse Episcopos, vel Generales in capitulis, TVTA CONSCIENTIA, reducere onera Missarum, etiam si sit adeò tenue legatũ,

vt non sit, qui velit iniunctum onus subire, sed esse adeundam sedem Apostolicam, quæ tale onus determinet, nisi in beneficij erectione cautum sit vt liceat Episcopo iniunctum onus deducere, & moderari, decreuit Vrbanus VIII. in quadam sua Bulla.

6 CAPPELLANVM obligatum quotidie celebrare ex fundatione Cappellaniæ, adhuc posse celebrare, TVTA CONSCIENTIA, ter, aut quater in anno pro se, & pro sibi coniunctis, tenet Diana 2. *part. tract.* 14. *resol.* 28. Quia id non denegaret ei fundator Cappellaniæ, saltem rationabiliter.

7 HVIVSMODI Cappellanum eo die, quo potest si velit, vt diximus, omittere Missam, non posse pro alio celebrare, & stipendium recipere, docent Leand. *loc. cit. quæ.* 18. qui pro se multos citat, & Thom. Hurtad, *Disp.* 4. *diff.* 1. *nu.* 84. vbi hæc formalia verba habentur, si tamen ex iusto impedimento, & honesta causa non celebraretur pro fundatore, non potest celebrare alio accepto stipendio, quia hæc vacantia non est ex iusta causa, sed ab auaritia proueniens, quod intelligitur nisi adsit paupertas in Sacerdote; tunc enim Missas, quas potest omittere ex iusta causa, potest pro alijs applicare, accepto stipendio, sic ille, & Diana.

8 SACERDOTEM, qui accepit eleemosynam pro Missa celebranda, peccare mortaliter si per longum tempus, differat illam celebrare, docent Diana 2. *part. tract.* 14. *resol.* 25. & multi alij apud ipsum, quam sententiam vocat communem ipse Diana, quod longum tempus Leand. *loco citato quæst.* 18. non putat esse spatium duorum, imo trium mensium; quia dum Concilium concedit modicum tempus ad satisfaciendum, vt ipse supponit, spatium supra-

supradictum non nisi modicum esse iure constare dicit.

9 NVLLO modo posse Sacerdotem Missas offerre pro illis, qui postea postulabunt, & quos videt Deus stipem primo daturos, quia sic decreuit Sacra Congregatio Tridentina ex mandato Clement. VIII. sub die 15. Nouembris 1605. sic Dian. 2. *p. tract.* 14. *resol.* 1. citans multos alios.

10 CAPPELLANVM, qui bis, aut ter in hebdomada tenetur celebrare, posse Missas hebdomadis sequentis anticipatè, v. g. sex in hebdomade præsenti celebrare, nisi alias in fundatione Cappellaniæ oppositum exprimatur, affirmant Fagundez *lib.* 1. *prçcept. Eccles. cap.* 9. *num.* 1. & 2. Lug. *Disp.* 21. *num.* 44. *pag.* 590. & alii multi.

11 SACERDOTEM obligatum ad celebrandum in aliqua Ecclesia, vel Altari non peccare mortaliter, si alibi celebret, dummodo testator non determinauerit locum illum, vel peculiarem cultum illius loci; vel propter memoriam suæ familiæ, quia in talibus casibus, dicendum est, nonposse fieri varationem loci absque auctoritate potentis commutare vltimas voluntates, nisi id rarò fiat, tunc enim variare locum celebrationis non facilè erit peccatum mortale ob materiæ paruitatem, ideò si hoc accideret cum causa rationabili, neque erit peccatum veniale; non enim censetur fundator obligare voluisse cum tanto rigore suum Cappellanum; si verò ad nihil respexit fundator designando illud Altare, variatio Altaris intra eamdem Ecclesiam, facilè poterit excusari à graui peccato: dixi intra eandem Ecclesiam, quia si in alia Ecclesia celebrantur illæ Missæ, videtur fieri in præ-

iudicium prioris Ecclesiæ, cui acquisitum fuerat illud Ius, sic docent multi apud Lean. *loc. ci. q.* 24. qui citat Filib. *To.* 3. *par.* 2. *c.* 24. *n.* 2. vbi ait sic fuisse resolutum à Rota Romana 9. Octobris 1595.

12 CAPPELLANVM, qui absque dispensatione in alio Altari celebrat, non teneri, absolutè loquendo, omissas Missas in Altari designato, iterum celebrare, vel pro rata fructus Cappellaniæ pauperibus, aut hæredibus restituere, quia huiusmodi Cappellanus solùm violauit fidem, nō Iustitiā, dum nō priuauit testatorem debito Sacrificio, quod in omnibus locis est æqualis valoris; docent multi apud Leand. *loco cit. q.* 25. citans Filib. *Loc. cit. num.* 7.

13 NON posse Sacerdotem, TVTA CONSCIENTIA, duplicatum accipere stipendium pro eadem Missa, applicando petenti partem etiam specialissimam ipso celebranti correspondentem, clarè constat, non solùm ex decreto Vrbani VIII. sed etiam ex declaratione Alexandri VII. qui damnauit sententiam contrariam.

14 NEC posse Sacerdotem accipere multiplex pro vna Missa stipendium necessariū pro sua substentatione, præcipit decretum Vrbani VIII. vbi strictè præcipitur, tot Missas celebrādas, quot eleemosynæ fuerint; ratio est, quia Sacrificium non est institutum ad sustentandam vitam Sacerdotis, imò ille, qui vult promoueri ad Sacerdotium debet habere aliunde, ex quo viuere possit, & sic debet habere patrimonium, vel beneficium, *Cap. non licet*, *& cap. Episcopus, de præbendis*, stante quacumque paupertate, Pasqual. *de Sacrif. Miss. tom.* 2. *quæst.* 939.

15 SICVTI non posse Sacerdotem, siuè secu-

la-

larem, siuè regularem, cùm ei traditæ fuerint celebrandæ Missæ, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendij sibi retenta declaratum fuit in Bulla Alexandri VII. qui opinionem contrariam declarauit temerariam.

16 NON teneri verò Beneficiatum, & Cappellanum fixum dare Celebranti pro se totum id, quod percepit ex Missis, constat ex declaratione Sacræ Congregationis relata à Diana *part.1.tract.14.resol.11.* multos pro se citante. Vnde talis Cappellanus fixus, & Beneficiatus per alium celebrans, id quod superest ex iusto stipendio, quod dat pro singulis Missis, quas ille alius Sacerdos à se electus celebrat, potest sibi, TVTA CONSCIENTIA, retinere.

17 ESSE contra iustitiam recipere stipendium pro pluribus sacrificijs, & vnum tantum offerre Sacrificium; Et probat ratio, nam esset retentio rei alterius inuito Domino. Et etiam declarauit Alexander VII. in sua Bulla *cap.* 10. qui iustissimè cõtrariam sententiam damnauit, sicuti etiam declarauit contra fidelitatem peccare Sacerdotem illum qui promisit maximè cum Iuramento danti stipendium, se pro nullo alio offerre velle sacrificium, pro quo accepit ab ipso eleemosynam, si pro alio postea offerat, damnans sententiam contrariam.

18 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, Sacerdotem, qui plura accepit stipendia pro certis Missis celebrandis de B. Virgine, v.g. vel de Diuo Antonio, vel pro defunctis, &c. illas, quæ pro tempore iuxta Ecclesiæ ordinem occurrunt legere, non lectis illis de B. Virgine, &c. Teneo cum Suarez *Disp.83.num.5.* Barbos. *2.p. de Potest. Episcopi alleg.* 24. *num.* 32. Eminentissimo de Lugo. *Tom.1.de Sacram, disp.21.*

num.35.& alijs. Quia decentius est in celebratione Missarum Sacerdotem se conformare vniuersalis Ecclesiæ præcepto, quàm propter voluntatē petentis, vti priuilegij permissione.

19 CELEBRANTEM Missam in altari priuilegiato ad liberandam animam de Purgatorio nisi in indulto exprimatur nominatim, quod siue debeat celebrari Missa de Requiem, siuè de mortuis, posse aliam quamcumque missā currentē siue Dominica, siue de Sāctis celebrare ad lucrandas Indulgentias pro mortuis, & ad eos liberandos à Purgatorio; affirmo cū P. Burgab. *Cent.3.num.2.select.Cas.Cons.* Ratio est, quia quæcumque alia Missa non est minus satisfactoria pro defunctis quam illa de requiem. Ad quod accedit, talem esse etiam dispositionem Summorum Pontificum, qui in quamplurimis Indultis concessere in altaribus priuilegiatis quotidie in illis celebrantibus facultatem liberandi vnam Animam à Purgatorio; sed quamplures sunt dies toto anno in quibus prohibitum est Missas pro Defunctis, & de Requiem celebrare, vt sunt Dominicæ, & festa duplicia; ergo, &c.

20 POSSE Sacerdotem Missam celebrantem, & iam recitantem Canonem, si Minister porrigat illi quasdam paruas hostias ad communicandos alios astantes fideles, illas cum maiore hostia, prius mente concepta oblatione illarum, Consecrare, & malè negligere adstantium preces, illas remittendo; & nolendo consecrare; affirmo cum Diana *par.6.tract.6.res.7.* Quia oblatio paruarum hostiarum, seu vt vocāt particularum, nullo præcepto coniungi debet cum oblatione hostiæ maioris, sed sufficit, simul reperiri in eodem corporali tempore Consecrationis, vt omnes eadem verba

Conse-

Consecrationis recipiant.

21 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, Sacerdotem vinum congelatum Consecrare, sed debere illud mutare ac denuò illud offerre, vel resoluere prius, si facilè posset, & nulla mutatio accidentium appareret; affirmo cum Layman. *Lib. 5. tract. 4. cap. 2. num.* 5. Palag. *Tract. 21. disp. vnica pun. 4. num. 8.* Quia in re graui recedere à comuni consuetudine Ecclesiæ, & se exponere periculo non conficiendi Sacramentum, graue peccatum est, ergo, &c.

22 VTILIVS esse ante mortem Missas sibi curare celebrari; affirmo cum Leand. *loc. cit. quæst.* 22. quia Missæ post mortem solum sunt satisfactoriæ animæ in Purgatorio existenti, pro viuente verò dictæ, sunt simul satisfactoriæ, & impetratoriæ; ad quod addo, quod post mortem erit periculum, quod non sint, neque satisfactoriæ, neque impetratoriæ, quia ex infidelitate hæredum maximum periculum est, vt nullo modo dicantur.

CAPVT III.

DE MONIALIBVS.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam casibus pertinentibus ad materiam prædictam.

1 IN eo, quod attinet ad Moniales Claustrales, & ad illas, quæ viuunt in comuni in conseruatorijs, siue ad earum gubernationem, dico non posse, TVTA CONSCIENTIA, siue ab Episcopo, siue eius Vicario, vel quocunque alio officiali, deputato, cancellario,

 &c.

&c. siue à quocunque supradicti Episcopi, siue Officialis consanguineo, tam pro admittendis ad habitum Religiosum, quàm pro approbatione depositi facti pro dote, pro admittenda Nouitia ad Professionem, pro recipiendis educandis, & alijs sæcularibus fœminis intra septa Monasterij; pro renuntijs, quę fiunt à nouitijs, pro electione Abbatissæ, vel alterius superioris; pro licentia ingrediendi Monasterium, quæ fit Medicis, Chirurgis, & alijs operarijs; pro licentia colloquendi cum ipsis Monialibus, vel alijs, quæ viuunt cum ipsis; pro deputatione Confessariorum, Cappellanorum Procuratorum, & aliorum cuiuscunque generis officialium, & generaliter pro quocunque actu pertinente ad gubernationem ipsarum Monialium: Non posse, dixi, TVTA CONSCIENTIA, aliquid pro omnibus supradictis, & ab omnibus supra enumeratis aliquid emolumenti accipi, etiam sub titulo doni spontè oblati, nisi illas res comestibiles, quæ nō excedunt quantitatem, quæ possit sufficere pro vsu illius personæ, cui dantur, tribus tantummodo diebus, sanciuit Summus Pontifex Innocentius XI. in sua Bulla anno 1679. emanata.

2 A Cancellario verò posse, TVTA CONSCIENTIA, accipi pro scripturis faciendis ad iustificandum depositum Dotis, vel proroganda renunciatione, &c. solummodò mercedem proportionatam labori pro conficiendis scripturis supradictis insumpto, dummodo illa non excedat valorem quinque iuliorum, seu carolenorum; declarauit idem Innocentius XI. in supradicta Bulla.

CA-

CAPVT IV.

DE MONITORIO.

Quid possit, vel quid non possit fieri, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus Casibus pertinentibus ad materiam prædictam.

1 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, Depositarium, etiam si vrgeatur Monitorio excommunicationis, negare depositum, quoties deponens in suum, aut aliorum damnum rem suam repetit, vel quoties deponens rem alienam deposuit, & Dominus verus comparet reposcens rem suam: Teneo cum Molina *Tract. 2. de Iust. disp. 526.* & quamplurimis alijs, quos sequitur P. Rainaudus *Tr. de Mon. Eccl. pag. 358.* Quia obligatur depositarius rem negare reposcenti, quando impedit damnum tertio maximè in primo, & secundo casu supradicto. Alioqui si præscius damni iniustè tertio impendentis ex restitutione rei depositæ, & tamen velit adhuc reddere, violabit iustitiam causando damnum tertio, quod posset auertere rem negando ad tempus suo domino, & non restituendo illam furi.

2 EMPTOREM bonæ fidei rei furtiuæ, si vrgeatur Monitorio, posse, TVTA CONSCIENTIA, contractum rescindere cum fure, & pretium suum, quod aliter perderet, recuperare; assero cum Nauar. in *Sum. cap. 17. nu. 9.* Lessio *Lib. 2. de Instit. & Iur. cap. 14. num. 14.* Bonac. *Disp. 1. de rest. quæst. 4. punct. 2. num. 1.* & alijs quamplurimis. Quia emptor bonæ fidei nullo modo tenetur cum rerum suarum

iactura, agere Procuratorem alterius.

3 COMPENSANTEM se de bonis debitoris iustè, & secundum conditionis, quas volunt Theologi in compensatione adhiberi, non legari monitorio Excommunicationis. Teneo cum Soto in 4. *Dist.22. quæst.1. art.2.* Molina *Tract.2. de Iustit. disp.692.* Less. *Lib.2. de Iust. cap.12. num.61.* Quia cum monitorium iubeat fieri restitutionem rei alienæ malè ablatæ, & cum peccato retentæ, non potest ligare illum, qui rem istã abstulit in iustam compensationẽ.

4 IMPOTENTEM restituere, etiam si habeat prauam voluntatem non restituendi, etiam si potens, non incurrere excommunicationem latam contrà non restituentes; assero cum P. Raynando *loc. cit.* Vbi alios pro se citat, quia excommunicatio cadit solum supra eum, qui cum possit, non restituit.

5 ILLVM, qui sè iustè compensauit de bonis debitoris; etiam si hæc essent depositata apud ipsum se compensantem, non ligari monitorio excommunicationis; assero cum Lessio *lib. de Iust. cap.27. num.16.* & alijs, quia conditio illa, quod non valet compensatio in bonis debitoris, quæ sunt apud creditorem iure depositi, vt habetur *l. vltima de compens.* solum valet pro foro externo; in Conscientia autem depositarius ad eam conditionem obseruandam non obligatur, vt docet citatus Less. &c.

6 EVM, qui promisit tantum rem aliquam alicui, & ex solo hoc titulo promissionis, rem debet promissario: non ligari à monitorio lato de restituendis rebus ipsi promissario. Teneo cum Caietano 2.2. *qu.133. ad finem.* Mol. *Tract.2. de Iust. disp.226.* Henriquez *Lib.13. cap.17. nu.5.* & alijs quamplurimis; Quia promissio nude sumpta obligat tantum ex sola fidelitate,

quæ

quæ non inducit morale debitum aliquid restituendi, si is, qui promisit mutet sententiam, & promissionem exequi renuat.

7 ILLVM, qui promisit rem alicui cum animo strictè se obligandi, & astringendi ad dandam rem promissario, ac si debuisset tradere illam ex iustitia, (in quo casu aliqui DD. vt sunt Molina *Tract. 2. disp. 262.* & Sot. *Lib. 5. de Iust. quæst. 2. artic. 1. ad 5.* docent oriri ex tali promissione tali modo facta, obligationem tradendi rem promissam sub peccato mortali) non ligari adhuc monitorio mandante restitui res alienas. Quia cum monitorium supponatur nihil aliud mandare, nisi quod restituantur res alienæ, & promissarius, etiam in supradicto casu, non dum habet ius in re, sed tantum ius ad rem, & consequenter non dum res est ipsius promissarij, sed promittentis, igitur hic non ligabitur monitorio, quod præcipit tantum restituere res alienas.

8 POSSE verò Iudicem per excommunicationem vrgere promittentem supradictum, vt stet promissis; affirmo cum P. Raynaudo in *Opusc. moral. tract. de Monitor. Eccl. c. 2. q. 9.* quia dato, quod in supradicto casu promissio obliget sub mortali, potest superior vrgere promittentem monitorio excommunicationis, vt caueat peccatum mortale.

9 SICVT ligari emptorem malę fidei vinculo monitorij excommunicationis ad reddendam rem, Quia tenetur in Conscientia restituere etiam cum amissione pretij si venditor illud nolit refundere; ita emptorem bonæ fidei non legari monitorio excommunicationis, cum hic non teneatur in Conscientia rem restituere Domino, & possit contractum rescindere, & pretium rei recuperare; assero cum communi

DD. quia ſicuti in primo caſu ea rei retentio eſt iniuſta, ita è contra in ſecundo euentu eſt iuſta rei ipſius retentio, adeoque ſicuti in primo caſu Iudex Eccleſiaſticus iniuſtam retentionem vi monitorij tentat auertere, in ſecundo tamen, cùm nulla ſupponatur culpa, nullam pœnam comminabitur ſuperior.

10 DONATARIVM vel hæredem inſtitutum, qui dedit fidem indigno de refundendis illi bona, non ligari vi monitorij, quod illum vrgebat ad reſtituendum bona illi, cui iure aliquo eſſent obuentura; Aſſero ex Azor. *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 10. *quæſt.* 4. Sanchez *Lib.* 4. *opuſc. cap.* 3. *dub.* 20. *num.* 9. Molin. *Tract.* 2. *de Iuſt. diſp.* 169. qui cum aſſerant huiuſmodi hæredem inſtitutum aut Donatarium ſupponi carere inhabilitate ad ſuccedendum ad bona Teſtatoris, ac proinde poſſe eum, TVTA CONSCIENTIA, retinere ſibi bona ſupra dictis titulis acceptata, ſic niſi accedat ſententia condemnatoria, (poſtquam verè ligatur monitorio ad bona reſtituenda veris Dominis) nullo modo aſtringi excommunicatione lata per monitorium ipſum.

11 NON ligari vi monitorij excommunicationis lato pro marito, vel patre, filios, aut vxorem ſi non reſtituant id quod præcipitur à monitorio reſtitui, ſi aliunde non conſtet de mariti, aut Patris mente, quæ ſupponatur voluiſse ligare etiam filios, & vxorem; aſſero cum P. Rainaudo de *Monit. loc. cit. qu.* 12. Nam Iudex ferens monitorium non intendit plures ligare, ac pars ipſa poſcens; ſed ſic eſt, quod vt plurimum maritus, & Pater nolunt cum vxore, ac filijs præſertim non emancipatis, cum tanto rigore agere, quanto ageretur cum externis; poteſt præſumi tutò, non eſse

mentem

mentem ipsius viri, vel Patris, vt excommunicatio cadat in personas tam conjunctas, quando ut diximus non esset motivũ cogitandi, vel dubitandi contrarium de eorum mente, cum autem veritas facti assequi non possit, & adhuc sit dubium voluisse ne vel noluisse supradictum Patrem, vel maritum, tam filios, quàm vxorem subiacere monitorio; in tali casu, quia constat de præcepto Excommunicationis, & non constaret de excusatione ab eo, censendum est tam filios, quam vxorem supradicto Monitorio ligandos esse, si non pareant monitorio ipsi, &c.

12 NON ligari monitorio excommunicationis tam vxorem, quam filios, qui vrgentur tanquam detentores bonorum Mariti, vel Patris debitoris ad soluendum creditoribus dicti mariti, vel Patris; si vxor ipsa accepit de bonis Mariti ad compensandum debitum dotale, & alia huiusmodi, quæ illi debentur iuxta leges, & statuta Regionis; vel si tam eadem vxor, quàm liberi acceperunt ex bonis ipsius Patris, vel Mariti, quædam prorsus necessaria ad vitam, vnde si restituerentur immineret ipsis restituentibus corporis, & ipsius vitæ detrimentum; asero cum Nauar. *Lib.* 2. *de rest.* 24. *num.* 405. Less. *de Iust. cap.* 11. *ad num.* 86. quos citat, & sequitur Raynaudus *loc. cit.* Quia in tali casu si creditores essent inuiti, inrationabiliter inuiti essent, quoad talium bonorum retentionem.

13 TVNC tantùm te obligari ad prodendas scripturas quascumque sub pœna excommunicationis, cum earum suppressio, vel retentio mortalis erit; quòd si ex talium scripturarum exhibitione graue damnũ tibi imminebit, non teneri te in Conscientia, illas exhibere; affirmo cum

cum P. Raynando *Tract. de Monit. qu.* 15. quia proprium commodum meritò præferri debet incommodo alterius.

14 SI fuisti absolutus ab excommunicatione, quam incurristi, ex eo quia neglexisti parere monitorio, quod te astringebat ad restitutionem: non teneri ad reuelandum consocios culpæ occultos regulariter astrictos à monitorio mandante reuelari tale crimen occultum ad finem infligendæ pœnæ criminoso; affirmo cum Suarez *Tom.* 5. 3. *part. disp.* 20 5. 3. *nu.* 8. Nauar. *ad cap. inter verba conc.* 6. *coroll.* 47. Quia cum ordo iuris fundetur in iure naturæ, & hoc ferat, vt nemo iubeatur prodere eum, qui de crimine non est infamatus, & cuius criminis non præcesserit semiplena probatio, sic fit vt qui mandat detegi crimen prorsus occultum, iniustè præcipiat regulariter loquendo; si igitur iniustè præcipit non tenemur obedire.

15 DIXI regulariter loquendo; nam teneri in Conscientia reuelare quædam peccata, etiam si sint occultissima, quæ sint coniuncta cum periculo communis boni, vt esset v. gr. Hæresis, quam, licet sit in persona coniunctissima; & nobis esset commissa sub secreto, reuelandam esse; affirmo cum Suar. *Disput.* 20. *de Fide sect.* 4. *numer.* 7. Auil. 2. *part. capit.* 5. *disput.* 4. *dub.* 3. Bonac. *Tract.* 6. *ex varijs part.* 1. *num.* 2. & alijs. Quia cum Hæresis sit tantum malum, vt omni modo curandum sit, ne serpat in certum animarum exitium, sic quisquis nouerit laborantem etiam occultissimum tali pessimo morbo, tenetur illum detegere, vt Iudex possit inquirere, & publicæ saluti prospicere.

16 TENERI etiam in Conscientia reuelari crimen occultum vergens in damnum graue publi-

publicum, vel etiam quodcunque peccatum notabiliter lædens tertiam personam, si sit in fieri, seù pendens in futurum; affirmo cum Saijro in *Claui Regia lib.12.cap.20.num.8.* & alijs. Quia dum cum talis criminis detectione impediatur graue damnum proximi, tenemur illud detegere.

17 NON solùm non teneri, TVTA CONSCIENTIA, reuelare, ex vi Monitorij excommunicationis, ea quæ sciuntur tali modo, vt eorum reuelatio, & detectio esset contra ius diuinum, vt sunt ea, quæ sciuntur ex vi Sacramenti pœnitentiæ, quæ reuelari non possunt in nullo casu, nisi de explicitissima, & liberissima pœnitentis facultate, sed etiam non teneri reuelare ea arcana, quorum detectio esset contra ius naturæ, nimirum illa, quæ, ea ratione committuntur alicui, vt committens tale secretum, adiuuetur ab illo, cui committitur, vt sunt ea, quæ propalantur v. grat. Amico, Aduocato, Procuratori, Chirurgo, Medico, Obstetrici, & cæteris huiusmodi: affirmo cum Nauar. ad *Cap. inter verba conc.6. coroll.6. num.*401. Auila 2. *part. cap.5. disp.5. dub.*2. Barbos. de *Potest. Episc. alleg.96. nu.63.* Sanchez *Lib.6. cons. cap.2. dub.20. num.8.* Quia si teneremur ea, quæ nobis commissa sunt sub secreto naturali, reuelare, præcluderetur aditus ad omnia consilia, vnde orirentur infinita mala, &c.

18 TENERI verò etiam, ea quę sciuntur sub secreto naturali reuelare, si ob non detectionem, & reuelationem talis naturalis secreti aliquod damnum eueniret Reipublicæ, vel Priuato; affirmo cum S. Thoma 2.2. *quæst.70. art.1. ad 2.* Bonacin. *tract.6. ex varijs part.1. §.5. num.2.* Barbos. de *Potestat. Episc. alleg.96. nu.63.*

num. 63. & alijs. Quia nemo poteſt ſibi inijcere obligationem ad rem malam, qualis eſſet ſecreti obſeruantia in ſupradictis caſibus, nimirum quando ſi ſecretum ipſum tegeretur, aliquod damnum eueniret tertio,

19 NON induci obligationem reuelandi ea, quæ ſciuntur à perſona, v. g. leui, & indigna, cui fides adhibeatur; affirmo cum Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 13. & alijs citatis à Bonacina *tract.* 6. *ex varijs part.* 1. §. 4. *num.* 1. Quia cùm nemo obligetur ad actum inutilem, & talis quidem eſſet reuelatio eorum, quæ ſciuntur ſupradicto modo, dum Iudex non poſſet prudenter ferre iudicium ex tali ſcientia.

20 NON teneri reum occultum, ſi feratur monitorium contra ipſum ad inferendam pęnam, prodere ſeipſum, niſi interrogetur iuridicè, nimirum niſi præcedat infamia, vel ſemiplena probatio, vel indicia manifeſta; affirmo cū multis DD. quos citat, & ſequitur Sanch. *lib.* 6. *opuſ. cap.* 3. *dub.* 29. *num.* 4. & videtur haberi apertè ex *cap. quis aliquando, de pœnit. diſt.* 1. *& cap. quidam maligni,* 5. *quæſt.* 1. Vbi traditur neminem teneri prodere ſeipſum. Quia vt loquuntur DD. ſaperet quandam tyrannidem præceptum illud, quod præciperet ita ſeipſum reum prodere, vt ex tali ſuamet manifeſtatione, vel mortem, vel infamiam ſibi pararet, nullis præcedentibus probationibus, vel indicijs.

21 COMPLICEM illius, qui commiſit fraudem, ne ſui creditores ſcirent vbi ſunt bona ſua, adeòque illa fictè vendidit cuidam ficto emptori: Teneri, ne incurrat in cenſuram monitorij, primum monere fictum venditorem, verum debitorem, vt reſtituat, vel ſua bona recipiat, quod ſi neutrum præſtare velit, teneri eum denunciare; affirmo cum Syluestro *verbo,* *reſti-*

restitutio, 3. num. 10. §. 4. quia in tali casu cùm non supponatur damnum euenturum ipsi ficto emptori reuelanti, quod præponderet damno euenturo creditoribus, si ipse non reuelet, ligabitur tunc vi monitorij.

22 QVOD si tali fiduciario, & ficto emptori ingens famæ damnum accideret, vel euentura essent multa mala, siue damna, & dispendia, ob detectionem suæ cooperationis ad fraudem factam in damnum creditoris à ficto venditore, & vero d●bitore, sintque talia hæc damna, vt meritò anteponi possint damno creditorum. Non teneri fiduciarium talem Emptorem denunciare. Teneri verò ad restitutionem; affirmo cum Auila *disp.* 5. *dub.* 2. *conclus.* 2. nam in tali casu, cùm præponderet damnum ipsius ficti emptoris ipsi damno creditorum, vt dictum est, non tenebitur reuelare.

23 NON vrgere Monitorium regulariter loquendo, ad prodendum, & reuelandum consanguineum valdè coniunctum, & idem dicendum de Socero, & Genero, & de Cognatis omnibus vsque ad quartum gradum; assero cum Nauar. repetit. in *cap. inter verba, conclus.* 6. *num.* 312. Thoma Sanchez *lib.* 4. *de Matrim. disp.* 4. *num.* 9. & alijs multis, quia præceptum humanum non potest obligare ad rem adeò arduam, cuiusmodi est detectio criminosi valdè coniuncti, qui eadem ferè persona nobiscũ cẽsetur, & cuius detectio sit futurus perpetuus fons dissidiorum, & intestinarum discordiarum. Quod si *lex ciuilis, l.* 4. *ff. de testim.* disertè cauit ne inuito denuncietur, vt testimonium litis dicat aduersus socerum, generum, vitricum, priuignum, &c. & alia iura prohibeant testificari contra consanguineos, & cognatos vsque ad quartum gradum. Potestas Ecclesiastica, quæ magnam

magnam partem non nisi in subsidium ciuilis potestatis decernit monitoria, non potest vrgere aliquem ad eum detegendum, qui ciuili lege cælari finitur ob summam coniunctionem.

24 DIXI regulariter loquendo; nam si ex non detectione facta aliquorum sanguine coniunctorum grande malum Reipublicæ, vel crimen læsæ Maiestatis immineret, vel detegendum esset crimen hæresis, vel sollicitationis in confessione, teneri quem[illegible]is coniunctum, criminosum detegere; assero cum Mascardo, Farinacio, Suarez, Azorio, Comitol. Auil. & quamplurimis alijs citatis à P. Raynaudo *lib. de Monit. quæst.* 12. Quia cùm hæc sint crimina valdè perniciosa Reipublicæ, consecrandæ sunt manus cuiusuis coniuncti Domino, in sanguine coniunctorum; quæ ratio probat; quod quando crimina coniunctorum essent minus tetra, vel quorum contagium non esset adeò metuendum, Monitorium non vrgere ad reuelandum, vt diximus.

25 NEMINEM obligari reuelare, si ex reuelatione graue sibi malum meritò timeat; affirmo cum Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 18. *num.* 4. Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 30. *num.* 6. Quia præceptum humanum rationabile, cuiusmodi est præceptum in Monitorio contentum, non obligat cum graui discrimine, quod per se non sit coniunctum actui præcepti, sed ei contingenter adiungatur. Sic te non teneri ad reuelandum delictum, cuius tu es quidem conscius, sed si illud reueles, ab eo, à quo delictum commissum est non dubitante à te reuelatum fuisse, non leue periculum in vita, fama, aut bonis fortunæ, meritò, timeres; affirmo cum eisdem Doctoribus ob supradictam rationem.

26 NEC

26 NEC etiam te teneri reuelare vbi sit furtum, si hoc scias à fure ipso, qui te illud, vbi repositum sit docuit; assero ex Doctrina supradicta, nisi posses probare à fure illud didicisse, nam si non posses probare, & reueles, habereris vt fur, aut furti complex cum tuo magno damno, atque infamia.

27 SIC etiam te non teneri reuelare, si cùm sis Vassallus, Monitorium te vrget ad reuelandum contra tuum Dominum; affirmo cum Guttierez *lib.* 1. *quæst. canon. cap.* 11. *num.* 56. & alijs, quia id posteà tibi pessimè cederet.

27 TENERI tamen te ad reuelandum quantumcunque tibi immineret graue damnum, si ex non reuelatione delicti immineret aliquod graue damnum Reipublicæ, & publico bono; affirmo cum Sanchez *lib.* 6. *Opusc. cap.* 2. *dub.* 22. *num.* 2. Genuens. *in Praxi, cap.* 18. *num.* 8. quia præferendum est semper commune bonum priuato, etiam proprio.

29 NON teneri te reuelare delictum commissum ab illo, à quo ex tali reuelatione, meritò times, & si non timeres aliquod damnum tibi, quia, scilicet contra te nihil posset moliri, timeres tamen, & non leuiter, criminosum istum irruiturum in personam tibi valdè coniunctam, v. g. parentes, fratres, sorores, & alios similes, si tamen ex tua non reuelatione damnum aliquod Reipublicæ non immineret, tunc obligaberis; affirmo cum P. Raynaudo *de Monit. cap.* 3. *quæst.* 17. Quia tuus coniunctissimus est alter ipse.

30 SI à Iudice feratur monitorium, cum illa clausula, nimirum quod ferire debeat etiam eos, qui nolunt restituere sub prætextu, quod in compensationem acceperint illud, quod mandatur restitui, per monitorium; monitorium

rium illud esse nullum, ipso iure; assero cum pluribus Doctoribus apud P. Raynaud. in *Opusc. Moral. Monit. cap. 3. quæst. 4.* Quia tale monitorium continet errorem intolerabilem, & quia Iudex Ecclesiasticus non potest plectere aliquem pro actu, in quo nihil peccauit.

CAPVT V.

DE ORDINE.

Quid possit, vel quid non possit fieri, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad materiam prædictam.

1 SVSCIPIENTEM Sacerdotium ante completum annum vigesimum quartum, & aduertentem se illum non compleuisse, sed adhuc vnum diem sibi deesse, & putantem ex ignorantia planè crassa, hunc defectum sibi non obstare, quo minus ordinari possit in Sacerdotem, iuxta prouerbium illud (parum pro nihilo reputatur) peccare mortaliter; affirmo ex communi, quia in re tanti momenti non adhibet tantam diligentiam, quod vtique graue peccatum est; sed non incurrere suspensionem, aut irregularitatem; teneo cum Nauar. Auila, Sanchez, & alijs, quos refert, & sequitur Barbosa *de Potestate Episcopi, alleg. 16. num. 19.* quia verba illa (temerè præsumpserit) quæ sunt in constitutionibus Pij, & Sixti, significant dolum, & temeritatem, iuxta Gloss. *in cap. solet, de sentent. excommun. in 6.* quæ temeritas, & dolus, supponunt scientiam, aut saltem ignorantiam affectatam, ac proinde non agunt in eum, qui procedit bona fide, vel ignorantia, etiam crassa, vt benè cum pluribus docet

Barbos. *tract. de dict. vsu frequentibus, dict.* 278. *num.* 3.

2 ESSE de necessitate Sacramenti, quod physicè tangatur materia ab ordinando; Affirmo cum D. Thoma in 4. *dist.* 24. *quæst.* 1. *art.* 5. *ad* 3. Caietan. *tom.* 1. *opusc. tract.* 26. vbi retractauit sententiam, quam antea docuerat: Syluest. *verbo, ordo, quæst.* 6. & plusquam viginti Doctores. Quia in omnibus alijs Sacramentis habentibus materiam tangibilem, necesse est, quod recipiens physicè, & realiter illam attingat, vt in Baptismo aquam, in Confirmatione Chrisma, in Extrema Vnctione oleum, &c. Ergo etiam erit necessarium in Sacramento Ordinis, vt tangatur Calix, Patena, Liber, Vrceolus, Candelabrum, & Clauis ab ordinando.

3 NON posse siue Episcopum, siue eius consanguineos, vel familiares, aut seruos, nec pro collatione cuiuscunque ordinis, siue Minoris, siue Sacri, aut primæ Tonsuræ, nec pro impertienda facultate alijs conferendi supradictos Ordines, vt suprà, aliquid accipere, etiam spontè oblatum, nisi ipsam solam candelam, quæ datur in ipsa collatione Ordinis, declarauit Innocentius XI. in Bulla emanata anno Domini 1678. sub pœnis contentis in Sacris Canonibus, & Concilijs, & alijs ad arbitrium Summi Pontificis pro tempore existentis.

4 PRO litteris autem testimonialibus ipsius ordinis collati, necnon pro dimissorijs non posse, TVTA CONSCIENTIA, nec ipsum Cancellarium Episcopi, nec eumdem Episcopum aliquid accipere, nisi vnum tantum carolenum, seu iulium, & hoc à solis illis, qui habent vsum monetæ, non autem ab illis, qui eum non habent, vt sunt Capuccini, Minores obseruantes, declarauit ex Sacro Concilio Tri-

Tridentino supradictus Summus Pontifex in eadem Bulla.

5 PRO actis autem faciendis in collatione Subdiaconatus pro probando Patrimonio, seu titulo, sub quo promouetur Subdiaconus, posse, TVTA CONSCIENTIA, accipi vnum aureum tantum, quod erit proportionatum labori faciendo in talibus actis, & probationibus faciendis, quod si labor fuerit minor, minus ipso aureo accipi debere, declarauit ipse Summus Pontifex in supradicta Bulla.

6 PRO quibuscumque autem scripturis faciendis, vel præsentandis, respectu aliorum ordinum, aut primæ Tonsuræ, nihil penitus accipi posse, TVTA CONSCIENTIA, supradictus Innocentius XI. in eadem Bulla declarauit.

7 QVOD si eædem litteræ testimoniales, aut dimissoriales contineant plures ordines, vt accidit in minoribus, qui possunt conferri in eodem die, non posse, TVTA CONSCIENTIA, multiplicari mercedem illam supradictam vnius iulij, ad multiplicationem ordinum; sed debere omninò accipi à Cancellario vnum tantùm iulium; non teneri tamen ipsum Cancellarium conficere vnam scripturam tantummodo pro ordinibus, qui collati fuerint in diuersis temporibus, & ordinationibus, teneri autem vnam tantùm scripturam facere pro illis ordinibus, vt sunt Minores, qui collati fuerint in vno eodemque die, sicuti non posse multiplicari scripturam ipsam pro faciendis litteris dimissorialibus alij Episcopo, vt conferat plures ordines, declarauit supradictus Summus Pontifex in eadem Bulla.

CAPVT VI.

DE PECCATIS.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam Casibus selectioribus pertinentibus ad hanc materiam.

1 DICENTEM, si non essem Religiosus, v. g. vel Sacerdos, vindictam sumerem de iniuria mihi illata, & iniuriantem occiderem, peccare mortaliter; assero cum Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 2. num. 28. & com.* quia ad peccandum realiter, non est necessarium habere absolutam, & efficacem voluntatem peccandi, sed sufficit habere voluntatem inefficacem, & velleitatem, vel conditionatam committendi rem grauiter malam, vt inquit Caiet. 1. 2. *quæst. 13. art. 5.*

2 DICENTEM, si non esset hoc peccatum, vel non esset Dei offensa, illum talem occiderem; non committere peccatum mortale, dummodo actu non delectetur de malo alterius; assero cum Vasq. 1. 2. *disput. 116. cap. 2. num.* 4. Caietan. & alijs. Quia verè hic nullam habet voluntatem, neque inefficacem committendi aliquod peccatum.

3 SIC ex eadem ratione, dicentem: nisi esset dies ieiunij, vel non esset dies Veneris carnes comederem, non peccare mortaliter; assero cum Vasquez *loco cit.* & Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 2. num. 24.*

4 DICENTEM, si non adesset infernus committerem hoc, & hoc peccatum, peccare mortaliter; assero cum Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 2. num. 27.* Quia verè hic talis habet volun-

voluntatem committendi illud peccatum, vt supponimus.

5 MONVERIM tamen (inquit *loco citato* Sanchez) aliud esse sub conditione consentire, si non esset infernus peccarem, quod peccatum est; aliud verò quando hic conditionalis consensus non est in voluntate, sed cohibetur à peccato, timore cuiuscunque pœnæ, quod non est malum, cùm nullus sit in voluntate consensus.

6 ASSERENTEM, si non esset quia Deum timeo, occiderem illum, non peccare mortaliter, si timor, quem ostendit habere est timor filialis, & non offendendi Deum, si autem esset tantummodò timor pœnarum, quas illi Deus infligeret; tunc peccare mortaliter, assero cum Bonacina *quæst.* 4. *de Matrimonio*, *punct.* 8. *num.* 29. Quia in hoc secundo casu, verè haberet efficacem voluntatem committendi aliquod malum, si pœnas non timeret, in primo autem, nullam habet voluntatem peccandi, quia timet Dei offensam.

7 SI dum aliquis videt quemdam affici verberibus ab inimico, dicit: si hac iniuria ego afficerer, occiderem inimicum, peccare mortaliter; assero cum communi. Quia verè supponitur talem de facto habere hic, & nunc voluntatem occidendi illum, à quo iniuria afficeretur; quod si in prædicto, & alijs similibus supradictis casibus, hic, & nunc nulla esset, neque efficax, neque inefficax voluntas aliquod malum perpetrandi, sed solùm in talibus modis dicendi, & similibus significaretur, quod timor inferni, vel Dei vltionis me prohibent, ne ego hic, & nunc habeam voluntatem offendendi Deum, nullum adesse in hoc peccatum; assero cum Sanchez *lib.* 1.

in De-

in Decal.cap.2.num.25.

8 NON posse asseri, TVTA CONSCIENTIA, non teneri fugere occasionem, quando occurrit causa aliqua honesta, aut vtilis illam non fugiendi, affirmo cum communi, & contraria opinio, à qua dicebatur non esse fugiendam occasionem peccandi, quando causa aliqua vtilis, aut honesta non fugiendi occurrit, reprobata fuit, ac damnata ab Innoc. XI. an. *1679.*

9 NON licere vllo modo quærere directè occasionem proximam peccandi, licet hoc fiat pro aliquo bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi; assero cum communi DD. & contraria opinio pariter damnata fuit ab eodem Sum. Pontif. eodem anno.

CAPVT VII.

DE POENITENTIA,

SEV SATISFACTIONE SACRAMENTALI.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus Casibus pertinentibus ad materiam prædictam.

1 POSSE Pœnitentem, pœnitentiam sibi iniunctam authoritate propria commutare, saltem, in melius opus, affirmo cum Porsel. in *Add. ad dub. Regular. verb. pœnit. sac. num.* 6. Cel. in *Com. Th. Mor. tr.* 1. *c.* 24. *n.* 8. quos citat, & sequitur Leand. *loc. cit. quæst.* 102. & ratio corũ est, quia pœnitẽs potest authoritate propria, comutare suũ votũ in opus euidenter melius; ergo, & pęnitẽs potest authoritate propria pęnitentiã sibi iniunctã in opus euidẽter melius cõmutare, & tanto magis, quanto quia

R in

in hoc casu supponitur interpretatiua voluntas Confessarij,

2 POSSE quemcunque Confessarium commutare pœnitentiam ab alio Confessario impositam, affirmo cum Dian. 2. *part. tract.* 15. *resol.* 53. Hurt. *disp.* 14. *diff.* 10. Laym. *Lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 15. *num.* 16. Eminentiss. Card. de Lug. *Disp.* 25. *num.* 101. Cand. *art.* 32. *num.* 2. *part.* 99. Bon. *disp.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 3. *punct.* 3. *num.* 1. & 3. & alijs multis, quia secundus Confessarius etiam, si esset inferior in dignitate, æqualem habet potestatem ad soluendum, & ligandum, quàm primus; sed primus potest commutare, & minuere pœnitentiam à se datam, vt docent communiter DD. Teste Boss. de *Iubil. sect.* 1. *casu* 19. *num.* 2. Ergo & secundus.

3 QVAM commutationem non posse fieri à secundo confessario, non audita priore confessione eorundem peccatorum, teneo cum Suarez *Tom.* 4. *disp.* 38. *sect.* 10. *num.* 8. Filliucio *Tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 50. Vbi quamplures alios pro se citat, quia omnis actus iudicialis, vt licitè fiat, præsupponere debet cognitionem causæ, super quam cadit talis actus, sed si commutaretur pœnitentia à secundo confessore non audita priore confessione, fieret ab ipso actus iudicialis, non cognita causa, super quam caderet, ergo non potest fieri talis commutatio absque eo, quod non reuelentur illi peccata, supra quæ cadit talis pœnitentia commutata.

4 NON posse confessarium commutare pœnitentiam extra Sacramentalem confessionem, Aio cum Card. de Lugo. *Disp.* 25. *num.* 110. vbi dicit contrariam sententiam omni probabilitate carere, Palao *To.* 4. *cap.* 23. *n.* 21. §. *vlt. num.* 9. vbi quamplurimos alios pro se citat, dicens

hanc

hanc sententiam certam esse, quia vt inquit Lug. citatus, Sacerdos, non est Iudex; nec habet vllam potestatem, nisi dum est in hoc Tribunali actualiter munus istud exercens in poenitentem; Non potest ergo procedere ex potestate clauium ille actus, qui est extrà confessionem factus, & consequenter non potest esse actus iudicialis, ac validus.

5 FACTA commutatione poenitentiæ, posse pęnitentem eligere primam, aut secundam pęnitentiam suo arbitrio, docent Suarez *Tom.* 4. *dis.* 38. *sect.* 10. *num.* 7. Barbos. *Disp.* 4. *quæst.* 5. *sect.* 3. *part.* 3. *num.* 13. Vbi multos alios pro se citat, & sequitur, quia commutatio poenitentiæ fit in fauorem poenitentis, qui bene potest cedere iuri, & fauori suo.

6 NON posse poenitentem propria authoritate sibi substituere alium qui loco ipsius poenitentiam adimpleat; affirmo cum Bonac. *Tom.* 1. *de pœnit. quæst.* 5. *sect.* 3. *punct.* 4. vbi multos alios pro se citat, & sequitur; quod probatur multis rationibus, & præcipuè ex Tridentino *Cap.* 3. *&* 4. vbi partes huius Sacramenti sunt contritio, & satisfactio actus poenitentis non alterius, ergo non potest fieri per alium, & contraria opinio ab Alexandro VII. declaratur omnino improbabilis, & nullo modo teneri potest tanquam falsa, & temeraria.

7 NON peccare mortaliter poenitentem poenitentiam sibi impositam implentem, cum est in peccato mortali, aiunt Bon. *loc. cit. nu.* 15. vbi dicit in hoc casu peccari tantùm venialiter Dian. 3. *par. tract.* 4. *resol.* 70. & pluresalij, quia poenitens adimplens poenitentiam in peccato mortali non ponit obicem illius effectui essentiali, sed solùm perfectioni, & integritati, eiusdem effectus, vt loquitur Diana *loco cit.*

8 PENITENTEM adimplentem pœnitẽtiã sibi impositam satisfacere suæ obligationi; etiam si illam adimpleat existens in peccato mortali, docent Suarez *Disp.* 38. *sect.* 8. Bonac. *loc. cit.* Lug. *Disp.* 25. *num.* 33. & plures alij, quia in præceptis humanis solùm præcipitur opus faciendum, non modus; at impositio pęnitentiæ est præceptum humanum, ergo &c.

9 TENERI confessarium extra mortis articulum semper iniungere pęnitentiã pęnitẽti, sub peccato mortali; affirmant Suarez *Disp.* 38. *sect.* 3. *num.* 1. Fagundez, Henriquez *Cap.* 3. & alij, quos sequitur Palao. *To.* 3. *tra.* 23. *punct.* 21. §. 2. *num.* 7. quia pœnitentia est pars integralis Sacramenti confessionis; ergo tenetur confessarius sub mortali, imponere pœnitentiam vt integrum conficiat Sacramentum.

10 DIXI extra mortis articulum, nam in tali articulo licitè posse confessarium nõ imponere pęnitentiam moribundo, licet conueniẽtius ageret, si leuissimã aliquã iniũgat; docent Nau. Henr. Bonac. Fagun. Suar. Lay. Lug. & plures alij quos citat, & sequitur Leand. *Dis.* 9. *de pœn. qu.* 15. quia in supradicto articulo regulariter impleri, ob defectum virium, nequaquam potest vel leuis pœnitentia, & sic frustra iuberetur quod minime impleri potest.

11 CONFESSARIVM posse imponere pęnitentiam sub disiunctione dicendo v. g. vel fac eleemosynam, vel si malueris recita vnam Coronam, docent Sanchez in *Sum. lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 39. Suar. *Disp.* 38. *sect.* 3. Cand. *art.* 31. *Disq.* 24. *art.* 31. *dub.* 5. *pag.* 95. Quia pœnitentia sub disiunctione imposita verè est pœnitentia, & per eam optimè potest pœnitens Deo satisfacere; ergo. Posse etiam Confessarium iniungere pro pęnitentia aliquid in generali faciendum,

dum, dicendo v.g. do tibi pro pœnitentia, quid quid hodie, vel hoc mense, vel hebdomada boni feceris, vel sustinueris mali, docet Suar. *Disp.* 38. *sect.* 6. *num.* 6. Dian. 3. *part. tract.* 4. *resol.* 82. & multi alij, & ratio est, quia peccatum in communi potest esse materia huius Sacramenti; ergo, & satisfactio in communi.

12 POSSE imponi pro pœnitentia, etiam opera non pęnalia, docet Leand. *loc. cit. quæst.* 26. citans pro se multos alios, quia omne opus bonum ex gratia profectum, est satisfactorium, ergo iniungi potest in pęnitentiam; quāuis optimum consilium sit, vt in pęnitentiam iniungantur opera pœnalia, quia satisfactiò, seu pœnitentia imponitur ad corrigendam culpam, quæ non corrigitur, nisi per pęnam.

13 CONFESSIONEM Sacramentalem, v.g. iniunctam à Confessario pro pęnitentia singulis mensibus, posse anticipari per aliquot dies v.g. per tres, aut quatuor, imò per sex, aut octo, si erit aliqua occasio diei festi, aut Iubilæi; docet Sanchez in *Sum. lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 26. qui limitat hoc, nisi aliàs confessor ob aliquam causam, specialem destinasset.

14 POSSE similiter Confessionem iniunctam singulis mensibus v.g. differri licitè per 3. aut 4. dies vltra mensem, imo, & per 8. si sequitur aliquis dies solemnis, aut Iubilæum, &c. & idem dic, si votum quis emitteret de Confessione singulis mensibus agenda, docent Sancius, Diana, Tho. à Iesu, quos citat, & sequitur Leander *loc. cit. quæst.* 32. Quia terminus præfixus à Confessario non mathematicè, sed moraliter computari debet.

15 POSSE imponi in pęnitentiam Sacramentalem à confessario, opera aliàs debita aliquo

præcepto, vt auditio Misſæ in Dominica, ieiunium in vigilijs &c. docent pluſquam 30. DD. apud Leandrum *loc. cit. quæſt.* 43. quia opera omnia aliàs debita, ſiue præcepto naturali, ſiue humano, ſunt pœnalia, & meritoria, ergo etiã ſatisfactoria, ergo benè imponi poſſunt in pęnitentiam, & nouiſſimè hanc ſententiam probat, & ſequitur D. Franciſcus Verde in *Anacephal. opin. prohib. tit.* 18. *de Satisf. Sacram.* §. 10.

16 POSSE pœnitentem, TVTA CONSCIENTIA, eleemoſynam, quæ illi fuit iniuncta pro pœnitentia, dare extremè indigenti, vel Patri, fratribus, aut auis indigentibus, etiam ſi teneatur illis aliàs ſubuenire, docet Diana 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 84. vbi quamplurimos alios citat. Quia benigna interpetratione cenſetur confeſſarium tali eleemoſyna, aliàs ex præcepto, debita, contentum eſſe, nam alioqui nimis grauaretur pœnitẽs duplicem eleemoſynã dãdo.

17 POSSE pœnitentem, quando audit Miſsã ex præcepto, recitare Roſarium v. g. quod illi fuit impoſitum pro pœnitentia: docent Medinà *tract.* 2. *quæſt.* 48. Angelus *verb. feria* §. 46. *citat. à* Suar. *Tom.* 4. *diſput.* 38. *ſect.* 6. *num.* 5. & multi alij, quia re vera talis pœnitens facit opus iniunctum, & aliàs non incompatibile cum auditione Miſsæ.

18 POSSE etiam pœnitentem dum ſe veſtibus induit dicere Coronam iniunctam ei pro pœnitentia, & ſic benè ſatisfacere ſuæ obligationi; aſſirmat Leander *loc. cit.* qui dicit hanc opinionem eſſe communem, primò ob rationem nuper dictam, ſecundò quia ſic recitans Coronam, v. g. aut quid, ſimile, quod tenetur ex voto recitare, verè adimplet ſuam obligationem, ergo à pari, &c.

19 TE-

19 TENERI poenitentem acceptare poenitentiam non solum medicinalem, verùm etiam satisfactoriam, dummodò sit discreta, tolerabilis, & moderata, docet Castropalaus *Tom.* 4. *tract.* 23. *punct.* 21. §. 4. *num.* 3. vbi multos pro se citat, quia absolutio Sacramentalis sit ex *Tridentino cap.* 14. *can.* 9. actus iudicialis, & iudicium necessariò habet vim coactiuam ex D. Thoma in 4. *dist.* 19. *quaest.* 1. *art.* 1. consequenter Sacerdos habet potestatem cogendi poenitentem ad acceptandam poenitentiam sibi iniunctam.

20 ET sic obligari posse à Confessario poenitentem ad acceptandam, & implendam poenitentiam sibi iniunctam; affirmo cùm Suarez in 3. *par. tom.* 4. *disp.* 38. *sect.* 2. *num.* 2. Vasquez in 3. *par. tom.* 4. *quaest.* 94. *art.* 2. *dub.* 1. *num.* 5. & plusquam quindecim alijs DD. citatis à Suarez pro hac sententia *loc. cit.* vbi dicit hanc sententiam esse certam. Quia cum Conc. Trid. asserat Sacerdotes habere potestatem ligandi, atque soluendi; si paenitens posset respuere quamlibet poenitentiam sibi iniunctam, non verificaretur Sacerdotem habere talem potestatem; ergo, &c.

21 VNDE peccare mortaliter poenitentem non adimplentem poenitentiam grauem, à se acceptatam, & sibi pro mortalibus aliàs non confessis impositam: affirmant Suarez *loc. ci. nu.* 4. Palao *to.* 4. *tract.* 23. *punct.* 21. §. 4. *n.* 3. & quamplurimi alij, quia sententia confessarij in foro ipsius habet tantam vim, quantam habet sententia alterius iudicis in foro exteriori, & sic cum haec acceptata obligat sub poena peccati mortalis, ita & illa.

20 NON peccare mortaliter poenitentem, qui minorem partem poenitentiae iniunctae nõ

adimplet; affirmant, teste Leand. *loc. cit. quæ.* 63. Nung. Sancius, Dian. Nauar. Enriq. Cardinalis de Lugo, Suarez, Candidus, & alij DD. quia licet pœnitens in hoc casu frangat præceptum Confessoris, frangit illud in re leui.

23 POSSE etiam pœnitentem, cui imposita est recitatio Officij Diuini v.g. vel Rosarij, pro pęnitētia, illa recitare cum socio, dicens quilibet suam partem salutationis Angelicæ, vel versum Psalmi, docet Nauar. de *Orat. cap.* 10. *num.* 19. quam sententiam docet etiam Azor. *To.* 1. *Instit. Moral. cap.* 7. *quæst.* 10. quia in his casibus præceptum Confessoris intelligendum est, & interpretandum ad instar præcepti Ecclesiæ de hac re.

24 POSSE pęnitentem adire alium Confessarium, TVTA CONSCIENTIA, si primus nolit mitiorem pęnitētiam imponere, tenet Lug. *Disp.* 25. *num.* 77. *pag.* 587. & alij quamplures; quia pœnitens nullo modo tenebatur ab initio confiteri cum primo confessore: ergo nec post inchoatam confessionem cum ipso tenetur ab eo absolutionem accipere.

25 POSSE pęnitentem differre absq; labe peccati mortalis pęnitentiā sibi impositā à cōfessario intra tempus præfixum, si solū hoc faciat ex negligentia, docent Baunius *Tract.* 4. *de pæn. qu.* 23. *in prin.* Rodrig. *To.* 2. *cap.* 126. *nu.* 12. & alij, quos citat, & sequitur Leand. *loc. cit. quæst.* 87. qui dicunt excusatū esse à mortali pœnitētē, qui differt pęnitentiā, nisi dilatio talis esset nimia valde iudicio prudentis confessoris.

26 POSSE pęnitentem in casu, quo confessarius nō præfixit ei terminum pęnitentiæ adimplendæ, illam absque vlla culpa, & TVTA CONSCIENTIA, per annum differre tenet Diana 2. *part. tra.* 15. *resol.* 53. *in fine.* Leand. *loc.*

cit.

*cit.quæst.*89. & alij apud ipsum, quia nullus obligatur præcepto confessionis, statim ac peccat, sed potest differre confessionem per annum; ergo similiter poterit per annum differre pęnitentiam à confessario sibi impositam.

27 POSSE pænitentem iniunctam sibi pęnitentiam à confessario de licentia ipsius confessarij per alium implere, docent Bonac. *Disp.*5. *quæst.*5. *sect.*2.*punct.*4. Dian.4.*part. tract.*4. *resol.*241. Cand. *disquis.*24. *art.*30. *dub.*12. quia benè potest confessor iniungere pænitenti ieiunium faciendum v·gr. per se ipsum, vel per alium; ergo bene pænitens satisfaciet suæ obligationi, & præcepto confessoris si præstet ieiunium per alium.

CAPVT VIII.

DE PRÆSCRIPTIONE.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus casibus pertinentibus ad hanc materiam.

1 SI possidens bona fide rem aliquam incipias postea dubitare an eadem res sit aliena, sicuti cum hoc dubio te non posse inchoare, TVTA CONSCIENTIA, præscriptionem assero; ita affirmo, inchoatam bona fide, posse te illam, TVTA CONSCIENTIA, continuare; hoc idem affirmat cum comm. Laym. *Lib.*3.*tract.*1.*cap.*8.*nu.*10.& ratio prioris est; quia in dubio potius fauendum est reo, quàm actori, & sic actore non probante, reus absoluitur; at volens inchoare possessionem, talis reus gerit munus actoris, quia vult deturbare à possessione, eum de quo

dubitat, an sit legitimus possessor? Ergo nisi possessor supradictus sufficienter probet rem non esse illius, debet reus absolui, nimirum relinqui in meliori conditione possessionis. Ratio posterioris est, quia posito, quod quis prius fuerit possessor bonæ fidei, melior est ipsius conditio, quamdiù non sufficienter probatur rem non esse ipsius, sed supradictus possessor dubitat, nunc primum post possessionem ritè iam inchoatam, & huc vsque, prudenter iudicauit illam rem esse suam, nec aliud sufficienter probatur; ergo melior est conditio ipsius tanquam possidentis; ergo potest continuare præscriptionem, modò interim adhibeat moralem diligentiam ad sciendam veritatem.

2 SI accepisti dono ab amico equum v. gr. à quo equus ipse bona fide aliquot annis possessus fuit, & nunc tu donatarius dubitas an sit alienus: Posse te etiam cum prædicto dubio, TVTA CONSCIENTIA, inchoare præscriptionem, & post tempus à iure præscriptum, & diligentem inquisitionem ad inquirendam veritatem tibi equum securè retinere; affirmo cum Eminentissimo Cardinali de Lugo de *Iust. disp.* 1. *nu.* 64. allegante S. Thom. Mol. & alios. Quia donans potuisset inchoare præscriptionem, si bonæ fidei ipsius dubium superuenisset, eo quod ratione dictæ bonæ fidei Ius acquisierit ad retinendum sibi equum, etiam superueniente dubio; ergo tu quoque, TVTA CONSCIENTIA, potes hoc facere, quia ratione donationis successisti in toto iure, illi à quo dono accepisti equum, adeoque etiam in bona fide; ergo habes totum quod requiritur ad Præscriptionem.

C A-

CAPVT IX.

DE REGVLARIBVS.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad materiam prædictam.

1 REGVLARES teneri ab Episcopo Diæcesano petere benedictionem, etiam si voluerint prædicare in suis proprijs Ecclesijs declarauit Summus Pontifex Clemens X. in Bulla emanata anno 1670.

2 POSSE tamen regulares ipsos prædicare in suis proprijs Ecclesijs, si licentiam petierint, & illam non obtinuerint, decreuit idem Summus Pontifex in eadem Bulla.

3 QVOD si Episcopus non solum benedictionem non concesserit, sed etiam contradixerit, non posse ipsos Regulares in eisdem proprijs Ecclesijs prædicare. Non debere tamen Episcopos contradicere absque iusta, & rationabili causa; Constituit supradictus Clemens X. in supradicta Bulla.

4 TENERI ipsos regulares petere benedictionem, etiam si voluerint prædicare in aliquo ex oratorijs sui ordinis coram Populo, vel in Ecclesijs Monialium, seu ad crates earum; etiam si hoc facere velint ianuis clausis, & vbi nullus intersit sæcularis; declarauit idem Clemens X. in supradicta Bulla.

5 NON posse tamen Episcopum generatim prohibere regularibus, ne in eorum Ecclesijs prædicent, statuit idem Summus Pontifex in eadem Bulla.

6 RELIGIOSOS approbatos ab Episcopo ad audiendas confessiones in sua Diæcesi non pos-

ſe in alia Diæceſi abſque licentia Epiſcopi Diæceſani audire confeſſiones etiam illorum pœnitentium, qui ſubditi ſunt illi Epiſcopo à quo fuerunt approbati, Declarauit idem Summus Pontifex Clemens X. in ſupradicta Bulla.

7 NON peccare contra paupertatem, Religioſum, cui eſt licentia expendendi aliquam pecuniam, eſto peccet contra aliam virtutem, ſi in illicitos vſus expendat; affirmo cum Card. de Lugo, Salas, & quampluribus alijs citatis à P. Mendo in *Epit. v. Paupertatis votum*; Quia ſuperior quantum eſt ex parte ſua abſtulit impedimentum, vt vſus eius pecuniæ non ſit contra votum paupertatis.

CAPVT X.

DE RESTITVTIONE.

Quid poſsit, vel quid non poſsit fieri, TVTA CONSCIENTIA, in quibuſdam ſelectioribus caſibus pertinentibus ad materiam prædictam.

1 ACCIPIENTEM aliquid, vt præferat aliquem ad cathedram, vel ad accipiendum legatum, teneri illud, quod accepit reſtituere; affirmo cum comm. DD. quia non potuit iuſtè accipere, dum ſupradicta pertineant ad Iuſtitiam.

2 FAMVLVS, cui non eſt demandata cura adminiſtrationis domus, ſi videat alium famulum furantem, non teneri ad reſtitutionem, ſi Dominum non moneat, quia peccat contra charitatem tantùm; Si verò videat alium externum furantem res Domini ſui, teneri ad reſtitutionem, ſi non impediat, potens impedire;

affirmo

affirmo cum comm. DD. Quia tenetur famulus ex officio res domini sui custodire, & impedire ne extranei domum aggrediantur.

3 DANTEM suffragium iniustum post alios, qui etiam iniustum suffragium dederunt, non teneri ad restitutionem, si suffragium suum non augeat damnum, & iam suffragia aliorum damnum intulerunt, quod non potest auerti, vt supponimus, ab isto vltimo dante suffragium; affirmo cum Nauar. de *Rest. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 33. & quamplurimis alijs; Quia iste talis vltimò dans suffragium non influit in damnum illatum alteri, & sic peccabit quidem, cum non det suffragium iustum, sed non tenebitur ad restitutionem.

4 CVSTODEM nemoris, vel alterius rei, si non manifestat iusto Domino nemoris, v. g. damnificantes dictum nemus, peccare contra iustitiam; assero cum Nauar. in *Sum. cap.* 17. *num.* 122. & Medina de *Rest. quæst.* 17. *cap.* 3. Quia tenetur ex officio munus suum fideliter agere; quod si custos prædictus omisit notare, & manifestare dictos damnificantes, eum non obligari ad soluendas pęnas, quas soluissent damnificantes ipsi. Teneri tamen, vt benè *loc. cit.* aduertit Medina, ad restitutionem damnorum, ob suam iniquam dissimulationem domino illatorum, & hoc etiam si damnificantes dictum nemus iuxta statuta, & consuetudinem patriæ; non tenerentur in conscientia ante condemnationem restituere, & hic est vnus casus, vt aduertit idem Medina, in quo principalis damnificator non teneretur, teneretur autem accessorius, & concurrens, nam custos prædictus teneretur ex titulo, & obligatione speciali, & ratione officij, & fidelitatis ad prospiciendũ indemnitati præfati domini nemo-

nemoris, v. g. & damnificator non obligaretur in conscientia: nam obstarent statuta, & mores patriæ. Assero cum Nauar. *in Sum. cap.* 17. *num.* 124. Quia pœnæ non debentur ante sententiam Iudicis iuxta regulam cõmunem Doctorum, quod pœna legis non debetur ante iudicialem condemnationem. Quando autem aliquid acceptum fuit à custodibus, vt permitterent ligna cædi, & similia, obligari illos ad restitutionem; assero cum multis, & præcipuè cum Medina *de Restit. quæst.* 27. quia vt inquit ipse Medina, quod acceptum est principaliter ob turpem causam, sicut licitè recipi non potuit, ita nec ob eandem causam retineri, & consequenter restituendum est.

5 SI videns volucrem sedentem super culmen alicuius villæ, globo volens auem petere, petisti culmen villæ, & istam simul incendisti, ita vt breui tota conflagraret; Non esse te obnoxium restitutioni; affirmo cum communi Doctorum. Quia vbi non est culpa, ibi non potest consurgere obligatio restituendi; sed in casu nostro supponitur non adesse culpam theologicam, ergo, &c.

6 SI inuenisti marsupium pecunia benè refertum, & facta diligentia Dominus inueniri nequit, te non esse obligatum illud restituere pauperibus, sed posse tibi illud ipsum retinere, TVTA CONSCIENTIA, teneo cum Dom. Soto *lib. 5. de Iust. quæst. 3. art. 3. ad* 2. P. Nauar. Sà, & alijs apud Castropal. *de Iust. in genere disput. vnica punct.* 19. *num.* 3. quia similia bona, & ipso quod Dominus illorum inueniri nequeat nullius sunt. Idem enim est in iure, rem esse nullius, & Dominum ignorari, ac proinde de iure naturæ fiunt illa primò occupantis, verùm quamquam probabilem esse, affirmem cum supra-

prædicto Palao hanc sententiam, tamen magis piam assero cum eodem *loco citato* illam, quæ docet huiusmodi res inuentas, quando Dominus inueniri non potest, pauperibus, vel Ecclesijs erogandas.

7 SI Titius misit tibi picturam, cuius ignorans ille pretium te rogauit, vt illam venderes vno, vel altero nummo aureo; at tu consulens peritos, & accipiens ab illis picturam valere quinquaginta ducatis, pro eodem pretio illam vendidisti; Nō posse te, TVTA CONSCIENTIA, mittere Domino picturæ tantum vnum nummum aureum, pro quo te rogauit vt illam venderes, retentis tibi reliquis; Teneo cum Molina *tom.3.dub.363.* & alijs quamplurimis; quia nullum habes titulum legitimum, quo possis aliquid de pretio supradicto tibi retinere; Non rei venditæ cùm hæc sit Titij, nec tuæ industriæ, quia augumentum pretij supradicti non fuit fructus tuæ diligentiæ, vt supponimus, sed reale pretium ipsius picturæ, quæ ad Dominum spectat, vt supra etiam diximus.

8 TE posse, TVTA CONSCIENTIA, differre solutionem illius pecuniæ, quam deberes soluere vni creditori, si ex tali dilatione speres lucrum, quo possis alijs creditoribus satisfacere, aliàs non satisfacturus; Teneo cum Less. *lib.2. de Iustit. cap.16. num.24.* & alijs, quia ex charitate tenemur alienam iacturam vitare, cùm hoc fieri possit absque proprio graui incommodo, & sic creditor ille priuilegiatus tenetur ex charitate consentire in dilationem, ne alij priuentur suis creditis.

9 TE verò non posse, TVTA CONSCIENTIA, differre solutionem ob lucrum, si vnum habeas creditorem, vel si alios habeas, illis aliunde satisfacere potes: assero cum doctissimo

mo Petr. Nauar. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 53. & alijs multis. Quia creditor non tenetur consentire in hanc debiti retentionem, & rationabiliter est inuitus ad illam, vt patet.

10 AD quæ addere iudicaui verè auream doctrinam supracitati Nauarræ, quam *cit. loc. num.* 44. affert. Nam prædictus Doctor postquam docuerat, quod si dominus ex solutione parum iuuaretur, debitor autem notabiliter damnificaretur, vt quia oporteret eum ad soluendum debitum domum, aut possessionem vendere notabiliter minus iusto pretio, aut deberet vẽdere instrumenta suæ artis, posset differri solutio, &c. & postquã dixerat, quod debitor posset, TVTA CONSCIENTIA, differre solutionem debitorum illicito titulo cõtractorum, si ex solutione illorum, siue magnum, siue notabile damnum passurus esset in rebus suis licitè habitis, tunc enim dominus non grauiter indigens, non esset rationabiliter inuitus, &c. Si autem, subiungit idem Nauar. sit damnum, quod passurus est in rebus etiam iniustè acquisitis, tunc certè putarem, quod non modò cum notabili, sed cum magno damno tenetur restituere; illud enim damnum proprium dici non debet, sed dimittere alienum; iacturam enim ipse nullam facit, cum ipse de suo nihil amittat, nam cum ipse diues sit effectus, siue ex furto, siue ex vsuris palliatis ratione dilationis, vel alterius prætextus iusto pretio exigens, aut in officio scribæ, vel simili defraudans, vel in administratione alicuius Prælati, aut Principis, & huiusmodi, ipsa ratio, & iustitia postulat, vt illorum iacturam faciat, quæ sua non sunt, vt suum cuique tribuat, vnde sibi consulant mercatores, & ij, qui excessiuis lucris iniustis, diuites repentè prodeunt, & ob id magnum statum

tum

tum sustentant, tenentur enim statum imminuere, non solum parcè viuendo, sed si id non sufficit, omninò restituendo; nam vt diximus, id est non damnificari in aliquo, sed à damnificando cessare, aliàs, qui simul furatus esset 2000. aureos v. gr. ex quibus magnum statum adeptus esset, nō teneretur restituere, ne ab eo statu caderet, quod certè, non est cadere; cum suus non fuerit, quin potius contrà, vt adnotauit Sotus, cum in eo esse vult, in suo esse non vult: quid autem refert, quod simul, vel paulatim aliquem spolies? & idem est si licitè acquisiuit, sed malè expendit, ludis, luxurijs, &c. Non enim fas est, vt qui ex ipsis, quæ debet quamuis illicito contractu, lusibus, luxuriæ, &c. expendit aliena, velit suum statum sustentare, non soluendo, sed tenetur restituere, ac si iniustè acquisiuisset, vt dictum est, in vtroque enim casu semper est in culpa. Hæc ille.

11 SI emisti equum, v. g. sed pretium eius distulisti soluere post mensem, post quem accepturus illum eras ad tuum stabulum, & infra mensem ipsum, equus moritur: Teneri te pretium quod conuenisti, pro equo soluere venditori: affirmo ex *Instit. de empt. & vendit. §. cum autem iuncta gl. l. quod sæpè §. si res ff. de contrah. empt. lib. 1. ac seqq. de peric. & commod. rei vend.* P. Burghaber *cent. 3 Caj. Cons. nu.* 4. hoc ipsum docet. Quia sic censetur esse mens contrahentium, cum aliud non constet esse conuentum. Adde quod cum ex *cit. ll.* commodum rei venditæ spectet ad Emptorem, ad illum debet spectare, & incommodum.

12 SI verò dolium vini emisti, soluturus pretium vini ipsius intra mensem, intra quem vinum effunditur, & perit, Te non teneri ad soluendum pretium conuentum; affirmo cum P. Di-

P. Dicastill. *de Iustit. lib. 2. tract. 9. disput. 1. num.* 108. qui vocat hanc opinionem communem; Quia emptio, & venditio similium rerum fit tacitè sub hac conditione, si mensurentur. Ergo vinum supradictum, quod supponimus perijsse ante mensurationem, venditori, & non emptori perijt, cùm perierit ante perfectum contractum. Aduertendum tamen est cum supradicto Dicastil. *loc. cit.* quod contractus huiusmodi posset fieri hoc alio modo, nimirum vendo tibi hoc dolium vini triginta aureis, & tunc si vinum effundatur, effunditur in damnum emptoris, si verò fiat hoc alio modo (vt solet fieri) videlicet: Vendo tibi hoc dolium vini viginti carolenis in singulas mensuras, si postea vinum effundatur, antequam mensuretur, vel tradatur emptori, venditori perit, vt diximus.

13 NON teneri, TVTA CONSCIENTIA, restituere illum, qui cùm furatus sit aliquid certè, moraliter credit Dominum condonaturum, si rogaretur; affirmo cum Lugo *de Iustit. tom. 1. disput. 21. num. 52.* qui docet hanc doctrinam esse communem, quia si remissio creditoris expressa sufficit, cur non etiam rationabiliter præsumpta?

13 SI quædam fœmina accepit munera ab aliquo, qui facilè supponitur ea dedisse animo, vt illam ad turpe facinus alliceret, quod ista talis nunquam facere voluit, idque manifestauit munera ei præbenti; Nō teneri, TVTA CONSCIENTIA, istam talem, munera accepta restituere, sed posse ea sibi retinere; assero cum Molina Rebell. *de Iust. part. 1. de obligat. iust. lib. 3. quæst. 7. num. 6.* vbi hæc docet oculatissimus author; sicut non tenetur mulier restituere munera, quibus ad peccatum prouocatur, etiam

etiam si peccato non consentiat, quando non recipit ea sub pacto, siue tanquam pretium pudicitiæ, sed tanquam incitamentum, quam distinctionem aliqui non aduertentes à vero aberrarunt, quia hæc munera non sunt data tamquam pretium turpis lucri, idest cum pacto explicito, vel implicito patrandi scelus, sed tanquam liberale donum, licet cum spe alliciendi donatariam ad turpe opus, adeoque tamquam munus liberale, per se, quod restituendum non est, vt benè etiam docet Diana *par.2.tract.6.resol.38.§.notandum est*, vbi dicit, quod fœminæ accipientes munera à suis amatoribus, qui illa dederunt spe consequendi ab ipsis, quod prauè concupiscunt, non sunt obnoxiæ restitutioni, si non consentiunt, quia nullus est amator, qui non verecundaretur, & erubesceret, si præfata munera sibi remitterentur, verè enim ea donant, licet ob deflexum finem, & supradictæ fœminæ non recipiunt sub pacto, siue tanquam pretium impudicitiæ, sed tanquam incitamentum, &c.

14 CONSTITVTVM in extrema necessitate, & accipientem mutuo decem aureos, v.g. ad subleuandam suam paupertatem, si postea ad meliorem fortunam redeat non teneri ad restitutionem; affirmo cũ Valen. 2.2.*disp.9.punct.*4.Suarez, Bonac. & alijs apud P. Burgab. *cent.*1. *select.Cas.Consc.* quia in tali casu, qui mutuo dedit illa decem, debuit gratuita donatione succurrere extremè indigenti, nec iure repetere amplius quicquam potest, & consequenter, nec iste, qui accepit mutuum tenetur restituere, & certè si in hoc casu non obligat præceptum eleemosynæ, in quo obligabit?

15 VXOREM diuitis viri, facientem eleemosynas moderatas, tum filijs ex priori matri-

monio, & pauperibus fratribus, tum alijs, non committere furtum, nec teneri ad restitutionem, modò hoc faciat, pro more aliarum fœminarum suæ conditionis, nec excedat vigesimam partem annuorum prouentuum. Teneo cum Dian. *part.2.tract.15.resolut.33.* qui alios quamplures citat. Quia in hoc maritus non potest esse rationabiliter inuitus, ipsa enim vxor non est serua, sed socia, etiam in bonis; vnde spectat ad eius decentiam aliquas eleemosynas elargiri, vt supra etiam innuimus.

16 TENERI ad restitutionem, & amittere materiam, scienter ædificantem ex sua materia in alieno solo, nisi possit, & velit tollere sine dispendio Domini areæ; affirmo *ex l. Iulianus 38. ff. de rei vendic.* si verò ignoranter ædificetur, posse repeti impensas; affirmo cum doctissimo Verde *lib. 2. de rer. diuis. & de acquir. ear. domin. lem. 45. num. 216.*

17 SI occultè surripuisti aliquid, posse te illud occultè restituere tuo creditori, fingendo nimirum illud idem à te ei donari; affirmo cum Tambur. *lib. 8. in decal. 9. tract. 4. cap. 1. §. 5. num. 2.* & alijs; Quia quamquam ex tali occulta restitutione, & ficta donatione, patiatur tuus amicus hoc detrimentum donationis gratuitæ, quam tibi certè moraliter faciet, nullo modo ad illam tu directè eum induxisti, nec obligasti, sed solùm fuisti occasio illius, & licitè quidem, nam ad te eximendum à periculo amittendi propriam famam, tali occulto modo restituendi vsus es.

18 SI misisti ad Dominum, v.g. vestem, equum, vas, & quid simile, nimirum rem extantem apud te in indiuiduo, siue ex re accepta, siue ex contractu debitam, per hominem, quem putabas fidelem, qui posteà abijt cum tota illa re, te non

non teneri, TVTA CONSCIENTIA, ad illam iterum restituendam; affirmo cum Castropal. *de Iust. com. disp.* 1. *punct.* 18. §. 11. *num.* 2. Nauar. Less. Molina, & alijs citatis à Tambur. *loco cit.* quia quoties res aliena extans in indiuiduo perit absque tua culpa theologica, Domino perit, quod intelligendum est, vt infra dicemus, si talis res debita sit ex contractu licito.

19 SI verò debeas alicui ex contractu solutionem pecuniæ, & pretium alicuius rei emptæ, v. g. vel debeas ex re accepta, non rem extantem, sed pretium illius, & misisti pecuniam supradictam, per virum, quem credebas fidelem, & fuit posteà infidelis, teneri te ad iterum illam restituendam; affirmo cum communi apud Dicastill. *lib.* 2. *de restit. tract.* 2. *disp.* 3. *dub.* 4. *num.* 111. vbi quamplures pro se citat, & dicit hanc opinionem esse communem Doctorum. Quia cum illa pecunia, quæ erat in manu mediatoris, tua erat, & res vt diximus cùm perit, Domino perit, si perijt apud dictum Mediatorem, tibi perijt.

20 QVOD si iste Mediator, per quem misisti pecuniam, à Domino designatus fuit, Domino supradicto perijt, & non tibi, quia Dominus ipse in suo homine designato, suam fecit pecuniam, affirmo cum Dicastillo *loco citato*, vbi verè sapiens vir, hæc inter alia docet ad seruandam in hac materia, TVTAM CONSCIENTIAM, valdè vtilia.

21 ASSERO inquit ipse Primò, si res mittatur per eum, cui nominatim dominus per epistolam, vel aliter, dandam significauit, debitor satisfacit suæ obligationi, nec tenetur restituere, etiam si pereat, antequam eam Dominus accipiat, vt ex l. l. probant Auctores.

22 SE-

22 SECVNDO, non satis esse epistolam missam per nuntium significare, vt res mittatur, nisi simul significet Dominus, vt id fiat per ipsum nuntium, qui affert epistolam.

23 TERTIO, debitorem tradentem rem famulo sui creditoris, liberum manere à restitutione, etiam si famulus infideliter agat, quod ego intelligo, si famulus ille habebatur fidelis, & Dominus illo vtebatur tanquam fidelis ad similes res.

24 QVARTO, similiter manere debitorem liberum à restitutione, quando rem dedit ei, qui peculiare signum attulit, si debitor, & creditor inter se conuenerunt, vt res traderetur afferenti tale signum, docent communiter Doctores, nisi fortè, vt ait Molina, debitor manifestauerit signum, atque inde ortum fuit, vt alius audens deceperit; quando autem nullo præcedente pacto de signis illis, debitor tradidit deferenti certum creditoris signum, si verè nuntius ille fuit à creditore missus cum signis, etiamsi aufugerit cum re debita, liber manet à restitutione; si verò non fuit missus, sed ipse finxit se missum, tunc debitor non est à restitutione facilè excusandus, sed seruandæ sunt regulæ generales, quia etiam in re mittenda tenebatur ratione contractus, & quasi contractus.

25 QVINTO, eum qui pecuniam, & mulam, v. g. ab amico accepit mutuò, si postea ea remittat domino, & itinere pereant casu fortuito, vel quia aufugit nuntius, qui aliàs habebatur fidelissimus, tenebitur tunc restituere pecuniam, non verò mulam, quia dominium pecuniæ habuit, qui accepit, non verò mulæ, idemque dicendum de similibus, & de debitis ex furto, aut rapina; si enim facienda est resti-

restitutio ex rebus, quæ sunt sub dominio debitoris, ipsi debitori pereunt, antequam tradantur creditori, etiam si casu fortuito pereant, proinde videant tales debitores, cui committunt suas restitutiones, quia etiam si fidelissimo Confessario commiserint, si tamen iste re ipsa non restituat, ipsi debitores tenentur restituere, quod apud omnes Auctores citatos in confesso est, & allata ratio apertissimè probat, & leges tum ciuiles, tum ecclesiasticæ illæ citatæ, ibi enim Pontifex iubet, vt debitor iterum soluat pecuniam, quam per fidelem nuntium miserat, & quamuis aliqui Authores dicant contrariam opinionem non esse omninò improbabilem, vt est Lessius, tamen, quia hic non respondet ad textum, & legem Pontificis, quæ mandat in tali casu iterum debere solui pecuniam, quod etiam tenendum esse si res extet in specie, & ipsa numero restituenda sit, dummodo iniustè accepta fuerit à debitore, ait Angelus *Verbo, solutio, num.* 20. cum Panormitano, & alijs; dicit enim, quod casus fortuitus non imputatur, quando culpa non præcessit; & sic ex doctrina tum supradictorum Doctorum, tum Rebellij *part.* 2. *lib.* 2. *de rest. quæst.* 13. *sect.* 3. hæc sententia debet esse certa; quia possessor malæ fidei tenetur seruare creditorem indemnem ab eo damno, quod ex iniusta acceptione, siue retentione subsecutum fuit, præterquam si fuisset apud Dominum peritura eodem modo, hæc Dicastill. inter alia, & præter ea, quæ superius cum ipso diximus.

26 TENERI sub pœna peccati mortalis restituere illum, qui per pauca furta deuenit ad summam notabilem, & grauem ob multas rationes, quas hìc non refero, dum contraria opi-

opinio reprobata fuit tanquam ſcandaloſa ab Innocentio XI. anno 1679.

27 SICVTI etiam teneri in Conſcientia ad reſtitutionem, qui inducit alium ad inferendum graue damnum tertio, aſſero cum communi Theologorum ob euidentes rationes, quas hìc non ſubtexi, quia contrariam opinionem iam damnauit ſupradictus Pontifex eodem anno.

28 EXPENDENTEM monetam falſam ratione materiæ, ſi ſumma ſit notabilis, peccare mortaliter contra Iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem accipienti, ſi certa perſona ſit, quæ illam accepit; ſi incerta, pauperibus; affirmo cum Sylueſt. *Verbo, falſarius, quæſt.* 6. *num.* 8. Nauar. *c.* 17. *num.* 167. & quamplurimis alijs, quia in permutatione pecuniæ, non minus eſt de eſſentia conſenſus, quàm in permutatione cuiuſcumque alterius rei; ergo cum in hac re deſit conſenſus illius, qui accepit pecuniam materiæ adulteratæ, contractus erit eſſentialiter nullus.

29 NON teneri verò ad reſtitutionem, nec peccare contra iuſtitiam expendentem monetam tonſam, ſed non falſæ materiæ; affirmo cum Syblueſt. *verbo, falſarius loco cit.* Nauarro *loco cit.* & alijs multis, quia qui expendit diminutam ab alio, dum vitium manifeſtum ſit, & iniuriam accipienti non faciat, nec lege Principis prohibeatur vſus talis pecuniæ, nullam committit iniuſtitiam; ergo &c.

30 TENERI ad reſtitutionem, qui alium mouet, aut inducit ad damnificandum de damno illato, affirmo cum communi Doctorum, & ſententiam oppoſitam tanquam falſam, temerariam, & ſcandaloſam prædictus Summus Pontifex reprobauit, & damnauit eod. anno.

31 NON teneri Emphyteutam reſtituere Domino directo theſaurum, qui in illo inuenitur; affir-

affirmo cum Diana *part.9.tract.5.ref.2.* & cum pluribus alijs; qui tam fructus certi, quàm incerti, seu quasi fructus pertinent ad emphyteutam.

32 NON teneri ad restitutionem illum, qui in contractu societatis, etiam si æqualiter cum altero contribuit sortem, sustinet totum periculum, & ob hoc accipit duas partes lucri, & similiter, si quis plus contribuat, & remittit periculum in socium, & habet partem lucri; affirmo ex *l. si non fuerit 29. §. arist.*

CAPVT XI.

DE REO.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam casibus pertinentibus ad materiam prædictam.

1 REVM etiam legitimè interrogatum, non teneri sub mortali in causis capitalibus (si sit spes euadendi, & non timeatur graue damnum Reipublicæ) Iudici veritatem dicere: affirmo cum Less. *Lib. 2. de Iust. cap. 31. n. 16.* Sà *Verbo Reus.* & quamplurimis alijs. Quia maximum Ius est ad propriam vitam, & bona temporalia defendenda: Et vt ait Cardinalis de Lug. est sententia valdè probabilis, & in praxi tuta. Quia lex humana, non obligat cum tanto periculo, v.g. mortis, &c.

2 POSSE reum, TVTA CONSCIENTIA, etiam si verè reus sit, & siuè ante, siuè post sententiam, quando agitur de pœna mortis, vel morti æquiualenti, vt est perpetuus carcer, fugere: Teneo cum Less. *Lib. 2. cap. 31. dub. 5.* vbi pro se citat D. Tho. *quæst. 60 art. 4.* quia

quilibet habet ius ad conseruandam suam vitam, & tantum, vt nulla lex humana obligare possit ad eam non conseruandam, nisi tamen bonum publicum aliud non postulet, & præceptum de manendo in carcere cum tanto damno rei, non obligat in hoc casu, cum, vt inquit Less. *loc. cit.* hoc præceptum esset nimis difficile, inhumanum, & quodammodò superās humanam conditionem, vnde D. Thom. *loc. cit.* docet, quod nemo potest condemnari, ad faciendum aliquid, vnde ei mors sequeretur, adde vel aliquod graue damnum; atqui spontè manere in carcere, in hoc casu, est aliquid facere, vnde mors, vel damnum graue sequeretur, vt inquit D. Thomas; ergo, &c.

3 QVAMVIS possint, TVTA CONSCIENTIA, alij, qui non sunt Ministri Iustitiæ iuuare reum; vt fugiat, consilium dando, media præbendo, vt sunt lima, funus, &c. Non possunt tamen reum ipsum iuuare in effractione carceris; Teneo cum comm. DD. quia executio effractionis soli Reo licita est, propter ius vitę conseruandæ, & quia vt inquit Lessius, *loc. cit. dubit. 6. num.* 44. alioquin nihil posset Iudicibus satis esse firmum, & tutum ad custodiam reorum, quod caderet in maximum damnum Reipublicæ.

4 REVM, qui honesti negotij causa, domum suspectam intrauit, ibique cum suspecta fœmina fuit loquutus de ipso honesto negotio, delatum postea ad superiorem, & ab ipso interrogatum sub iuramento, an domum illam fuerit ingressus? ibique fœminam alloquutus? posse, TVTA CONSCIENTIA, iurare cum æquiuoco, non tamen cum mentali restrictione, vt diximus ex decreto Innoc. XI. qui contrariam opinionem falsam declarauit; affirmo

cum

cum Less.de *Iust.& Iure lib.* 2.*cap.* 42. *num.* 47. qui dicit hanc opinionem esse communem; Quia quoties superior, aut Iudex Iuramentum expetunt ex præsumptione delicti, & ignorantia veritatis, alioquin non petituri, si hoc ipsis constaret; licitè adhibetur æquiuocatio, sed hoc fit in casu nostro; ergo, &c.

CAPVT XII.

DE RVBRICIS.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus casibus pertinentibus ad hanc materiam.

1 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, in Ecclesia Latina à Sacerdote Latino consecrari in pane non azymo, etiam si hoc fiat ad dandum Viaticum infirmo; affirmo cum Suarez de *Eucharist. quæst.* 2. *par.* 1. *disp.* 44. *sect.* 3. Bon. de *Sacr. disp.* 4. *q.* 2. *pun.* 1. *nu.* 11. & alijs.

2 PECCARE mortaliter, Sacerdotem, si ante consecrationem vini, non infundat in illo aquam; affirmo cum communi DD.

3 SVFFICERE modicissimam aquam, & etiam quantitatem duarum, vel trium guttularum, dummodò sensibiles sint, quam aquam non posse misceri cum aqua rosacea, vel simili; sed debere esse puram aquam naturalem, sub mortali; affirmo cum Suar. de *Miss. lib.* 2. *cap.* 4. §. 1. *num.* 3. *& disp.* 45. *sect.* 3.

4 CELEBRARE cum paramentis notabiliter vel inquinatis, vel laceris esse peccatum mortale; affirmo cum Caietano, Suarez, Layman, Syluestro, & alijs apud Tamb. de

*Sacrif.Miss.lib.*1.*cap.*6.§.4.*num.*19.

5 IN Celebratione Missæ, vti corporalibus notabiliter immundis, esse peccatum mortale; affirmo cum Suarez, Sà, & alijs apud Bonacin. *Disp.*4.*quæst.vlt.punct.*9. *num.* 23. censetur enim grauis irreuerentia in immundo corporali celebrare.

6 SICVTI pariter; affirmo de Calice, & alijs pertinentibus ad hoc Sanctum Sacrificium, cum D.Bonau. qui dicit: cum honore, & omni diligentia tractetur ille, qui est Angelis, & Archangelis tremebundus.

7 OPORTERE in altari adesse Crucem, dum celebratur: si verò non adsit, peccari tantùm venialiter; affirmo cum Leandro *Tract.* 8. *de Sacrif.Miss.disp.*7.*quæst.* 13. & quampluribus alijs ab ipso citatis.

8 SI tamen, in altari sit expositum Sanctissimum Sacramentum, non oportere adesse Crucem; affirmo cum Caietano, & communi.

9 SICVTI nec oportere adesse aliam Crucē, cum illius imago sit depicta in imagine Altaris; aio cum P.Tamb.*Lib.*1.*cap.*5.§.6.*num.*2.

10 IN Cruce debere esse Imaginem Crucifixi; affirmo ex *Rubrica num.*2. in qua dicitur caput detegit, &c. & Altari, seù Imagini Crucifixi desuper positæ, profundę se inclinat.

11 SACERDOTEM non recitantem Orationes, dum induitur vestibus Sacerdotalibus absque iusta causa; peccare tantùm venialiter: affirmo cum Castropal.*Tract.*2.*disp.vnic.punct.*1.*num.*8. qui multos alios citat.

12 NON posse Missas priuatas defunctorum celebrari pro defūctis in festis duplicibus, sub graui culpa; affirmo ex *Decis.S.Congregationis emanata* 1662. vbi hoc districtè præcipit, &c.

13 COMMITTI culpam venialem à Sacerdo-

te

te non recitante Missam voce tam alta, vt possint ab audiētibus intelligi ea, quæ legũtur; affirmo cum Card. de Lugo, & alijs, & ex ipsa rubrica quæ *num.* 2. dicit neque tam voce submissa vt à circumstantibus audiri non possit, &c. Et audientibus ita sit accommodata, vt quę leguntur intelligant.

14 OPORTERE post sumptionem sanguinis in prima ablutione, vti vino sub culpa ad minus veniali; affirmo cum Tambur. *Lib. 3. cap. 9. num.* 5. dixi ad minus veniali, dum alij putant, quod hoc obliget sub mortali ex *cap. ex parte de Celebrat. Missarum*, vbi ait Papa: Postulationi vestræ respondemus, quod semper Sacerdos vinum profundere debet, post quam totum accepit Sacramentum.

15 IN secunda verò ablutione, deberi etiam vti vino sub culpa veniali; affirmo cum Sanchez *Lib. 4. decal. cap.* 11. qui affirmat, quod licet Sacerdos emiserit votum non bibendi vinum, debere nihilominus illud sumere tam in prima, quàm in secunda ablutione.

16 NON abluere manus antequam celebretur, esse peccatum veniale; affirmo cum communi apud Tonell. *part.* 143.

17 NON posse asumi clericos in minoribus constitutos ad canendum Epistolam, & Euangelium, etiam si penuria sit Diaconorum, & Subdiaconorum, non obstante consuetudine; affirmo ex *Decis. Sacr. Rit. Congr. emanata* 2. *Iulij* 1630.

18 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, fieri sacras vestes de vestibus Dominarum, vel Virorum: affirmo cum P. Paulo Quarto in *Rubr. Miss. Rom.* (qui dicit esse communem, & veriorem sententiam) *par. 1. tit. 29. dub.* 4. Tum quia hoc nullo Iure inuenitur prohibitum;

Tum quia ex vsu fidelium constat vestes pretiosas ab illis donari Ecclesijs, vt ex eis conficiantur casulæ, & huiusmodi sacræ vestes, quod,& doctissimi Religiosi,absque vllo scrupulo fidelissimè, & adamussim exequuntur.

19 DEBERE omitti signum Crucis, quod quidam præter rubricam, sibi faciunt manu, & amictu simul,à fronte ad pectus; affirmo cum Gauanto *part.2.tit.1.*& alijs.

20 NON debere Sacerdotem vestibus Sacerdotalibus indutum, pro celebratione Missæ, confiteri; affirmo cum Gauanto ibidem; dedecet enim reuerentiam debitam Sacerdotibus celebraturis.

21 NON posse absque Priuilegio Pontificis vti duplici palla,altera pro calice, & altera pro hostia;affirmo cum Gauan.*ibid.*esset enim additio ritus,quæ est à Pio V.prohibita.

22 SICVTI post adorationem Crucis in feria sexta in Parasceue, non posse Sacerdotem celebrantem,solùm calceos assumere; & non casulam, sed debere iuxta rubricas Missalis, mox facta adoratione,& calceos, & casulam assumere:affirmo ex ipsis Rubricis, & ex eadem supradicta ratione.

23 SI prætermissum sit aliquid, quod non est de substantia sacrificij, non esse de necessitate supplendum postea, cum perturbatione ordinis ab Ecclesia præscripti, vt esset,si omissus fuisset hymnus:*Gloria in excelsis*,aut quid simile,& de huiusmodi omissione, nec postquam progressus esset aliquantulum recordaretur celebrans, nam hoc non posset fieri nisi cum aliqua perturbatione ordinis præscripti; affirmo cum Bonac.*Disp.4.quæst. vltima punct.* 10. *num.*16.vbi quamplures citat pro se.

CAP.

CAPVT XIII.

DE SACRAMENTORVM administratione.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad prædictam materiam.

1 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, aliquid accipi (etiam sub prætextu spontaneæ donationis) neque exigi aliquod emolumentum ab Episcopo, vel alio Prælato, siuè eius Vicario Generali, vel particulari, Cancellario, & quocumque alio Officiali, Ministro, vel familiari pro omni eo, quod respicit administrationem Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremę Vnctionis, vel etiam pro examine, licentia, & approbatione ad eadem Sacramenta administranda; declarauit Innocentius XI. in Bulla emanata anno 1679.

2 NEC etiam ipsos curatos, vel alios ministros posse, TVTA CONSCIENTIA, aliquid accipere pro eorumdem Sacramentorum administratione, imò debere ab Episcopis, & eorum Vicarijs non permitti curatis supradictis, vel alijs Ministris, vt aliquid pro dicta Sacramentorum administratione, accipiant, idem Pont. decreuit in ead. Bulla.

3 IN Sacramentorum collatione, semper esse vtendũ tutiori opinione circa valorẽ Sacramenti; affirmo cum communi DD. & contraria opinio, quæ docebat vti posse saltem in conferendis quibusdam Sacramentis opinione probabili relicta tutiori; fuit damnata ab Innocentio XI. in suo decreto emanato anno 1679.

4 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, administrari Sacramenta simulatè, etiam si quis im-

impellatur à metu graui ad simulandam talem administrationem: Teneo cum communi, ductus multis rationibus, quas hìc non oportet referre; nam contraria opinio, quæ asserebat vrgentem metum grauem esse causam iustam simulandi Sacramentorum administrationem, damnata fuit ab Innocentio XI. in dicto decreto edito anno 1679.

CAPVT XIV.

DE SCANDALO.

Quid possit, vel quid non possit fieri, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus casibus pertinentibus ad materiam prædictam.

1 FOEMINAM inducendo, & induendo de nouo talē vestiū formā, vt ex illa; denudata appareat v. g. magna pectoris, & mãmillarũ pars, peccare mortaliter; affirmo cũ Less. de *Card. vir. li. 4. cap. 4. n. 11.* Dicast. *ibid. li. 1. disp. 3. dub. 25. n. 473.* & alij comm. quia talis fœmina hac noua forma vestium, introducit rem ex se periculosam; adeoque grauiter, præiudicantem bono publico, & proximorum saluti, cum censeatur dare causam, ex natura sua, peccati mortalis.

2 NON peccare grauiter Fœminam, si se ornet more patrio, & si iuxta illum, etiam manus cum homine in choreis intexat, & etiā si sciat, sic fore amandam impurè; Teneo cum Hurtad. D. Thom. Sanch. Dian. & alijs, quos citat, & sequitur P. Mendoz. in *Epit. Cas. Cons. verb. Scandalum*, quia in causis supradictis, talis mulier non est causa, per se scandali, sed alter, ob suam malitiam ex re licita, & indifferenti, nec ad malum

lum ordinata sumit occasionem peccandi, debet tamen quantum potest fœmina vitare in choreis cum illo saltare, quem credit fore peccaturum ex ea occasione.

3 SI bona Ecclesia, vel etiam, tributa, iniustè imposita,& absque legitima authoritate,iniustè petantur,non ideo esse soluenda exigentibus, ex eo quia hi scandalizarentur,nisi soluantur, se turbando, & commouendo ad iram; affirmo cum sup. P.Mendo *loc.cit.* quia aliter, faciendo daretur occasio delinquendi, & bona Ecclesię vsurpandi.

4 NON peccare, & esse Tutum in Conscientia, illum, qui petit ab aliquo parato ad committendum aliquod malum rem moraliter bonam, & quæ benè potest præstari ab ipso, absque vllo peccato, & malitia, vt esset petere ab vsurario, vt mutuet nummos; affirmo cum doctissimo Soto de *Iust. & Iur. lib.6. quæst.2. art.5.* & alijs quampluribus, quia petens mutuum, petit aliquid, quod ex se licitum est, & absque peccato præstari potest.

5 NON esse Tutum tamen in Conscientia, & peccare mortaliter, petentem v.gr. ab aliquo, etiam, parato ad peccandum, & committendum vsuras, v. g. vt sibi mutuet aliquid cum vsura; affirmo cum doctissimo Caietano *2.2.qu.78. art.4.* & alijs, quia hoc esset petere aliquid, quod de se est malum, nimirum rem, quæ non potest præstari absque peccato, vt esset mutuare cum vsura.

6 NON peccare mortaliter, & esse Tutum in Conscientia, pecunias suas committentem in manus alicuius, quem scit vti pecunijs ad vsuras lucrandas, si iste talis habet alios nummos, quos potest implicare in committendis vsuris; affirmo cum S. Thom. 2. 2. *quæst.78.*

art.4. ad 3. quia in tali casu, non cooperatur iste talis ad vsuras sui depositarij, dum supponimus, illum habere alias pecunias, quibus vti potest ad lucrandum cum vsuris.

7 NON esse tamen, Tutum in Conscientia, committentem pecunias vsurario, qui non habet alias, quibus vtatur ad lucrandas vsuras; affirmo cum S.Thom. *l.c.* ex contraria ratione, quia nimirum, tunc talis committens pecunias suas vsurario cooperaretur ad vsuras ipsius.

8 SI ex causa iusta, & rationabili, scienter cooperaris cum aliquo in actione, quæ non est intrinsecè mala, sed in se considerata, indifferens est, & tu illam ordinas ad bonum finem, hoc est ad succurrendum tuæ necessitati, & ad tuam vtilitatem consequendam, quamuis alius ea abutatur; Te non committere peccatum, in supradicto casu, & TVTA CONSCIENTIA, non esse obligatum ad restituendum; affirmo cum Less. *Lib.2. cap.9. num.122.* Castropal. *Tom.1. tract.6. de Char. à p.7.* & quamplurimis alijs sapientissimis DD. quia, quando causa rationabili vrgeris ad faciendum illud opus, moraliter censeris non posse facere aliud; igitur non teneris in conscientia abstinere ab illo eodem opere, à quo ideo deberes abstinere, vt impedires, seù non permitteres peccatum proximi, sed non potes, cum vrgeris necessitate tua, & illa auferat à te moralem potentiam; ergo nullo modo peccas, quia ad Impossibile nemo tenetur.

9 FAMVLVM non esse tutum in conscientia, & grauiter peccare, si deferat literas heri ad Amasiam, continentes turpia; affirmo cum Sanchez *Lib.1. Decal. cap.1. num.26.* Bonac. *Disput.2. de Matrimon. quæst.4. part.14. num.6.* & alijs. Quia verba turpia sunt intrinsecè mala;

ergo

ergo literæ continentes illa, non erit licitum, deferre, ficut ex paritate rationis, nec deferre scripta continentia prouocationem ad duellũ.

10 PECCARI mortaliter à famulo, qui submissis humeris adiuuat herum suum ascendere scalas ad stuprandam v.g. virginem, & eidem subseruit deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut ad quid simile cooperando, etiam si id faciat ob metum notabilis detrimenti, puta, ne à Domino maletractetur, aut ne toruis oculis aspiciatur, & ne domo expellatur; affirmo eum communi DD. ob validas rationes, quas non oportet hìc adducere, dum cõtrariam opinionem Summus Pontifex Innocentius XI. reprobauit, & damnauit anno 1679.

11 NON peccare Caupones, & Tabernarios ministrantes cibos illis, de quibus dubitant, nolle ieiunare; affirmo cum Less. *Lib.4.cap.2. num.24.* & alijs quamplurimis. Quia censetur iusta, & proportionata causa, vt quis res suas vendat, & iactura quam pateretur, si illas minimè venderet.

12 CIRCA quam materiam notanda est, ad TVTAM CONSCIENTIAM conseruandam, quantum Dei gratia fieri potest, doctrina verè aurea sup. cit. Lessij, qui *loc.cit.* ait, quod in supradicto casu, vel certò constat cauponibus, supradictos nõ teneri ad ieiunium, & tunc posse eis ministrari cænam, vel non constat supradictos non teneri, vel est dubium; si primum potest dari illis cæna, modò scandalum absit; si secundum, non potest: si tamen absque graui incommodo negari possit; si tertium, vel decorè possunt interrogari, an excusentur à ieiunio? vel non possunt; si possunt, interrogandi sunt, & iuxta quod responderint faciendum; Si non possunt propter authoritatem, præsumen-

dum est eos excusari, ratio est, quia in dubio, nemo præsumitur velle peccare *l. merito pro socio*, & dubia in meliorem partem sunt interpretanda,

13 LICITE, & TVTA CONSCIENTIA, posse te petere Sacramenta à Sacerdote, quem scias esse in peccato mortali, si alius bonus prçstò non est, affirmo cum Azorio *par. 2. lib. 22. cap. 17. qu. 7.* & alijs. Quia tunc tua vtilitas, & necessitas spiritualis excusat te à peccato, omitto quod posset vitare Sacerdos media contritione in tali casu suum peccatum.

14 POSSE te locare domum tuam meretrici, TVTA CONSCIENTIA; assero cum Bonac. *qu. 4. de Sacr. Matr. punct. 14. n. 5.* Vbi quamplurimos alios pro se citat; Quia locatio domus est nimis remota à peccato, cum non sit neque materia, neque occasio illius.

15 PVELLAM, quæ se conspiciendam præbet adolescenti, à quo scit se amari turpiter, dummodò hoc faciat ex aliqua necessitate, vel vtilitate, aut ne se priuet libertate, vel iure domo exeundi, vel standi ad ostium domus, vel inspiciendi per fenestrã, non peccare, & esse Tutam in Conscientia; assero cum Bon. de *Matr. qu. 4. punc. 9. n. 17.* Vbi quamplures alios pro se citat. Sanc. *l. 1. Decal. c. 6. nu. 16.* Quia etiam si in tali casu videatur puella præbere occasionem adolescenti ad eam concupiscendam, tamen hæc occasio prouenit ex malitia adolescentis, & non à puella, quæ iure suo vtitur.

16 PECCARE tamen hanc ipsam puellam, & minimè esse Tutam in Conscientia, si data opera, & absque vlla necessitate, sed solùm quadam vanitate ducta, & conscia adolescentis turpis amoris (quamquam illum non intenderet) se conspiciendam ei obijciat, assero cum

cum eisdem supradictis sapientissimis DD. quia in tali casu tenetur consulere saluti spirituali proximi.

17 PECCARE, & non esse Tutos in Conscientia Pictores, imaginem concubinæ pingentes amasio; quem sciunt imagine illa turpiter vsurum, nec liberare illos à peccato graui, amissionem lucri; sed solum timorem mortis, vel vulneris; aio cum Azor. *Tom. 2. cap. 11. cap. vlt. qu. 9.* Bonac. de *peccat. disp. 2. qu. 4. punct. 2. §. vn. num. 29.*

18 EXCVSARI heros, vel parentes à peccato, & esse eos Tutos in Conscientia, si non auferant occasionem famulis, vel filijs furandi ad experiendam eorum fidelitatem, ipsosque in futurum à furto auertendos. Non licere tamen illis offerre occasionem furandi, sicut nec marito licere vxori persuadere, vt fictè consentiat adultero ipsam sollicitanti, vt sic deprehendatur, & occidatur, aio cum Sanc. de *Matr. lib. 10. disp. 12. num. 53.* Emanuele Sà *v. pecc.* & alijs. Quia in primo casu non fit actio intrinsecè mala, sed negatiuè tam heri, quàm Parentes se habent permittentes furtum ob maius bonum, in secundo vero, & tertio sunt actiones intrinsecè malæ, & cooperationes ad peccatũ.

19 POSSE te absque peccato, & TVTA CONSCIENTIA, parato malum maius facere v. gr. mortem cuidam inferre, proponere rationes, & motiua, vt quem volebat occidere, benè verberet, vel mutilet tanquam minus malum; assero cum Sanch. *Lib. 7. de Matr. disp. 11. nu. 19.* Vbi quamplurimos citat pro se, quia huiusmodi rationum, & motiuorum propositione, non inducis ad mutilationem, verberationem &c. sed tantùm viam ostendis, qua valeat malum grauius euitari; in quo aduertendum id,

id, quod docet Sanchez *loc. cit. num.* 21. nimirum, quod oportet, vt liceat minus malum consulere, vt ille, cui dandum est consilium tale, sit omninò determinatus ad patrandum maius malum, a quo minimè aliter auelli possit; non esse tamen necessarium, vt docet ipse Sanchez *num.* 21. quod in consilio minoris mali perpetrandi, exprimatur ea conditio, si maius malum facturus es; quamuis enim non liceat consulere minus malum, tamen dum determinato prorsus ad maius consulitur minus, subintelligitur semper talis conditio.

10 SI latro tibi dicat: nisi me adiuues ad furandum à Petro, à quo paratus sum furari quamdam summam nummorum, maiorem quantitatem pecuniarum ab illo furabor: si vero mihi auxilium præstabis furabor minorem ab eodē. Posse te in tali casu furem adiuuare, TVTA CONSCIENTIA, si alia via non adsit ad auertendum furem à furanda maiori summa; assero cum Vasquez *Opusc. de Scandalo art.* 1. *à nu.* 13. Diana *Part.* 5. *tr.* 19. & alijs multis. Quia dominus pæcuniæ auferendę, de qua potest disponere, censetur id velle, cum tu in hoc auxilio tuo, vtile eius facias; notandum verò in hoc, quod quanquam vera sit supradicta doctrina, si loquamur de bonis, quorum; quis dominus est de alijs verò, vt sunt bona vitæ, & corporis, quamuis licitum sit consulere minus malum, nimirum abscissionem membri illius, quem determinauerat quis omnino occidere, non licet tamen cooperari ad talem abscissionem, vt diximus fieri posse in furto, Nam, quia istorum bonorum alter verè dominus est, præsumitur rationabilis voluntas domini, quod in tali casu, ita, si præsens esset ipse, disposuisset, at in bonis vitæ & corporis non potest pręsumi ista volun-

voluntas, cum ille, qui passurus est tale malum, non sit dominus vitæ, & corporis.

CAPVT XV.

DE SECRETO.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus Casibus pertinentibus ad materiam prædictam.

1 PECCARE te grauiter si illud secretum reuelasti, quod promisisti te non manifestaturum; aio cum comm. DD. apud P. Mendo in *Epit. Cas. Cons. v. secretum*, cum promissio facta à te committenti tibi secretum quod accepisti cum pacto illud non manifestandi, sit quidam contractus, & conuentio, adeoque teneris pacta seruare, aliter contra fidelitatem, & quasi contra iustitiam peccabis, vt ait supradictus P. Mendo.

2 POSSE te tamen, TVTA CONSCIENTIA, manifestare secretum, nisi manifestatio illius in detrimentum Reipublicæ, aut in damnum alterius cedat; affirmo cum D. Th. D. Anton. Adria. Laym. & alijs apud P. Mendo *l. c.* quia in hoc casu damnum tertij est iusta causa manifestandi secretum.

3 NON posse verò te manifestare secretum, quando v. g secretò accepisti Petrum fuisse occisum à Paulo, occisio tamen Petri imputatur Caio, qui ob eam causam detinetur in carcere. Teneo cum Nauarr. Suarez Soto, & alijs apud eumdem P. Mendo *loc. cit.* quia in tali casu nec ipse Paulus occisor cum æquali periculo tenetur se ipsum manifestare, nisi posset sibi, & alteri consulere fugiendo cum aliqua iactura,

iactura, quia ad hoc tenetur. Quod si fugam consuluisti, & ille noluit acquiescere, potes, TVTA CONSCIENTIA, eum manifestare, vt liberes Innocentem.

4 POSSE te, TVTA CONSCIENTIA, secretum manifestare, quando non reuelatio cedit in detrimentum ipsius, qui secretum tibi commisit; affirmo cum Nauar. Molina, Sanch. & alijs apud eumdem Mendo *loc. cit.* quia in tali casu bonum ipsius præualet secreto.

5 PECCARE te grauiter si inueniens literas sigillatas, illas legis; affirmo cum Diana, Less. & alijs apud eumdem *loc. cit.* quia qui, tali modo legit litera, exponit se periculo aliqua in literis legendis, & percipiendi, quæ nollet sciri, nec manifestari ille, à quo, vel ad quem mittuntur literæ, & si sciantur, rationabiliter est inuitus, & læditur. Quod si adsit interpretatiua voluntas, & certitudo moralis, quod manifestatio secreti in literis contenti, non erit nocitura illi, ad quem literæ missæ sunt, vel illi qui illas misit; Posse licitè legi, quidquid in literis ipsis continetur, affirmo cum communi DD. ex contraria ratione.

CAPVT XVI.

DE SIGILLO CONFESSIONIS.

Quid possit, vel quid non possit fieri, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad materiam prædictam.

1 VIOLARI à Confessario Sigillum Confessionis, etiamsi tantummodò in genere, manifestet peccatum mortale; aio cum omnibus DD. apud Adr. in 4. *de confes. vbi de sig. §. in hac quæst.*

2 SI-

2 SICVTI etiam affirmo violari idem sigillum ab eo, qui reuelat mortale sibi confessum aliàs publicum, dicendo se illud agnouisse in confessione cum Nauar. *in cap. Sacerdos, num. 62. & in Man. cap. 8. num.* 10. Diu. Thom. *in 4. dist. 2. quæst. 3. art. 3.* Suar. *disp. 33. sect. 3.* Laym. & multis alijs, quia verè tale peccatum, vt cognitum in confessione reuelatur, & per accidens est, quod aliàs notum sit, & publicum.

3 SI confessarius interrogetur vtrum confessa fuerit meretrix suum publicum peccatum, posse absque fractione sigilli respondere rectè confessa est, vel absolui eam; Teneo cum Henriquez *lib. 3. cap. 21. num. 2.* & alijs.

4 FRANGI sigillum confessionis ab illo confessario, qui diceret, Ille talis pœnitens confessus est plura venialia; teneo cum Hurtado *disput. 12. de pæn. diff. 4.* & Leand. *disput. 10. de sigillo confess. quæst.* 11. quia in tali casu reuelaret confessor id, quod omninò erat occultum, scilicet confitentem commisisse plura venialia, & illa eum confessum esse. Non sic verò dicendum aiunt Fagundez, & Dian. cum alijs *par. 5. tract. 11. resol.* 49. de illo confessario, qui diceret de suo pœnitente; Ille non habet nisi materiam venialem, quia in hoc casu (inquiunt illi) per hunc modum loquendi, confessor non reuelat aliquid veniale in genere, nec dicit illum habere plura venialia, & sic talis reuelatio non esset contra sigillum, nam qui confitetur, manifestè ostendit se habere saltem peccata venialia, vt expresse docent Henriquez *lib. 3. de Pænitent. cap. 21. num. 2.* & alij quamplurimi, quos citat, & sequitur Fagundez *Præcept. 2. Eccles. lib. 6. cap. 5. num.* 17. Lug. *de Sacram. Pænit. disput. 23. num.* 50. & alij.

5 FRANGI sigillum à confessario, qui reue-

larer

laret delicta non solùm commissa, sed etiam committenda à suo pœnitente, quæ ab ipso audiuit in confessione; affirmo cum S. Thom. *in* 4. *dist*. 21. *quæst*. 3. *art*. 1. *quæst*. 1. *ad primum*; quem citat, & sequitur Lug. *loco cit. disp*. 23. *nu*. 52. Dian. 5. *part. tract*. 11. *resol*. 26. & alij multi. Quia non solùm peccatum præsens, & præteritum cadunt sub sigillo, verùm & futurum; vnde nullo modo poterit confessor reuelare crimina, quæ pœnitens statuit in confessione perficere, si verè ad confitendum accessit.

6 POSSE à Prælato puniri Religiosum, qui non confitendi animo, sed iniuriandi ad illum accessit ad confessionem, & de facto id facit; docent Fagundez 2. *Precep. Eccles. lib*. 6. *cap*. 4. *num*. 22. Lug. *loco cit. disp*. 23. *num*. 60. & communis. Quia illud peccatum, & delictum potiùs debet dici, quod committitur vidente confessario, quam confiteatur ipse pœnitens religiosus, & sic, hæc sigilli reuelatio non est confessionis, sed simulationis illius, & dœmoniacæ inuentionis.

7 TENERI etiam ad sigillum confessionis confessarium, qui ob defectum aliquem v. g. contritionis, pœnitentem non absoluit; aio cum D. Thoma *in* 4. *dist*. 21. *quæst*. 3. *art*. 1. Syluest. *verbo, Confess*. 3. *quæst*. 4. & alijs apud Bonac. *disput*. 5. *quæst*. 6. *sect*. 4. *punct*. 2. *num*. 6. vbi multos alios citat; quia hæc confessio, quamuis solùm inchoata, est vera confessio sacramentalis; ergo verè confessor obligatur ad sigillum illius.

8 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, confessarium reuelare peccata sibi confessa de licentia tacita, seu præsumpta pœnitentis; assero cum Nauar. *cap. Sacerdos, num*. 154. Suar. *disp*. 33. *sect*. 5. *num*. 14. & quamplurimis alijs.

Quia

Quia talis reuelatio facta absque expressa pęnitentis licentia, redderet absque dubio confessionem odiosam, sicuti etiam si hoc fieret, cederet in contemptum Sacramenti, cum sæpius accideret ob tacitam, etsi rationabiliter existimatam licentiam, Sigillum violari.

9 NON posse confessarium loqui cum pœnitente extra confessionem de peccatis in ea auditis, absque eo, quod ab illo licentiam petat, etiam si id faciat iusta de causa, vt nimirum adiuuet ipsum pœnitentem, & similia; assero cum Suar. *disp.33.sect.5.num.2.* Lug. *disput.23. num.* 130. Vbi dicit contrariam sententiam repugnare communi Theologorum, & fidelium sensui. Quia nequit hoc fieri sine aliquo rubore pœnitentis, & consequenter redderetur nimis odiosa confessio.

10 POSSE tamen confessarium in casu, quo commiserit aliquem errorem in absoluendo pœnitentem extra confessionem manifestare illi talem errorem, etiam si pœnitens ad hoc licentiam non præstiterit, dummodo illam petat, & significet pœnitenti se velle cum illo loqui de re necessaria, & pertinente ad confessionem præteritam, docet Suar. *disp.33. sect. 5. num.3.* cuius hæc sunt formalia verba relata à Leand. *loco cit. quæst.23.* qui etiam hanc opinionem tenet cum multis alijs, & præcipuè doctissimo Candido, quem ego cognoui quando tam dignè partes agebat Romæ Magistri Sacri Palatij; verba Suar. sunt hæc: Solus est casus communis, quādo confessor commisit defectum in confessione, ex quo obligatur ad pęnitentem monendum: respondeo, dicere illi posse, & deberę cum illo loqui de re necessaria ad confessionem pertinente, & quidem si ille consentiat, iam habet facultatem: si verò

renuat,

renuat, dicat nihilominus, si commodè possit, quia tunc verè non loquitur extra confessionem, sed supplet, & perficit eam, quæ inchoata, & imperfecta remanserat, & pœnitens tunc est irrationabiliter inuitus.

11 POSSE confessarium, statim finita confessione, si occurrat error emendandus, loqui cum ipso pœnitente de corrigendo errore, etiam si non petat ab illo licentiam; docent Henriq. *lib. 6. cap. 23. num. 2. in fine.* Lugo *disp. 23. num. 129.* & alij quamplurimi. Et ratio est, quia moraliter non intelligitur dici extra confessionem, quod in continenti dicitur, vnde *loco cit.* subdit Lugo. Falsum quippè est, quod Fagundez dicit, data absolutione, finitum esse Sacramentum, & iudicium, nam aliqui imponunt pœnitentiam post datam absolutionem. Et quidem impositio pœnitentiæ grauis satis significat confessionem grauium peccatorum, ergo loqui de peccatis post absolutionem, non est contra sigillum; quia nimirum censetur durare adhuc idem iudicium Sacramentale, cuius actus sunt absoluere, punire, consulere, monere, corrigere, & similia. Hæc sapientissimus Cardinalis.

12 NEQVE frangere sigillum illum confessarium, qui loquitur de rebus auditis in confessione, de quibus ipse pœnitens incipit eum alloqui; affirmant Bonac. *disput. 5. quæst. 6. sect. 5. punct. 4. num. 11.* Fagundez *Præcept. 2. Eccles. lib. 6. cap. 4. num. 36.* & quamplurimi, quia in hoc casu, & verbis, & factis pœnitens expressè tribuit licentiam confessario, vt loquatur de auditis in confessione.

13 TENERI ad sigillum illum confessarium, cui tempore pestis, aut tempestatis, v. g. pœnitens coram multis fassus est peccata sua; as-

sero

ſero cum Fagundez *Præcep.2.lib.6.cap.5.num.* 1. qui quamplures pro ſe citat, & præſertim D.Thom.*in 4.diſt.21.quæſt.3.art.*1. quia ſi ſigillum confeſſionis obligat confeſſarium ad non loquendum de re confeſſa etiam cum illo, qui illam confeſſus eſt, qualis eſt ipſe pœnitens; quantò magis obligabit confeſſarium ipſum ad ſigillum, & reſpectu illorum, qui ſimul cum illo audierunt confeſſionem factam, & multò magis reſpectu illorum, qui nullo modo audierunt.

14 SI duo ſimul confeſſarij audiant confeſſionem eiuſdem pœnitentis, non poſſe poſteà colloqui inter ſe de peccatis auditis, ſine pœnitentis licentia; affirmo cum Henriquez *lib.3. de.1.cap.15.num.5.littera F.* Fagundez *loco cit. num.*1. Vbi quamplures pro ſe citans hæc docet. Itaque ſi duo, vel plures Sacerdotes confeſſionem pœnitentis ſimul audierunt, vterque tenetur ad ſigillum, neque poſſunt inter ſe colloqui de peccatis confeſſis niſi de licentia pœnitentis; ſi enim cum ipſomet pœnitente non licet loqui, niſi de licentia illius expreſſa, multò minus cum alio licebit, etiam ſi notitiam confeſſionis habeat, vt præter Suarium allegatum docet ipſe Henriquez *lib.3.de pœnit.cap.20.num.1.lit.B. ad marginem etiam.* Richard.*in 4.diſt.17.art.3.quæſt.*8. Palud.ibi. *quæſt.*2. Sot. *in 4.diſput.18.quæſt.2.art.6.* Armill. *Verbo, confeſſio,*§.14. Medina *de Confeſſ.fol.* 64. hæc Fagundez.

15 PECCARE confeſſarium non verò frangere ſigillum ſi ipſe teſtetur in aliqua Ciuitate, vbi confeſſiones audiuit committi v.g. peccatum adulterij, aut aliud, & vel adeſſe multos ſceleſtos homines; teneo cum Henr.*lib.3.de pœnit.c.21.num.6.* Fagundez *lib.6.cap.4.num.2.* & alijs.

& alijs. Quia per prædictum modum loquendi nulla fit iniuria Sacramento, cum non reueletur author illorum scelerum: ergo non erit contra sigillum, sed peccabit quidem, vt diximus; quia confessarius prædicto modo loquens, regulariter loquendo, valdè offendit Ciuitatem, oppidum, &c. maximè si confessarius narret prædicta coram simplicibus hominibus, qui, vt experientia constat, putantes hoc modo reuelari confessiones magno afficiuntur scandalo, vt ait Fagundez *loco cit.* qui citans Suarez, hęc dicit: Vnde ita ait Soarius allegatus ibi: Est quidem peccatum mortale scādali, sed non in alia materia, quàm in materia sigilli: ergo peccatum mortale contra sigillum, & Sacramentum; nec obstat, quod fit apud simplices, non apud prudentes, & sapientes, nam etiam apud simplices iniuria Sacramento fiet, & oportet vt etiam simplices, & ignorantes homines non deterreantur à confessione, vt securi, & sine timore reuelationis confiteri possint; hæc Suarius *tom.4. de pœnit. disput.33. sect.3. num.5. medio*, apud prælum Conimbricense, sed nihilominus existimo opinionem Soarij esse admodum rigorosam, & opinionem Henrici, & Nauarri esse probabiliorem, vt consideranti patet; hæc ille.

16 ESSE contra sigillum dicere, Paulus, v. g. Confessus est mihi, sed ego eum non absolui; affirmo cum Bonac. *disp.5. quæst.6. sect.5. punct.4. num.6.* Lugo *disp.23. num.84.* vbi dicit hanc sententiam esse communem Doct. & Theol. quia, qui audit prædicta verba, statim iudicat, & non irrationabiliter, pœnitentem fuisse confessum aliquid graue, & mortale, vel esse ligatum aliqua censura, ob quam non potuit obtinere absolutionem.

17 QVAM-

17 QVAMQVAM magis prudenter responderet confessarius interroganti an v. g. Petrum absoluerit? functus sum officio meo, tamen non esse contra sigillum, & TVTA CONSCIENTIA, posse respondere: Illum non absolui, quia non terminauit confessionem, vel non absolui, quia non habebat materiam absolutionis, vel eum non absolui, quia hic talis incœpit confessionem generalem, quam nondum perfecit, & vult altera die perficere; vel non absolui, quia interruptus fui, & vocatus ad alium, & quando redij non inueni illum; affirmo cum Card. de Lugo *loco supra citato*, vbi dicit hæc concedi communiter à Doctoribus.

18 NEC est contra sigillum dicere Petrum v. g. esse scrupulosum nimiùm in declarãdis peccatis, vel dicere hodie auditurus sum confessionem Sempronij, qui suis minutissimis scrupulis, & impertinentibus narrat iunculis caput mihi obtundet, docet Card. de Lugo *disp.* 23. *num.* 60. nam vt inquit ipsemet Cardinalis de Lugo, quia defectus alij manifestantur à pœnitente ad declarandam suam conscientiam, & peccata, & hi continentur sub sigillo; alij fiunt ab ipso pœnitente, quos confessarius non audit, ex relatione ipsius pœnitentis, sed ipse eos videt, & percipit, & hi sicut non dicuntur secretò, sic non sunt sub sigillo: nam si pœnitens sit blæsus, si rudis, si hebetis ingenij, qui, & similes defectus in confessione percipiuntur, non manent illi sub sigillo; similiter ergo, si ostendit se naturæ molestæ, irresolutæ, durioris ad credendum, qui omnes defectus cum ibi fiant, consequenter non sunt materia confessionis illius, nec erunt sub sigillo; hæc de Lugo.

19 OFFENDERE sigillum illos confessarios, qui confabulantes inter se, vel inter alios, dicunt:

cunt: hodie quidam aduocatus, vel quidam miles, vel quædam mulier hæc, vel illa peccata confessa est, teneo cum Nauar. *in cap. Sacerdos, de pœnit. dist. 6. & cap. 8. man. num.* 10. Fagundez *loco citato num.* 13. & alijs, quod etiam affirmo cum Nauar. *loco cit.* & Henriq. *lib. 3. de pœnit. cap. 21. num. 6.* si confessarius diceret hodie negaui absolutionem tribus. Quia quamuis per hunc modum loquendi, nulla nominetur persona, facilè tamen per coniecturas possent eam alij, & præsertim confessores cognoscere.

20 INDIRECTE saltem frangere sigillum cōfessarium, qui magnas poenitentias publicas pro occultis peccatis iniungit; assero cum Nauar. *cap. sa. num.* 103. *& in Man. cap. 8. num.* 17. Suar. *disput.* 33. *sect.* 6. Fagundez *lib. 6. cap. 5. num.* 14. & alijs; quia hæc videntes facillimè suspicantur poenitentes, quibus fuerint iniunctæ huiusmodi poenitentiæ, grauia peccata cōmisisse; ergo confessor saltem indirectè reuelaret in genere peccata sibi cōfessa; ergo &c.

21 NON offendere sigillum illum confessarium, qui Monachis, aut Monialibus iniungit poenitentias leues adimplendas v. g. in publico Refectorio, vel choro, docet Nauar. *in cap. Sac. num.* 105. Quia qui in Monasterijs degunt, tales poenitentias, imò & maiores scientibus omnibus, solent facere pro se, vel pro alijs, & Prælati pro paruis, & leuibus culpis, vel ad exercendam virtutem, solent præcipere. Tamen ego consulerem à talibus publicis poenitentijs iniungendis confessarium abstinere; nā multoties, scādalo affectas esse præsertim Moniales, hoc modo procedendi expertus sum.

22 NON violare sigillum confessionis illū confessarium, qui alta voce poenitentiam leuem iniungit, sicuti è contra violare illud, si voce alta

alta grauem pœnitentiam imponat, aiunt Henriquez *Lib.6.cap.21.num.1.* Lugo *Disp.23.num.89.* Diana *5.par. tract. 11. res. 31.* Quia sicuti non violat sigillum confessarius, qui leuem pœnitentiam à se impositam dicit, sic nec qui alta voce eam iniungit, violat tamen, qui grauem pœnitentiam altè loquendo manifestat. Quia ex grauitate pœnitentiæ suspicabuntur audientes grauitatem peccati.

23 SVB sigillo, teneri tegere illa peccata, quæ quis inueniet scripta sub titulo confessionis; affirmat Diana *3.part.tract. 4. resol. 112.* qui multos alios pro se citat. Quia talis nota in carta descripta, regulariter deseruit pro confessione facienda in subsidium memoriæ, & sic potest dici confessio, inchoatiuè, vel iam ea vsus est pęnitens ad confessionem, & sic iam sunt affecta secreto confessionis; Ergo in quocũque euentu celari debet etiam sub sigillo sacramentali, vt defendunt citati auctores.

24 TENERI ad sigillum confessionis illos, quibus confessarius de consensu pœnitentis consilij capiendi causa v.g. aliquod peccatum, & illius authorem reuelauit; tenet Nauarr. in *cap.sa.num.45.* Suar. *disp.33.sect. 4.* Fagundez *Præc.Eccl.2.lib.6.cap.5. num. 20.* qui multos alios citat, & sequitur, quia suo onere secreti onusta transit, ad quos confessio transit.

25 SICVTI teneri ad sigillum confessionis interpretes pęnitentis; affirmo cum D.Thoma in *4.Dist.21.quæst.3.ar.1.* Suar. *Disp. 33. sect. 4.* Diana *5.part.tract.11.resol. 48.* Lug. *Disp. 23. num.21.* & àlijs quamplurimis; Quia interpretes verè concurrunt ad efficiendam confessionem, & cognoscunt peccata pœnitentium per ipsammet confessionem; ergo tenentur ad eius sigillum.

26 TENERI etiam ad ſigillum confeſſionis illum, qui malitia, vel caſu audiuit peccata pœnitentis; teneo cum D. Thoma in 4. *Diſt.* 2. *quæ.* 1. Nau. & Vaſq. *locis cit.* Lug. *Diſ.* 23. *num.* 39. & quamplurimis alijs; quia etiam iſte talis habet notitiam peccatorum ex confeſſione; ergo etiam tenebitur ad eius ſigillum.

27 LAICVM illum, qui ſe finxit Sacerdotem, & audiuit confeſſionem alicuius, teneri ſub ſigillo, ad celandum peccata audita ab ipſo; aſſero cum Suar. *Diſp.* 33. *ſect.* 2. Lug. *Diſp.* 23. *num.* 40. vbi dicit hanc ſententiam eſſe communem, quia pœnitens manifeſtauit laico iſti ſua peccata animo ſe accuſandi in ordine ad confeſſionem Sacramentalem; ergo tenebitur ad illius Sacramentale ſigillum.

28 NON teneri ad ſigillum Sacramentale illum, cui extra confeſſionem aliquid manifeſtatum eſt, & commendatum ſub ſigillo confeſſionis, ſed tantùm ad ſigillum ſecreti naturalis; teneo cum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 20. *art.* 1. *ad* 2. Sanchez *Lib.* 3. *de Matr. diſp.* 13. *num.* 6. Nauarr. *cap.* 8. *Summ. num.* 18. qui dicit hanc ſententiam eſſe veram. Quia in hoc caſu non datur confeſſio ſacramentalis; ergo, &c.

29 NON poſſe confeſſarium peccatum auditum ab ipſo in confeſſione reuelare, vt poſſit ipſe confeſſarius explicare peccatum ſuum, quando alteri confeſſario confitetur; affirmo cum Nauarr. in *Man. cap.* 8. *n.* 9. Sylu. *verb. Conf.* 3. *num.* 8. Suarez. *Diſp.* 34. *ſect.* 1. *num.* 18. & alijs quamplurimis. Quia longè maioris momenti eſt obſeruatio ſigilli confeſſionis, quàm illius materialis integritas, & ſufficiet in hoc caſu, quod iſte talis confeſſarius confiteatur cum intentione confitendi peccatum ſupradictum, quando ſine præiudicio dicti ſigilli potuit confiteri,

fiteri, vt aiunt Syluest. & sup. cit.

30 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, confessarium peccatum pœnitentis aliàs sibi notum reuelare, non explicando illud auditum à se in confessione; affirmo cum Suarez *Disp.* 33. *sect.* 3. Sanchez *Lib.* 3. *de Mat. disp.* 16. *nu.* 2. Lug. *disp.* 23. *nu* 62. qui pro se citat D. Thom. in 4. *Dis.* 2. *quæst.* 2. *ar.* 3. cum quo dicit Lugo in hoc conuenire omnes, quia confessio non priuat iure loquendi absque offensione sigilli sacramentalis de rebus, quas ante, vel post confessionem confessarius ipse nihil certius affirmet, vel amplius quam id, quod extra notitiam confessionis cognouit.

31 NON posse, TVTA CONSCIENTIA, superiorem ob peccatum cognitum in confessione, priuare Subditos officijs amouibilibus ad nutum, aio cum Laym. Mald. Fag. Bon. Dian. & quamplurìbus alijs DD. citatis à Leandro *loc. cit.* existimantibus contrarium esse contra decretum Clem. VIII. editum anno 1594. quod hæc formalia habet verba: Tam superiores pro tempore existentes, quàm confessarij, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem vtantur, quod decretum valere potest pro mille rationibus pro hac sententia firmanda.

32 POSSE confessarium, qui ex confessione nouit sibi mortem ab aliquo machinari, eam declinare quæsito aliunde colore; asserunt D. Tho. Hurt. *Disp.* 12. *dif.* 9. *res.* 32. *nu.* 151. vbi ait non solùm posse Confessarium fugere insidias sibi paratas, sed ad id teneri, & cum illo hanc sententiam tuentur D. Thó. in 4. *Dist.* 21. *quæst.* 3. *art.* 1. *ad* 3. & plusquam 36. alij DD. teste

Leand.*loc.cit.quæst.62.*quia confessarius sic faciendo nullo modo reuelat peccata audita in confessione, nec reddit illam odiosam; quod si pœnitens ab illa per hoc retraheretur, irrationabiliter certè, & iniustè hoc faceret.

33 POSSE confessarium qui nouit per confessionem suum famulum esse furem, alio quæsito colore abstinere à pecunijs illi committendis in posterum, & similibus, tenent Reginaldus, & Sotus citati à Bonac. *Disp.5. quæst.6. sect.5.punct. 4.nu.30.* & alij. Quia ex hoc non redditur odiosa confessio, nec sequitur pudor, aut damnum pœnitenti.

34 NON posse Curatum, aut alium Sacerdotem negare Eucharistiam peccatori occulto ob peccatum in confessione sibi notum, quando communionem petat in occulto, & multò magis si petat in publico, docent Bonac. *Disp.5.qu. 6.sect.5.pun.4.nu.17.* citans pro se multos DD. Lug. *Disp.23.nu.126.* & alij quamplurimi. Ratio est, quia si ob peccatum in confessione tantum notum, licitè possent Eucharistia, aut alia Sacramenta, vel publicè, vel occulte petenti, ea denegari, de se redderetur valdè odiosa confessio, & homines retraherentur ab illa.

35 NON teneri, imò nec posse vitari excommunicatum vitandum solum ex confessione notum, etiam in occulto: docet Eminentissimus Cardinalis de Lugo *Disp.23.num.119.* qui multos alios pro se citat, quia, vt diximus, redderetur odiosa confessio, &c.

36 NON posse confessarium reuelare audita in confessione, nec ad saluandum fætum defunctæ matris, nec ad probandum matrimonium contractum, & è contra nec ad liberandum pœnitentem à morte, DD. communiter asserunt; Teste Leandro *loc. cit.* quia vt habet perpetua

petua traditio Ecclesiæ, ob nullum vitæ casum, nec pro tuẽda fide totius Orbis, aut pro eius conseruatione, licitum est frangere sigillum.

37 VIOLARI sigillum ab confessario, si ob peccatum auditũ in confessione faciem duriorem, quàm antea solebat, monstret pœnitenti; assero cum Bonac. *Disp. 5. quæst. 6. sect. 5. punct. 3. num. 26.* Lugo *Disp. 23. num. 164.* quia ex tali modo procedendi confessarij, sequeretur confusio pœnitẽti, & redderetur odiosa cõfessio.

38 POSSE imò debere confessarium interrogatum de peccato audito in confessione, negare etiam cum Iuramento se illud audiuisse; affirmo cum D. Th. in *Dist. 21. quæst. 3. art. 1.* Nauarr. in *Sum. cap. 8. num. 19.* Suar. *Disp. 33. sect. 6.* quia ex vna parte potest confessarius salua veritate id negare, cum quæ scit, vt Deus, & non vt homo, & via humana scit, & ex altera parte est iusta causa ad id negandum etiam cum Iuramento.

39 DEBERE confessarium interrogatum, putet ne v.g. esse honestam Claudiam? ad hoc vt non violet sigillum, non tacere, imò potius respondere illam laudando; docent Hurta. *Disp. 12. diff. 13.* Coriol. Sanchez, & alij apud Leandrum *loco cit. quæst. 86.* quia ex illa taciturnitate, valdè facilè generaretur grauis suspicio contra illam pœnitentem supradictam.

40 CADERE sub sigillo confessionis non solum pœnitentem ipsum, sed etiam complicem illius peccati; affirmo cum D. Th. *Dist. 16 quæst. 3. art. 2.* Suar. *Disp. 33. tom. 4. sect. 3. num. 5.* quem cum multis alijs citat, & sequitur Dian. *3. par. tract. 4. res. 111.* quia declaratio complicis, est declaratio proprij peccati pœnitentis; Ergo cadit sub eodem sigillo, sub quo cadit eius peccatum.

41 VIRTVTES, & alia bona pœnitentis, non cadere sub sigillo, nisi fortè dicantur confessori ad melius declarandum aliquod peccatum, docent Bonac. *Disp. 5. quæst. 6. sect. 5. punct. 2. nu. 11.* Lug. *Disp. 23. num. 58.* & alij quamplurimi, quia per huiusmodi rerum narrationem, nullum pœnitentis peccatum manifestatur; nec confessio redditur odiosa; Debet tamen confessarius occultare res supradictas sub secreto naturali, si ita pœnitens vult; aduertit tamen, & bene Lugo *loco cit.* quod aliquando dici possent in confessione virtutes, &c. ad declarandum melius aliquod peccatum v.g. ingratitudinem erga Deum post hæc, & illa dona, & beneficia Dei, vel inconstantiam in bono post tale propositum firmum procurandæ perfectionis, & similia, & tunc credo quod pertineant ad sigillum, cum iam sint saltem in obliquo confessionis materia, & aliunde appareat, quod pœnitens, non vult illa extra confessionem manifestari, sed retineri illa sub sigillo arctissimo confessionis.

42 NON frangi sigillũ confessionis ab illo cõfessario, qui diceret: Ille confessus est tantummodò peccata venialia, non addendo tamen: multa peccata venialia, vel grauia, assero cum Card. de Lug. *Disp. 23. sect. 3 num. 50.* quia nulla potest haberi valida confessio, in qua ad minus nõ præbeatur materia peccatorũ venialiũ.

43 FRANGI tamen sigillum si reuelaretur à confessario aliquod peccatum veniale in particulari, quantumcumque leuissimum, & etiam nullo modo esset peccatum in se; sed pœnitens de illo cõfessus est tamquam si esset peccatum, vel putans re vera illud esse peccatum; assero cum Suarez *Disp. 33. sect. 3. num. 2.* Lugo *loco citato num. 52. & 39.* Quia redderetur

ex

ex tali reuelatione odiosa confessio.

44 FRANGI sigillum confessionis à confessario, qui auditis tribus penitentibus in confessione v. g. discurrens de illis diceret de vno illorum: Iste mihi modò non est confessus, nisi sola venialia: Teneo cum Suar. *loc. cit. num.* 9. & Lugo *loc. cit. num.* 50. Quia ex hoc modo dicendi daretur occasio euidens suspicandi, quod illi duo alij pœnitentes confessi sunt peccata mortalia, vel magis grauia.

45 SVRGERE a confessionario Cõfessarium, & ibi relinquere pœnitentem, vt consulat alium Theologum super aliquem Casum Conscientiæ, esse contra sigillum confessionis; assero cum Lugo *loc. cit. num.* 142. Quia hoc esset ostendere casum illum, de quo consulit alium Theologum sibi dictum fuisse in confessione ab illo ipso pœnitente, quem in confessionario reliquit, vt accidit Nauarro; qui in *Cap. Sacerdos num.* 51. narrat, quod dum quidam Sacerdos Confessionem audiret alicuius Nauar. ipso cernente, relicto pœnitente ad ipsum venit petiturus consilium, quo habito statim redijt, vt pœnitentem absolueret, quod si factum non fuit de expressa licentia ipsius pœnitentis, ignorantia sola confessarij potuit illum excusare à violatione sigilli.

46 QVAMQVAM, sit verum apud omnes non frangi sigillum confessionis, si referatur peccatum absque eo, quod nominetur persona, quæ illud commisit, & non sit periculum suspicandi de illa. Tamen esse sub graui obligatione adhibendam maximam cautelam à confessarijs in talibus narrationibus; assero cum Suar. *loc. cit. num.* 8. & Lugo *loc. cit. num.* 63. Quia sæpè subtile, & nasutum, vt loquar cum ipso Lugo, hominum ingenium discurrens ex

relatis percipit quænam fuit persona, quæ peccata illa perpetrauit.

47 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, confessarium referre peccata audita in confessione, dummodò persona quæ illa commisit non detegatur, & nominetur ab ipso confessario. Et dummodo persona, cui talia peccata referuntur, nullo modo possit suspicari de persona, quæ ipsa peccata commisit; Quia potest dari casus, quod persona audiens talem confessarij discursum cognoscat personas, quæ solent confiteri, vel confessæ sunt ipsi confessario, vel de tali casu loquatur, qui occurrit in aliquo oppidulo, ex quo fieret, quod facilè, vel non ita difficile, posit aliquis non tardi ingenij, venire in cognitionem authoris illius, vel illorum peccatorum, quæ confessarius dicit se audiuisse in confessione; affirmo cum Suarez *loco cit. sect. 3. num.* 8. & Card. de Lugo *loco cit. num.* 63. *&* 64. quia in supradicto casu, & adhibitis supradictis cautelis, non inferretur iniuria sigillo confessionis, & Sacramento Poenitentiæ. Aduerte tamen iuxta doctrinam Candelabri aurei de sigillo *num.* 33. melius esse, & Tutius in Conscientia, de rebus auditis in confessione nullo modo loqui, sed illa sacro silentio semper occultare, ac si nunquam illa confessarius audiuisset ob reuerentiam, quæ huic tanto Sacramento debetur.

48 SI immediatè post, ac confessarius absoluerit poenitentem recordetur se aliquid dicendum ipsi poenitenti omisisse, posse eumdem confessarium, TVTA CONSCIENTIA, illi rem illam pertinentem ad suum profectum, & vtile dicere absque fractione sigilli; affirmo cum Henriquez *Lib. 6. cap.* 23 *num.* 2. *in fin.* & Lugo *num.* 29. quia moraliter in supradicto

casu

casu censetur adhuc durare ipsa eadē cōfessio.

49 SI complex alicuius peccati illud confessus fuerit alicui confessario, cui alter complex illud non confitetur, posse, TVTA CONSCIENTIA, super eadem materia generaliter complicem illum interrogare, dummodo illa dexteritate hoc fiat, vt nullo modo veniat in cognitionem iste complex, quod ille alter cōplex illud peccatum, quod simul commissum est, iam fassus sit. Teneo cum Henriquez *Lib. 6. cap. 2. num. 6.* quia si cum prædicta prudentia, & cautela fiat hoc, nulla irrogatur iniuria sigillo, &c.

50 OMNEM vsum notitiæ confessionis, quem regulares adhiberent ad externam gubernationem subditorum suorum, esse illicitam, assero cum Dicastillo. *Tract. 8. disp. 12. dub. 7. nu.* 138. quia Clemens VIII. talem vsum vetuit peculari Decreto, vt diximus supra, excipitur tamen casus, in quo talis gubernatio esset grata poenitenti, & nulli incommoda.

51 OMNEM vsum confessionis, qui confessionem reddit odiosam, esse semper vetitū extra cōfessionē, affirmo cū Dicast. *lo. c. n.* 161. *& seq.* & alijs multis, quia semper præsumitur Christum Dominū non tribuisse talē vsū, qui si licitus esset, intolerabilis redderetur confessio; dum sciretur à fidelibus, confessarijs non esse in omni casu iniunctum strictissimum secretū.

52 SIC non posse, TVTA CONSCIENTIA, negari suffragium à confessario, qui cognouit ex confessione Poenitentis, vel complicis, poenitentem ipsum esse incapacem, aut indignum muneris, seu officij, ad quod ante confessionem putabatur promoueri suo suffragio; affirmo cum multis DD. apud P. Gobat. *loco citato*. Quia redderetur confessio odio-

T 5 sa

ſa, ad quam reddendam odioſam, ſufficit ſi ſciatur poſſe Confeſſarium ita procedere, etiam ſi aliũde ignoretur taliter, de facto, proceſſiſſe.

53 NEC licere confsſsario poſt talem cognitionem habitam in confeſſione vti illa notitia ad inueſtigandum vtrum re vera dignus ſit vel indignus pœnitens tali officio? affirmo cum eiſdem cit. DD. ex eodem principio, quia redderetur moleſtiſſima, & odioſa confeſſio.

54 NON poſse, TVTA CONSCIENTIA, à confeſſario, qui ſcit ex confeſſione pœnitentem, aut ſocios egredi ſolere de nocte per aliquam ianuam ad perpetranda aliqua mala, illam ianuam firmius obſerari, &c. aſsero cum ſupradictis DD. quia in tali caſu, etiam redderetur odioſa confeſſio.

55 NON poſse itidem, TVTA CONSCIENTIA, à confeſſario, qui ex confeſſione cognouit ſuum famulum eſſe furunculum, illum dimittere ex ſuo ſeruitio, & emandare à ſua domo, affirmo cum Bonac. *quæſt.* 6. *ſect.* 5. *punct.* 4. *num.* 15. qui citat pro ſe Hieronymum Onufrium de *Sacro Sigillo, ſect.* 2. *quæſt.* 2. *dub.* 2. *ver. ſequitur ſeptimo*, & alijs, quia in tali caſu ſequeretur pudor, & damnum pœnitenti, adeoque redderetur odioſa confeſſio.

56 NON poſse, TVTA CONSCIENTIA, confeſsarium ſcientem ex confeſſione, pœnitentem eſse excommunicatum vitandum, abſtinere ab eius conſortio, ſicuti nec poſse confeſſarium ipſum ſcientem ex confeſſione Eccleſiam eſſe pollutam, in ea non celebrare, ſi à tali abſtinentia non celebrandi in illa detur cauſa ſuſpicandi de illo qui polluit eam; affirmo cum Dicaſtillo, & alijs DD. apud P. Gobat *loco cit. num.* 905.

CAP.

CAPVT XVII.

DE SIMONIA.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus casibus pertinentibus ad hanc materiam.

1 SIMONIAM esse, dare alicui pretium aliquod cum pacto, vt iste intercedat apud alterum, & pro se obsecret, vt conferatur ei beneficium; affirmo cum Sanch. Suar. & alijs quamplurimis apud P. Mendo *v. Simonia*. Quia supradicto pretio paratur via determinata, & ex se non indifferens ad obtinendum Beneficium; cum dans tale pretium, dando illud non habet tam respectum ad remunerandum laborem deprecantis, quàm ad consequendum, eo medio, beneficium.

2 NON esse verò simoniam, si detur aliquod pretium ei, qui aperit aditum ad colloquendum cum collatore beneficij; affirmo cum communi DD. quia aditus iste est indifferens vt dans pretium supradictum, loquatur poscendo ab illo beneficium, vel de alijs rebus.

3 ESSE prohibitum quodcumque pactum in permutatione beneficiorum, & præcipuè pactum de soluendo anticipatè aliquas annuas pensiones, esse simoniacum; affirmo ex *cap. quæsitum, cap. clim de rerum permut.* & communi DD. quia datur illa anticipatio pro re annexa rei spirituali, nempè pro fructibus annexis beneficio, quod est simoniacum iure Ecclesiastico prohibitum.

4 SI, qui beneficium obtinuit, resciuerit suum Patrem, vel alium, qui beneficium impetrauit

T 6 com-

commisisse simoniam, teneri dimittere beneficium, & soluere, quod inde percepit; si tamen intra triennium à possessione beneficij hoc sciuit; nam collatio beneficij nulla fuit vt potè simoniaca. Si verò eo titulo colorato trãsierit triennium, antequã sciatur à Beneficiario, retineri posse, TVTA CONSCIENTIA, Teneo cum communi DD. Quia ratione triennalis possessionis bonę fidei habitę, iã fit valida possessio beneficij, quę fuit inualida in collatione.

5 ILLVM, qui pro beneficio obtinendo soluit v. g. quadraginta aureos, quamuis bona fide, & nullo modo, cogitans in hoc, se peccare, dum putabat soluere quadraginta aureos supradictos pro expeditione Bullarum, & similibus; Non posse, TVTA CONSCIENTIA, retinere beneficium tali modo obtentum, & incurrisse in simoniam, & censuras; affirmo cum S. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. Nau. in *Summ. ca.* 13. *nu.* 106. & DD. communiter, quia nullo modo ei suffragatur hæc ignorantia, quæ supponitur vincibilis, & supina, dum poterat, & debebat scire quid pro obtinendo beneficio licitum illi erat facere, & quid illicitum?

6 ETIAM in casu vrgentis necessitatis non posse te, TVTA CONSCIENTIA, & sine labe simoniæ, offerre pretium vt tibi administrentur Sacramenta; assero cum doctissimo Paludano in 4. *Dist.* 25. *quæst.* 5. *nu.* 15. Suar. *Tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 10. & alijs communiter; quia illa oblatio pretij est intrinsecè mala. Donum enim Dei non licet pecunia possideri.

7 SI verò in casu tuę vtilitatis offeras pretium nolenti tibi ministrare Sacramenta, vt tibi illa administret, declarans illam pecuniam à te minimè dari in commutationem Sacramenti, sed ad redimendam vexationem, & captandam bene-

beneuolentiam iniqui Ministri, & vt is deponat prauam voluntatem: Te non esse Simoniacum, & posse in hoc casu, TVTA CONSCIENTIA, hoc facere: affirmo cum Suar. de *Relig. tom. 1. lib. 4. cap. 19. nu. 7.* Vbi multos pro se citat, & sequitur. Quia in supradicto casu talis datio pecuniæ est simpliciter bona, & ad bonum finem, adeoque nullatenus prohibita in se, & ex alia parte ad peccatum alterius non concurris.

8 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, & absque labe simoniæ, Parochum, vel quemcumque Ecclesiæ Rectorem recipere ab Infirmo pecuniam, quæ illi ab eo datur, vt eum post mortem sepeliat in loco honoratiore suæ Ecclesiæ, assero cum Emanuele Sà *Verbo Simonia nu. 2.* Bonac. *Tract. 1. seù disp. 1. de Simon. qu. 4. §. 6. num. 1.* & alijs. Quia locus honoratior talis est ob rationem, & respectum merè temporalem v.g. quia ad dextrum latus, quia in loco conspicuo, quia iuxtà Illustres &c. secus esset si supponamus locum talem honoratiorem esse ob respectum ad rem spiritualem, quia nimirum locus talis est intra Ecclesiam, non in cemeterio, aut quia locus est, prope Altare, nam in hoc casu vt inquit *loc. citat.* supradictus Bonacina committeretur simonia. Tum quia fundamentum illius honoris fundatur in maiori sanctitate loci, ex maiori propinquitate ad altare, v.g. vel ad corpus Christi, &c. Tum quia non potest emi beneficium ob honorem, qui consequitur assecutionem illius beneficij; ergo neq; emi potest locus in Ecclesia ob honorē, qui cōsequitur constitutionē cadaueris in tali loco.

9 ESSE simoniam, etiam si detur temporale pro spirituali, non tanquam pretium, sed solum tanquā motiuum conferendi, vel efficiēdi spiri-

spirituale, vel etiam si detur temporale solùm tanquam gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra, & efficacissimas rationes id probantes hic referre otiosum est, dum contraria opinio tanquam scandalosa reprobata fuit ab Innocentio XI. anno 1679.

10 Et multò magis committi simoniam, si aliquod temporale sit principale motiuum dandi aliquod spirituale, vel si temporalis sit finis ipsius rei spiritualis; itaut temporale ipsum æstimetur pluris, quam eadem res spiritualis; affirmo cum communi Theologorum, & contraria opinio quæ asserebat, quod non sit simonia, etiam si temporale sit principale motiuum dandi spirituale; imo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic, vt illud pluris æstimetur, quam res spiritualis, reprobata, & damnata fuit ab eodem Summo Pontifice anno supradicto.

CAPVT XVIII.

DE SVCCESSIONE.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus Casibus pertinentibus ad materiam prædictam.

1 CONIVGEM succedere ab intestato, quando deficiunt consanguinei descendentes, & ascendentes, & transuersales; affirmo ex *l. 1. C. vnde vir, & vxor*. Quia cum socij quandoque ad inuicem succedant ex *l. vnica C. si libertatis imperi. socius l. 10*. Et coniuges dicuntur socij ex *lib. 1. de rit. nupt.* ideo in tali casu debent sucedere.

2 NON succedere tamen virum vxori, quam interfecit, vel eiecit; affirmo ex *l. si ab hostibus §. fuit*

si vir uxorem ff. solut. matrim. Quia improbitas non debet alicui suffragari. Et hæc doctrina currit etiam, si præsupponatur à viro vxorem interfectam fuisse iusta causa.

3 SIMVL cum filijs communibus succedere vxorem pauperem viro, & virum pauperem vxori, siue ex testamento, siue ab intestato, siue contra testamentum, affirmo cum Viuio *l. 1. verb. vxor. nu. 2. & seq.* Villalob. *commun. lit. M. nu.* 137. sed tunc solùm, quando siue à viro vxori, siuè ab vxore viro legatum non fuisset aliquid, vnde alteruter cōmodè viuere posset.

4 RELIGIOSO nouitio decedenti ab intestato succedere consanguineos lineæ rectæ, vel transuersalis; affirmo ex *cap. quicumque 2. qu.* 5. Quia idem operatur Mors ac displicentia Religionis; sed si nouitio Religio displiceret, bona sua non deberentur Monasterio; ergo, etiam debentur sua bona consanguineis, si ibi moriatur, & non Monasterio.

5 SEQVVTA verò professione, siuè tacita, siuè expressa, bona deberi Monasterio, nec ab ipso testari posse; affirmo ex *Auth. Ingress. cap. de Sacros. Eccl. cap. quia ingredientibus* 19. *qu.* 3. & cum Molina *Tom. 1. disp.* 141.

6 Et si Religiosi professi, ex eo quia, & nihil habeant, & nihil habere possint, & quoniam non sunt sui iuris, & neque habent velle aut nolle, non possint testari, etiam ad pias causas, vt clarè constat ex *Auth. ingressi Cod. de Sacros. Eccl. cap. quia ingredientibus, &c. & cap. si qua mulier* 19. *qu.* 3. Tamen illis permissum esse, vt si ante professionem testati non fuerint, post professionem diuidere possint inter liberos, si eos habeant, bona sua, legitima, & portione non diminuta, & sibi relinquendo portionem aliquam; affirmo ex *Auth. si qua mulier, Cod. de*

Sacros.

Sacroſ. Eccleſ. & in *auth. nunc autem. Cod. de Epiſc. & Cler. & habetur. cap. ſi qua mulier* 19. *qu.*3.*ſic enim ibi habetur: Si qua mulier, aut vir, liberis non exiſtentibus, monaſticam vitam elegerit, & Monaſterium intrauerit, Monaſterio, quod intrauit, res eius competere iubemus; ſed ſi perſona liberos habens, antequam de rebus ſuis inter eos diſponat, Monaſterium intret, liceat ei poſtea inter eos diuidere, legitima nulli diminuta, & quod eis non dederit, Monaſterio competet. Sed ſi omnem ſubſtantiam inter eos filios diuidere voluerit, ſua perſona inter filios connumerata, partem ſibi retineat, quæ Monaſterio competere debet; ſed ſi poſt ingreſſum Monaſterij moriatur, antequam inter eos diuidat; filij legitimam percipient, reliqua ſubſtantia Monaſterio competente*; quas leges, ſequitur Molina *Tom.* 1. *de Iuſt, & Iure tr.*2. *diſp.*141. Nauarrus tamen *cap. non dicaris nu.*77. docet, quod extra euentum in ea authentica conceſſum, eoque modo, quo ibi conceſſum eſt, neque inter liberos, poſſe profeſſum quicquam de ſuis bonis diſponere, eo quod dominio, & adminiſtratione eorum careat, neque habeat eſſe, aut nolle, vt ſupra diximus.

7 At ſi profeſſus decedat ab inteſtato ſuccedere cognatos, & agnatos excluſo Monaſterio, ſi hoc ſit incapax hæreditatis; quod ſi ſit capax poſſe illud ſuccedere reſeruata legitima filijs, alijsuè debita, affirmo cum Menoch. de *Præſumpt.præſ.*84.*n.*2.*auth.ſi qua mulier* 13.*cap. de Sacroſ. Eccl.auth.ingreſſi C.de Sacroſ. Eccl.cap.ſi qua mulier* 19.*q.*3.

8 SI profeſſus ex legitima licentia obtenta in morte Patris, poſſet diſponere de bonis ipſius Patris, ſi de facto non diſponat de illis, deberi ea Monaſterio; affirmo ex *l.codicill.§. matre ff. de leg.*2.*l.conficiuntur §.ſi quis cũ teſtamentũ,ff. de*

de iure codicil. quia qui nõ dispoſuit cũ poſſet, remittit ſe iuri vocanti aliquos ad eius bona, ſcilicet venientes ab inteſtato.

CAPVT XIX.

DE SVPERSTITIONE, ET vana obſeruantia.

Quid poſſit, vel quid non poſſit fieri, TVTA CONSCIENTIA, in quibuſdam pertinentibus ad materiam prædictam.

1 SI obſerues quædam tempora, vel feſta Sanctorum ad aliquid obtinendum, vt eſſet in die Sancti Antonij, v.g. nouies per eius Templi atrium iumenta circumducere: herbas colligere in die Sancti Ioannis; nolle incipere opus in die Martis, vel Veneris; Orationes Sacras recitare, vel eas ſcriptas geſtare, quibus te credas liberari à manu violenta, vel ab alijs: Locum, vel tempus mutare, vt benè ſuccedat ludus, & alia ſimilia. Te in ſupradictis omnibus peccare grauiter ſi putes has ſimiles obſeruantias, & rerum circumſtantias infallibiles eſſe ad effectum conſequendum; affirmo cum Sanchez *lib.2. in Decal. cap.* 40. per totum: quia ſemper eſt periculum ne in ſupradictis ſe Dœmon intermiſceat, maximè ſi certò credantur, & adhibeantur ferè ſemper ad gubernandam vitam.

2 IN re tam periculoſa, volo, mi Lector, vt obſerues ea, quæ his expreſſis verbis *loc. cit. n.* 26. notat doctiſſimus Sanchez, qui loquens ſpeciatim de ſcripturis, quæ ſolent geſtari collo ligatæ, dicit, quod poteſt dari caſus, in quo licitæ ſint, & à ſuperſtitione liberæ, dummodo nulla adſit in eis vana circumſtantia, v.g. vt ſic, vel

vel ſic ſint ſcripta verba ſacra in eis contenta, vel in vaſe talis figuræ, vel talis materiæ, tribuendo vim formæ, vel materiæ, vel ſcripta in pergamena, charta virginea, vel tali tempore, vt Oriente Sole, vel alligata ſint à tali perſona, vt virgines, vel tali modo, vt tot filis, vel tabulis. Item oportet, vt nulla adſit figura præter ſignum crucis, nullaque imago, præterquam Chriſti, aut Sancti alicuius noti, item vt nulla barbara, & incognita Dei, vel Angelorum nomina ſcripta ſint, nec aliud vanum, vel mendax, hæc Sanchez, & cum illo D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. Item ſubiungit Sanchez *citato loco num.* 31. quid dicendum de illis, qui ſolent vt dixi ex deuotione S. Antonij Abbatis nouies circa eius templum iumenta circumducere, item de ijs, qui ſoliti ſunt ex prima pecunia oblata Crucifixo in die Paraſceue, efficere annulum ad ſanandum morbum contractionis: & reſpondet, quod debemus in ſupradictis caſibus, & ſimilibus ſequi doctrinam del Rio, qui *lib.* 3. *diſquiſ. mag. part.* 2. *quæſt.* 4. *ſect.* 2. ait petentibus de hoc conſilium reſpondendum eſſe, id non licere; Quia cum lege ordinaria non ſit ſolitus Deus huiuſmodi conditiones, in quibus aliquid vanitatis apparet ſanctis inſpirare, temerarium eſt, ſibi quid huiuſmodi perſuadere, & ſaltem res eſt ſuſpecta; Quare alia ratione poſſunt excuſari aliquando. Quippè in his, & ſimilibus euentibus, intentio his vtentium, & ſcandalum ſpectanda ſunt ad ea condemnanda, approbanda ve, ſi enim animus ſit adhibendi eas circumſtantias, tanquam per ſe efficaces ad ſanitatem, & rerum ſuarum incolumitatem obtinendam à Deo, eſt ſuperſtitio mortalis, niſi ignorantia, & ſimplicitas excuſet; At ſi non

tam-

tamquam efficaces adhibeant, sed vt deprecantes se ad intensius precandum excitent; tamquam propter præsentiam rerum suarum circa Templum Sancti, vel propter Crucifixi memoriam, &c. non erit superstitio, & potest excusari cessante aliorum scandalo, qui existimare possent ea tamquam superstitiosa adhiberi, quod scandali periculum timeri nequit, vbi omnes simplici animo ijs circumstantijs vtuntur. Hæc Sanchez.

3 NON peccare communiter illos, qui vulgò vocantur Cirauli, quique, quia nascuntur in nocte S. Pauli, medentur sputo morsibus venenosis; affirmo cum Sanchez *loco cit. num.* 45. & Castropalao *tom.* 3 *disp.* 1. *de Superstit. punct.* 10. *num.* 13. & alijs; dummodo non appareat in eis aliqua superstitio; quia fortasse hæ sunt gratiæ gratis datæ.

4 SI ieiunas die S. Stephani, aut quid simile pium opus præstes ad aliquid obtinendum, nimirum ne morte violenta moriaris, & absque Sacramentis, &c. Si hęc pręstas sperans effectũ infallibilem ex tali ieiunio, &c. Te committere superstitionem, & grauiter peccare; affirmo cum Sanchez, vt diximus, & communi; Quia cum præter Sacramenta, & sacramentalia, nihil sit, quod infallibilem habeat effectum; si tu illum expectas ab alijs per ieiunium factum in tali die, & similia, nonnisi à dœmone per tacitam inuocationem expectare conuinceris.

5 QVOD si ita ieiunium præstes, vt corrigas eam credulitatem, & solùm à Domino Deo cum fiducia, non autem cum infallibilitate, effectum incolumitatis, & cæterarum gratiarum expectes; euitare te superstitionem, & nullo modo peccare, imò laudabiliter agere; assero cum Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *de superstitione, cap.* 15.

cap.15. num.27. & Sanchez *loco citato*.

6 SIC etiam ex supradicta doctrina te immunem affirmo à superstitione, si in honorem Sanctissimæ Trinitatis, à qua effectum cum fiducia, & non infallibiliter expectas, recitas ter: Domine dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis: si nouies Orationem recites ad honorem nouem Angelorum chororum, ad aliquod beneficium obtinendum, &c. vnde Gerson. 2. *part. tract. de absolutione Sacramentali alph. 33. littera L. versic. Vlterius ad illud*, vbi quærit, an versiculus supradictus: Dirupisti, &c. habeat efficaciam ad sanitatem, qualem habere supponunt aliqui? & dicit: Respondeo, pro regula circa talia, quæ sunt innumerabilia, quod nunquam attribuenda est aliqua virtus supernaturalis talibus rebus quibuscumque, nisi hoc trahi possit ex scriptura Sacra, vel reuelatione diuina, & oppositum credere habet rationem superstitionis, & sicut diximus, quotiescumque illa trina repetitio sequentis versus: Dirupisti, &c. non fit credendo, quod insit in illis aliqua virtus supernaturalis infallibilis ad obtinendam sanitatem, &c. vel credendo, quod virtus talis efficax sit in illa trina repetitione, licitè, vt modò diximus, & absque labe superstitionis adhiberi possunt verba illa, &c. ad obtinendam aliquam gratiam, & beneficium à diuina omnipotentia.

CAPVT XX.

DE TESTAMENTO.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad prædictam materiam.

1 AD validitatem Testamenti in foro cõscientię, sufficere tantum si constet de voluntate Testatoris, etiam si nullus adsit testis; affirmo cũ Mazzucchello *de Casib. reseruatis disp. 2. c. 20. punct. 1. num. 12.* & alijs.

2 VALERE testamentum quoad legata pia, quando testamentum ipsum ex alio capite esset nullum; affirmo *cap. relatum, extra de test.* & cum Fagundez *lib. 6. de Iust. cap. 3. num. 35.* vbi dicit hanc opinionem esse communissimam, quod probatur iure *Auth. vt cũ de appell. cognos. §. si quis de pijs, ibi: cætera testamenti capitula in sua manent firmitate, & §. siue igitur, coll. 8.*

3 SI in testaměto fuit dictum à testatore: Volo vt post mortě dentur ab hæredibus meis, v. g. centum vni ex meis consanguineis; si occurreret casus, quod comparerent duę consanguineæ testatoris, quarum vna esset propinquior testatori, altera minus propinqua, sed pauperior, obligari hæredes ad dandum legatũ propinquiori, relicta minus propinqua, etsi pauperiore; affirmo cũ Lambert. *de Iure patron. fol. 317. coll. 3. nu. 12. & coll. 4. nu. 2.* & Bart. in l. id quod pauperibus, & alibi, quos citat Ant. de Cordub. *tr. de Casib. Consc. q. 62.* quia propinquiori consanguineæ censetur fuisse legatum à testatore, vtpotè quia naturaliter magis amantur propinquiores, quàm minus propinquæ.

4 SI

4 SI verò à testatore dictum fuit in testamẽot: Volo vt detur talis quantitas vni ex meis cõsanguineis ad arbitrium meorum hæredum, tunc, TVTA CONSCIENTIA, posse dari legatum etiam minus propinquæ; affirmo *ex l. unum ex familia,§.si de falcidia,verb. itaque,ff. de leg.2. iuncta gloss. in versic.vnico,*& ex communi, quia in tali casu,cum aliud non appareat ex mente testatoris, videtur data facultas hæredibus eligendi vnam ex familia ad arbitrium ipsorum, quæ dummodo consanguinea sit testatoris, parum refert an propinquior, an minus propinqua sit.

5 SI tamen detur casus, in quo occurreret, quod duæ consanguineæ supradicti testatoris comparerent, quarum vna esset consanguinea testatoris in quarto gradu,v.g. altera in quinto, sed ambæ essent pauperes, verùm hæc secunda esset nubilis,& ætatis triginta annorum,quæ si gauderet supradicto legato cõcluderetur matrimonium cum quodam, qui in tantum vult eam ducere, in quantum posset frui legato supradicto, quæ circumstantiæ non currunt in consanguinea in quarto gradu; In tali casu posse,TVTA CONSCIENTIA, dari legatum supradictæ consanguineæ in quinto gradu, relicta illa, quæ est in quarto gradu; affirmo cum Fr. Anton. de Cordub. *in tract. Casuum Consc. quæst.72.*& ex D.Thom. qui 2.2. *quæst.32. art. 9.* asserit, quod sanctiori, vel meliori,& magis indigenti, magisque remedio carenti danda est eleemosyna potiùs quàm propinquiori, maximè si non sit multum coniuncta. Et ratio à priori est, quia si distantia consanguinitatis parum differat, præsumitur affectionem,& amorem testatoris, parum differre erga vtrasque supradictas consanguineas: Et quia in minus pro-

propinqua ſupponitur illa circumſtantia maioris neceſſitatis, nam hæc amitteret occaſionem ſe collocandi, &c. cenſetur, quod ſi teſtator inter viuos fuiſset, ita de ſuis bonis diſpoſuiſset, nec pati voluiſset, quod ſua conſanguinea talem occaſionem amiſiſset.

6 SI à teſtatore relictum fuit legatum, quod deberet diſpenſari ab hæredibus pauperibus, & non alijs; & quod non poſsent hæredes prædicti tale legatum diſpenſare illis, pro quibus fuerint pro tempore, ipſi ſupplicati, vt donetur legatum ſupradictum; ſicut nec illis, qui fuerint protecti ab aliquibus Dominis, &c. Poſse, TVTA CONSCIENTIA, ab hęredibus dari legatum ſupradictum, etiam interuenientibus ſupplicationibus ſupradictis, & fauoribus, illis, qui verè ſunt pauperes; affirmo cum ſupradicto P. Anton. de Cord. *loco cit. quæſt. 73.* Quia *ex cap. intelligentia, in verb. ſigni.* Non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubiectus.

7 NON poſse tamen, TVTA CONSCIENTIA, à ſupradictis hæredibus dari ſupradictum legatum pauperibus, relictis pauperioribus; affirmo cum cõmuni DD. nam pauperiores ex mente teſtatoris acquiſiuerunt ius ſupra legatum ſupradictum, adeòque fieri illis iniuſtitiam, ſi ab illis, relictis ipſis, qui ſunt pauperiores, pauperibus tantũ legatũ diſtribueretur.

8 SI teſtator, quia non habebat filios legitimos, inſtituit hæredem vniuerſalem ſuorum bonorum quemdam Dominum, nihil aliud illi in teſtamento præcipiens, nec dicens, niſi hæc, vel ſimilia verba: Commendo meo hęredi animam meam, & filios meos naturales, adhuc teneri in conſcientia dictum hæredem alere ex bonis paternis filios illos naturales, & illegitimos, etiam ſi ſpurij eſsent. Et ſi inter prędictos filios

filios naturales esset fœmina, teneri illam dotare ex eisdem bonis paternis; affirmo cũ Couar. *var. resol. tom. 1. punct. 2. §. 4.* Soto *de Iust. & Iure lib. 4. quæst. 5. art. 1. circa finem*, & alijs. Et potissima ratio est, quia hæreditas transit ad posteros cum onere, & honore; sed hæreditas semper erat obligata, vtpotè relicta à Patre horum illegitimorum, sicut erat ipse pater obligatus ad alendos filios, & dotandas filias, si quæ essent, dum dos succedit loco alimentorum; ergo iste Dominus, qui possedit hæreditatem tenetur ad soluenda onera illius.

9 SI Testator in suo Testamento reliquerit quamdam pecuniæ quantitatem dandam vni ex suis consanguineis proximioribus ex sua familia, posse, TVTA CONSCIENTIA, legatum supradictum dari etiam illis consanguineis, qui etsi descenderent ex illegitima linea, patres tamen illorum, vel illarum procreauerunt illos, vel illas ex legitimo matrimonio; assero cum Syluest. *Tit. legitimus, quæst. 1. & tit. filius in principio, & quæst. 25. & 26.* Quia hi tales verè dicuntur legitimi, vtpotè procreati ex legitimo matrimonio, & vt tales habentur, etiam in receptione Ordinum, & Prælaturæ.

10 TESTAMENTVM factum ab Vxore in articulo mortis in fauorem Mariti, qui importunis precibus ab ipsa extorsit, vt eum institueret hæredem præteritis alijs consanguineis, &c. Non valere non solùm in conscientia, sed etiam iure ciuili subiacere rescissioni; affirmo cum Sanchez *lib. 4. de Matrim. dub. 10.* Less. *lib. 2. cap. 17. num. 48.* & alijs multis, quia iura ciuilia requirunt, vt testamentum, & quælibet vltima voluntas, cum magna libertate fiat, quod in supradicto casu non supponitur.

11 SI relinquatur aliquis hæres, sub confiden-

tia,

tia, minimè externè declarata, sed tantùm animo concepta, à testatore vt nimirum tradantur sua bona eius filio spurio, huiusmodi hæredem esse verum hæredem, & testamentum non esse inualidum, affirmo ex *l. prædonis ff. de petit. l. ita fidei ff. de iure fisci*; Quia leges prohibentes ne veniant illa bona testatoris ad eius filios spurios, quæ fuerunt relicta sub confidentia, loquuntur de confidentia necessitatis, & quæ possit cogere institutum hæredem, vt est illa, quæ fide data, & exhibita pollicitatione declaratur.

CAPVT XXI.

DE TESTE.

Quid asserendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam casibus pertinentibus ad materiam prædictam.

1 TESTEM nolentem se offerre ad testificandum, quando proximus est constitutus in extrema necessitate, & indiget testimonio illius, grauiter peccare; assero cum Sanch. *lib. 6. cons. cap. 5. dub. 2. nu. 1.* Quia semper tenemur subuenire proximo, quando id possumus præstare sine nostro graui incommodo; Ergo &c. ad quod addendum id, quod subdit idem Sanch. *l. c. n. 2.* vbi dicit, quod licet proximus non sit in extrema necessitate, dummodò sit in periculo patiendi iniustè aliquod graue, & notabile damnum, tunc testis qui potest illum liberare testificando sine damno suo, vel alterius, tenetur sub peccato mortali id facere, Ratio est, quia est magnum discrimẽ inter hoc, quod est dare aliquid de re sua homi-

ni indigenti, & liberare illum à damno imminenti, nam dare fit cum iactura ipsius dantis, & necessitas ipsius recipientis non dicitur maxima, nisi maximè indigeat; at quando liberatio potest fieri sine dantis iactura, & quamvis alter sit diues, & non egeat, dicitur verè pati maximam necessitatem, quando est in periculo perdendi rem maximam; Quare hinc sequitur, quod sicut grauissimè indigenti, tenemur dare de superfluo status, ita habentem graue periculum, vel incurrentem graue damnum, tenemur, si possumus, ab eo damno liberare, & hæc sententia est tenenda, ita Sanchez, & cum eo Sotus *Lib.8. de Iust. qu.7. art.1. vers. igitur ad primum*, & Nauarrus *cap. inter verba nu.614.* & alij multi.

2 FVGIENTEM, aut se occultantem, ne citetur à Iudice ad testandum, quando testimonium suum erat necessarium ad euitandum graue, & iniustum damnum alicuius proximi, & si illum peccare in tali casu mortaliter, non tamen eum teneri restituere; assero cum Sanch. *loc. cit. dub.3. num.2.* & alijs multis, quia cum non dum datum fuerit præceptum fugienti, nullum ius oritur parti, quod in tantum ei oritur ex testimonio, in quantum nascitur ex præcepto.

3 TENERI autem restituere testem citatum à Iudice, & nolentem comparere ad dicendam veritatem, vel comparentem, & nolentem dicere veritatem; affirmo cum P. Busemb. *l.c.* qui dicit esse communem sententiam, quia testis supradictus, tali modo se gerendo, est efficax, & moralis causa, vt Iudex sententiam ferat in alterius damnum.

4 TESTEM etiam legitimè interrogatum, non teneri, TVTA CONSCIENTIA, deponere,

nere, & testari id, quod accepit sub secreto naturali, nisi testimonium illius necessarium sit ad auertendum Reipulicæ damnum, vel alterius proximi; affirmo cum P. Busemb *Lib.4. cap.3. dub.6. in resp. ad 1. qu.* & quamplurimis alijs; Quæ doctrina currit etiam si supradictus testis obligasset se iuramento ad seruandum secretum. Quia in primo casu, cùm non timeatur damnum tertij, vt supponitur, & adsit preceptum superioris, vt dicatur veritas, præualet Ius naturæ. Et in secundo Ius naturæ ipsum dictat, vt iuramentum frangatur, & secretum detegatur, quando timetur damnum proximi graue.

5 TESTEM deponentem falsum, ob quod, causa fuit damni, teneri ad impeditionem, vel reparationem omnium damnorum, etiam cum periculo vitæ, si reus de ea periclitetur, & putetur reuocando falsam depositionem, aliquid effecturus; assero cum communi DD. quia in æquali damno potior est causa innocentis.

6 TESTEM deponentem falsum, sed ex obliuione vel inaduertentia, aut ex ignorantia inculpabili, teneri quidem impedire si possit damnum; Non teneri tamen ad restitutionem, etiam si damnetur reus: Assero cum communi DD. quia in tali casu testis supradictus non tenetur neq; ex re iniustè accepta, neque ex delicto.

CAPVT XXII.

DE TVTORE.

Quid tenendum, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam Casibus selectioribus pertinentibus ad hanc materiam.

1 NON posse Tutorem donare bona Pupilli, nec cum Iudicis decreto, affirmo ex *l. tutor* 14. § *fin. leg.* 22. *ff. de admin. Tut. l.* 2. *ff. de tutel. & ration. distr. l. fin. ff. de Curat. fur. l. tutor ad vtilitatem ff. de admin. tut. l. non omni* 16. & cum Suarez *alleg.* 20. *n.* 7. Sforti *de Restit. in integr. p.* 2. *quæst.* 55. *art.* 1. *nu.* 5. *l. Lucius* 24. *ff. de admin. Tut.* Quia donatio est extra Iurisdictionem Iudicis, & tutoris *l. fin. de curat. fur.*

2 TVTOREM teneri tantùm ex lata culpa, si non accipiat stipendium pro tutela; affirmo ex *l. si tutor* 16. *qui repertorium* § *competit ff. de admin. & priuil. Tut.* quod si accipiat, teneri eum de leui; affirmo cum Oñacte *t.* 2. *de contr. tr.* 18. *dub.* 50. *nu.* 112. *l.* 3. *quid ergo* § *sufficit ff. de contrar. & vtilit. tutel.*

3 TENERI pupillum stare contractibus factis à suo tutore in administratione suæ tutelæ; affirmo ex *l. si tutela* 9 *ff. de admin. tut.* Molina *disput.* 492. Guttier. *part.* 1. *cap.* 20. *num.* 5. Gomez 2. *var. cap.* 3. *nu.* 8. quia aliàs nemo vellet cum tutore contrahere, quod esset pupillo præiudiciale.

4 EX tutela contrahi obligationem à Tutore erga pupillum etiam ignorantem, vel inuitum, ex legis dispositione, ita vt res pupilli, exacta diligentia à Tutore administrari debeat, &

suæ

suæ administrationis rationem reddere teneatur, & è contra, à pupillo contrahi obligationẽ erga Tutorem, itaut, si vel impenderit aliquid in commodum pupilli, vel pro eo obligatus fuerit, id ipsum recuperet, itaut Tutor ipse ex supradictis nullum damnum patiatur; affirmo ex *l. si quis ob seruit. ff. de action. & obligat*.

5 OMNEM actionem, quæ ex Tutela oritur, non nisi finita ipsa tutela institui posse; assero ex *l. nisi finita; ff. de Tutela, & rationibus distrahendis leg.* 1. §. *finito ff. de contraria tutela actione*.

5 TVTOREM posse, TVTA CONSCIENTIA, donare bona pupilli pro seruitijs, & remunerationibus, quia hæc non dicitur simplex donatio, sed recompensatoria; affirmo cum Tiraquell. *l. si vnquam in verb. Donatione largit. nu.* 15. *C. de reuocand. donat.* & alijs.

CAPVT XXIII.

DE VOTO.

Quid asserendum TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam selectioribus Casibus pertinentibus ad materiam prædictam.

1 VOVENTEM non ducere Vxorem non indigere Papæ dispensatione: si eam vult postea ducere; affirmo cum Sanc. in *Summ. tom.* 1. *l.* 1. *c.* 40. *n.* 66. Sì *Verb. Votum*, & quãplurimis alijs, Quia Votum, cuius dispẽsationem Papa sibi reseruauit, non est, vt dicũt communiter DD. nisi perfectæ castitatis, sed Votum non ducendi Vxorem non est tale, ergo &c. aduertit tamen Sanchez *l. c.* limitandam esse supradictam doctrinam, quando esset

merum Votum, aut merum iuramentum factum Deo, si enim in fauorem tertij id petentis, cuius interest emissum sit, non poterit Episcopus dispensare; vt si coniux à coniuge petat, vt iuramento, aut Voto se illi obliget ab abstinendum ab alio matrimonio, at si ille remitat ius sibi acquisitum, poterit Episcopus, quia illud solum obstabat.

2 VIRGINEM vouentem virginitatem suam Deo, etiam si dubitet, quid intenderit per illud Votum se Domino promittere, perpetuam videlicet castitatem, an saltem continentiam à primo actu venereo? Adhuc teneri ad seruandam perpetuam castitatem, & obligatam esse abstinere à qualibet venerea delectatione, etiam ex Voto, & etiam si semel, vel iterum deliquerit; affirmo cum Sanchez *Libr. 9. de Matrim. disp. 33. numer. 7.* Valentia 2.2. *disp. 6. q. 6. punct. 4.* & alijs quamplurimis. Quia hic talis censendus est sub nomine virginitatis castitatem promisisse; Qui enim virginitatem vouet in communi, prudentum hominum acceptione, censetur Deo promittere, nullam admissurum delectationem, qua integritatem sui corporis, & animæ amittere possit: Nec refert, quod illam amiserit, per accidens enim est, & obligationem Voti non minuit, si tamen expresse non intenderit solum se obligare ad vitandum primum actum venereum, sed in casu dubio, hæc intentio non est præsumenda; ita *loc. cit.* noster Sanchez.

3 ETIAM si quis vouerit aliquid cum animo quidem se obligandi, non tamen adimplendi, teneri in Conscientia, Votum adimplere, & si materia erit grauis, & Votum frangatur, vouentem peccare mortaliter; affirmo cum Sanchez *Lib. 6. de Voto c. 1. num. 7.* & mul-

tis

tis alijs. Quia etiam in tali casu, est verè Votum, & promissio facta Deo de meliori bono, adeoque obligans in Conscientia.

4. PEONITERE aliquē se fecisse aliquid Votum, dummodò non habeat animum illud frangendi, non esse peccatum mortale; Teneo cum Sanchez in *Sum. lib.* 4. *cap.* 11: *num.* 2. & alijs quamplurimis. Quia in tali casu vouenti nihil aliud displicet nisi videre se graui farcina oneratum, quod non est peccatum mortale; Vnde Sanchez *l. c.* asserens non esse veram illam sententiam, quæ vniuersaliter docebat, quod pœnitere Voti emissi est peccatum mortale, dicit, quod in hoc casu ita distinguendum est, si pænitentia illa sit de operis, ex Voto debiti, executione, siue præterita, siue futura, permanente Voto, tale peccatum erit, quale est nolle exequi id Votum; quia idem prorsus est, ac nolle exequi Votum, & in hoc omnes conueniunt; si autem sit penitentia de voto emisso cum firmo tamen illius adimplendi animo, aut de operibus factis ratione Voti, non ex Voti suppositione, sed tantùm quis dolet, eo quod per Votum compulsus sit, ea opera exequi, non est mortale, & citatis multis DD. pro se, mox subiungit. Imo nec est peccatum per se loquendo; quippe idem prorsus voluntatis obiectum, præteritus Vouendi actus, ac futurus; At integrum est cuilibet, & nolle vouere in futurum; ergo, & nolle vouisse; si quidem non dolet de actu, ad quem tenebatur; Atque ità docent Valentia, & Sotus, quod si ea pœnitentia sit in Votis diuturnis, & grauis momenti, vt est perpetuæ castitatis, &c. est communiter veniale; quia nascitur ex tepiditate, & defectu perseuerantiæ disponitq; ad Voti transgressionem, ita Caietanus,

& Sotus, si autem Votum sit de rebus non tanti momenti, nec tam diuturnis, non est communiter veniale, quando adest aliqua causa honestans, qua deficiente, erit quidem veniale, cùm sit contra rectam rationem pęnitere de bono admisso, poterit tamen esse mortale hęc displicentia, si ex illa consurgat graue periculum transgressionis Voti, hæc ex Sanchez.

5 POSSE, TVTA CONSCIENTIA, voueri non comedere panem, vel aliquem alium cibum ad honorem alicuius Sancti in festo ipsius Sancti, dummodò hoc fiat cum aliqua mortificatione specialis inclinationis, & sensus gustus, qui haberetur in comedendo talem cibum, cuius abstinentia Deo vouetur; affirmo cum Sanchez in *Sum.cap.7.nu.8. & seq.*

6 POSSE voueri, TVTA CONSCIENTIA, non ingredi domum alicuius, vel non habere familiarem conuersationem cum aliquo alio, cuius conuersationem expertus est vouens esse sibi occasionem committendi aliquem defectum, & peccatum; Assero cum Sanch. *lib.4. cap.17.nu.19.* & quamplurimis alijs. Quia tale Votum est de meliori bono.

7 SI aliquis vouisset Deo rem aliquam bonam, quæ mista esset cum aliqua mala v. gr. si Votum esset de peregrinando absque vllo indusio, teneri taliter vouentem peregrinari, sed vestitum, & cum debita decentia, & honestate, & non nudum; Affirmo cum Suarez *Lib.2.cap.10.nu.2.* Quia cùm Votum sit de meliori bono, non obligat ad rem, quæ non sit decens, & honesta, sicuti ad honestam, & decentem, & bonam, quæ alioquin diuidi potest à mala, sicut est in casu nostro, vnde idem Suarez *loc. citat.* tradit hanc regulam, quod scilicet quando materia Voti aliquod bonum, & ali-

& aliquod malum actu includit, Votum obligat ad id, quod est bonum seclusa malitia, nisi principalis ratio vouendi fuerit prauitas materiæ, seu turpe motiuum, vel nisi de intentione vouentis constet fuisse non obligari ad vnam partem sine connexione alterius, vel quasi sub conditione illius, & post pauca idem Suarez *nu. 3.* subdit: exemplum sit in Voto peregrinandi nudus, de quo Voto dixit non obligare Nauar. &c. quòd ad summum potest intelligi de illo Voto quantum ad circumstantiam nuditatis: nam quoad substantiam peregrinationis, sine dubio est validum, vt idem Nauarrus docet &c. & ita exposuit Emanuel Rodriq. *2.p. Summa c. 29. n. 1.* vbi etiam ait Votū eundi Romā, transeundo per Alpes tempore hyemis nudū, nō obligare quo ad talem circumstantiā; At verò Antoninus &c. non audet dicere esse nullū, & esse in aliud commutandū authoritate, inquit, superioris; Quod erit verū, nisi, vel impotentiam claram, vel turpitudinem, aut inhonestatem contineat; censebitur autem continere impotentiam, si credatur futura conditio, valde nociua saluti: Turpis verò quando est contra honestatem, vt si de totius corporis nuditate, sine discrimine partium, & tunc intelligere non tenere conditionem, quoad inhonesta, seruari autem debere, quoad nuditatem possibilem, & honestam, quæ ad humiliationem, vel macerationem corporis deseruiret, vt in hac Ciuitate homines cuiusdam populi, quotannis veniunt in processione nudi, quoad totam superiorem partem corporis; quod nec indecens, nec à religione alienum reputatur, & tam ad ostensionem humilitatis, corporis macerationem, & ad populi deuotionem deseruire potest. Hæc ille.

8 POSSE differri adimpletionem voti, TVTA CONSCIENTIA, per breue tempus, v. gr. si vouisti ieiunare in hac hebdomada die Mercurij, te non peccare mortaliter si differas in diem immediatè sequentem, & etiam si per duos, vel tres dies vltra illum diem præfixum adimpletionem voti differas. Teneo cum Lugo *Disput. 25. de pœnit. numer.* 89. & infertur ex Silar. horum dictorum *cap. 6. numer.* 8. Quia benè dari potest paruitas materiæ in hoc casu.

9 SI vouisti ingressum Religionis, vel susceptionem Ordinis sacri, & similia, te peccare mortaliter si differas talem ingressum vltra sex menses, dummodò quando supradicta vouisti, ætatem habebas requisitam ad ingressum Religionis, vel ordinis susceptionem, affirmo cum Sanchez *Libr. 4. cap. 14. num. 21. & 22.* & multis alijs, quia talis dilatio censetur materia grauis, &c.

10 POSSE illum, qui vouit calicem v. gr. argenteum dare vni Ecclesiæ ditiori, à cuius Rectore iam acceptatum fuit tale votum, propria authoritate, & TVTA CONSCIENTIA, commutationem facere talis voti, & calicem pauperiori Ecclesiæ de facto dare; affirmo cum Petro Nauarr. *Libr. 2. de Restit. cap. 1. numer.* 18. Fagundez *Libr. 2. in Decal. cap. 49. numer.* 11. Quia vota pia vltimatè diriguntur ad Deum tanquam in finem cuius; minus verò principaliter, & accessoriè in hanc, vel illam personam tanquam finem, cui promissio fit, ergò per accidens est, quod hæc, vel illa persona acquirat aliquod ius post acceptationem, nam acquisitio huius iuris dependenter fit ad beneplacitum Dei, in cuius finem principalem fuit facta promissio: igitur in voti commutatione,

non

non tam ad hanc, vel illam personam habendus est respectus, sed ad ipsum Deum, cuius, cum sit maius, & gratius obsequium, quod calix detur pauperi Ecclesiæ, quæ illo caret, quàm prædiuiti, quæ multos habet, benè potest vouens, etiam post acceptationem commutare votum suum, & calicem dare pauperiori Ecclesiæ, quod est euidenter melius.

11. VNDE Fagundez *loc. c. num.* 13. ait In eo tamen casu admittit hoc Sanchez *Lib.* 4. *c.* 41. *n.* 18. *ad finem*, quando votum, & iuramentum principaliter, & ex speciali intentione vouentis, vel iurantis fieret propter Deum, & honorem Dei, nullo modo, nec etiam secundariò respiciendo vtilitatem illius pauperis, aut loci pij; secus quando secundariò saltem illam respiceret, & ratio aliqua pauperis vel paupertatis loci pij haberetur à vouente, vel iurante ob loci, vel personæ paupertatem vel ob specialem affectionem ad illam; tunc enim non potest absque acceptantis consensu, prædictum votum dispensari, nec etiam in melius commutari; in dubio autem, an saltem secundariò, habita sit ratio illius pauperis, aut loci pij, iudicandum est habitam fuisse, maximè si vouens, aut iurans erga illos aliunde affecti erant. Hæc Fagundez.

12. SI vouisti Religionem, quam & ingressus es, & deindè ex animi leuitate, & nulla ductus causa redijsti ad sæculum, te satisfecisse animo sincero ingrediendo in Religionem, etiam si vt diximus, indè egressus es; affirmo cum Bonac. *Tom.* 2. *Disp.* 4. *qu.* 2. *punct.* 5. §. 6. *n.* 24. & alijs quamplurimis. Quia vouens Religionem censetur illam vouere sub conditione probationis concessæ à Iure; sed ius concedit ijs, qui absque Voto ingrediuntur in Religionem

nem, vt possint pro libito eam dimittere *Cap. ad Apost de regul. cap. 2. eodem titul. in 6.* ergo si tu vouisti Religionem, nihil cogitans de profitendo in ea (nam secus esset, si dum vouisti intendisti in ea profiteri) Voto satisfecisti, si animo perseuerandi in Religione eam ingressus es, etiam si postea inde egressus es, vt modò diximus.

13 NON peccare contra Votum paupertatis, Religiosum, cui est licentia expendendi aliquam pecuniam, estò peccet contra aliam virtutem, si in illicitos vsus eam expendat; affirmo cum Cardinali de Lugo, Salas, & quamplurimis alijs citatis à P. Mendo in *Epit. Cas. Conf. Verb. Paupertatis votum*; quia superior quantum est ex parte sua abstulit impedimentum, vt vsus eius pecuniæ, non sit contra Votum paupertatis.

CAPVT XXIV.

DE VSVRA.

Quid possit, vel quid non possit fieri, TVTA CONSCIENTIA, in quibusdam pertinentibus ad materiam prædictam.

1 COMMITTERE vsuram creditorem, qui aliquid exigit vltra sortem à Mutuatario, ductus ratione, quia nimirum numerata pecunia pretiosior est numeranda, & nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram; affirmo cum communi Theologorum, ob multas rationes, quas hîc non refero. Nam contraria opinio, quæ docebat posse aliquid exigi à mutuatario vltra sortem, & supradictum titulum excusare

ab

ab vsura, fuit damnata ab Innocentio XI. anno 1679.

2 VSVRAM esse, & non posse, TVTA CONSCIENTIA, aliquid exigi vltra sortem à mutuatario tanquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum; affirmo cum communi Theologorum ob multas rationes, quas superuacaneum est hìc afferre, dum contraria opinio, à qua asserebatur vsuram non esse, dum vltra sortem aliquid exigitur tanquam ex gratitudine debitum, fuit damnata ab eodem summo Pontifice eodem anno.

3 POSSE mutuantem, TVTA CONSCIENTIA, & sine labe vsuræ exigere à mutuatario cui mutuauit oleum v.g. vel triticum, vt restituatur ei oleum, vel triticum, nec posse mutuarium inuito mutuante restituere mutuanti triticum pro oleo v. g. & oleum pro tritico, si alioquin possit restituere ipsas res in genere, seu specie sua; affirmo ex *l. mutuum*, §. *mutuaui*, *ff. de reb. cred.* Quia in mutuo restituitur res eiusdem generis, seu speciei.

4 VSVRARIVM esse contractum illum, in quo conuenitur, quòd creditor lucretur fructus ex pignore, donec debitum ipsi restitutum sit; affirmo cum Caiet. 2.2. *qu.* 78. *ad* 2. Soto *l.* 6. *par.* 1. *art.* 1. quos citat, & sequitur Layman *lib.* 3. *de iust. tr.* 4. *c.* 16. *nu.* 17. quæ doctrina sumitur, ex *cap.* 1. *cap.* 2. *& c. conquestus, de vsuris*, vbi dicitur fructus rei oppigneratæ computandos esse in sortem deductis expensis, nam secus creditor exigeret aliquid supra sortem, causa mutui, quæ manifesta vsura est.

5 SI mutuans diceret mutuatario, non do tibi mutuò hanc pecuniam, v.gr. decem aureos sed his emo à te Vaccam, quam tibi volo locatam pro annua pensione; si mutuatarius ipse
nullam

nullam possedit Vaccam, nec mox possessurus est, contractum hunc vsurarium esse, nomine fictæ venditionis ac locationis palliatum; si verò mutuatarius haberet Vaccam non esse vsuram, modò seruetur natura contractus locationis, nimirum vt periculum incumbat locatori; affirmo cum eodem Laym. *loc. c. nu.* 15. & alijs quamplurimis.

F I N I S.

LAVS DEO, BEATISSIMAE VIRGINI MARIAE, SANCTO PATRI MEO IGNATIO, ET CAETERIS SANCTIS OMNIBVS.

TVTÆ CONSCIENTIAE MORALIS THEOLOGIÆ REPERTORIVM,

SEV COMPENDIVM SEN-
TENTIARVM IN EA
CONTENTARVM

SECVNDVM ORDINEM ALPHA-
BETI DIGESTVM,

In gratiam Lectoris maxima di-
ligentia concinnatum.

CVM

CVM lector beneuole, rem gratam, & acceptam putauerim me tibi facturum, si doctrinas, quæ in toto hoc volumine sparsæ continentur indicatis locis facilè possis reperire, & quæ ex Ecclesiæ praxi, Summorum Pontificum Decretis, Doctorum consensu, & firmis rationibus à me fusiùs explicata fuerunt compendio quodam proponantur, hunc elaboratissimum, & locupletissimum Indicem libro volui adnectere; Quod si factum benè existimaueris, Deo gratias age, à quo omne bonum, & me illi commenda.

LOCVPLETISSIMVS INDEX RERVM AC SENTENTIARVM, QVÆ IN LIBRO CONTINENTVR.

Prior numerus paginam indicat, secundus numerum.

A

Ali-

Ante-

B

Baptiſ-

Baptismi

Baro-

 nem,

Bla-

C.

Census

Clericus

Cogna-

Com-

tis,

solue-

tem

 boni

cendo

Hodie

implet,

Con-

cere

ad

debitum

pag.

D

Denun-

voto

E

ebrieta-

Emptor

Emi

Episco-

illius.

Famam

F

Fidei-

nisi

Gabel-

G

H

prælij,

tamen

I

Ieiunij

pœnam,

liandum

con-

Iudex

Iurans

strin-

tio

Lega-

culpa

tus

certum

Missam

Missæ

præ-

vel

Monito-

N

O

duplici,

Ordi-

P

Pœni-

Q

R

pag.

pereunt

mini-

incepit

Simonia

vel

T

graue,

Tutor

V

men

Vsuram


LAVS DEO.

SVM-

SVMMA
PRIVILEGII CONCESSI
Ab Excellentissimo Domino
MARCHIONE DE LOS VELES.
Huius Regni Prorege.

EXcellentissimi Domini Marchionis de los Veles huius Regni Proregis authoritate, ne quis in hoc Regno intra annos decem à die impressionis primę inchoandos, ac numerandos excudat, vendat, excudendum, vendendumque quouis modo, & ratione conetur librum, qui inscribitur: TVTA CONSCIENTIA, seù THEOLOGIA MORALIS, Patris Caroli Casalicchi, præter illos, quibus ipsemet P. Carolus Casalicchius concesserit. Idque sub pœna confiscationis librorum, alijsque pœnis originali diplomate contra delinquentes expresiis. Datum Neapoli die 30. Iunij 1681.

Il Marchese de los Veles.



Vidit Nicolaus Guglielmius P.C.

6-4

